SYNOPSES

SACRARUM SCRIPTURARUM

SYNOPSES

OMNIUM LIBRORUM SACRORUM

UTRIUSQUE TESTAMENTI

QUAS EX SUA

« INTRODUCTIONE SPEC. IN VET. ET NOV. TESTAMENTUM »

EXCERPSIT, RETRACTAVIT, COMPLEVIT

RUDOLPHUS CORNELY S. J.

Cum approbatione superiorum.



PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

1899

Omnia iura proprietatis vindicabuntur.

3257

Quum opus, cui titulus est : *Synopses omnium librorum sacrorum Utriusque Testamenti* a P. Rudolpho Cornely, nostræ Societatis Sacerdote, compositum aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostræ munitas dedimus.

(L. S.) HENRICUS HAAN S. J.

Valkenburg, die 1. Decembris 1898. Præp. Prov. Germ.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 28. Decembris 1898.

(L. S.) † FRANCISCUS CARD. RICHARD

Archiepiscopus Parisiensis.

LEGENTIBUS S.

Summae utilitatis, immo necessitatis, continuum S. Scripturarum studium iis maxime esse, qui velut idonei operarii in vinea Domini ad animarum salutem aliquid conferre desiderant, nemo est qui possit ignorare. SS. Patres enim iam in sacrorum librorum dignitate multiplicique fructu praedicandis et assidua eorum lectione inculcanda finem vix faciunt; optimis quoque semper institutis ac legibus Ecclesiae praesules sollicite caverunt, « ne coelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa cum liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceret ». Quos omnes vestigiis consecutus nuper S. P. Leo XIII., quum praeclaris suis Literis encyclicis *Providentissimus Deus* « nobilissimum hoc Sacrarum Literarum studium ad temporum necessitates congruentius dirigeret », id se praeprimis optare et cupere proclamavit, « *ut illi potissime, quos divina gratia in sacrum ordinem vocavit, maiorem in dies diligentiam industriamque divinis libris legendis, meditandis, explanandis, quod aequissimum est, impendant* ».

Iamvero ut illos, qui gravibus his monitis obsecuti quotidianae Scripturarum lectioni vacare sibi proposuerunt, pro modulo meo adiuvarem, priori iam editioni maioris meae « Introductionis specialis in Utriusque Test. libros sacros » (1886. 1887.) satis amplas et copiosas omnium fere librorum synopses inserendas duxi, quibus non tantum eorum argumenta explicatius proponerem, sed etiam totam eorum structuram dispositionemque universam quantum eius fieri potuit accurate explanarem. Quin etiam ut pluribus prodessem, decem abhinc annis synopses Novi Testamenti ex maiore volumine excerptas separato libello typis describendas curavi, quo Scripturas legentibus continuo ad manus essent eisque in idearum nexu investigando subsidii aliquid afferrent; quem in finem etiam singulis analysibus brevissima praemisi prooemia, in quibus librorum originem auctorumque in iis conscribendis fines paucis explicarem; a fine enim scriptoris cognito idearumque nexu perspecto quum universi libri tum singularum eius partium intelligentiam plurimum dependere in comperto est.

Quum autem libelli illius exemplaribus divenditis de nova eius editione paranda ageretur, suadentibus nonnullis amicis synopses Veteris quoque Testamenti ei adiungere statui, ut novum volumen quasi altera pars esset mei « Compendii Introductionis in SS. Scripturas » (Ed. 3. 1896.), in quo ob spatii angustias argumentum structuramque singulorum librorum non nisi summatim generatimque

describere potueram. Quod consilium ut exsecutioni mandarem, omnes analyses, quas in altera maioris Introductionis editione (1897.) ex parte iam emendaveram, novis curis quam diligentissime retractavi et complevi, nonnullis quoque quas antea praetermiseram adiectis. Quo praeter accuratiorem ac pleniorem Pentateuchi analysin, qua operis mosaici unitatem clarius cognosci volui, et tria Cantici Canticorum summaria ex commentariis S. Thomae Aq., Cornelii a Lap., Gerardi Gietmann transumta, maxime singulorum Psalmorum synopses spectant, quas iis omnibus, qui in sacro officio Psalmis davidicis quotidie Deum celebrant, haud inutiles fore speravi; in iis autem adornandis una cum antiquioribus nonnullis commentariis (Genebrardi, Agellii, Bellarmini) maximo usui mihi fuerunt opera a Val. Thalhofer (Erklärung der Psalmen. Ed. 4. 1880), Gottfr. Hoberg (Die Psalmen der Vulgata. 1892), et ex acatholicis a Fr. Delitzsch (Komm. über die Psalmen. Ed. 5. 1894.) edita.

Faxit Deus O. M., ut hoc opusculum qualecumque, quod iuvenibus ad sacrorum librorum studium accedentibus prae ceteris est destinatum, ad eorum assiduam continuamque lectionem propagandam et promovendam aliquid conferat.

Scribebam in collegio *Blyenbeek* (Afferden;
Hollandia) in festo Patrocinii S. Ioseph 1899.

R. C.

I

HISTORICORUM V. T. LIBRORUM

SYNOPSES.

I. — Libri historiam populi Israel usque ad primi regis electionem narrantes.

1. — *Liber Genesis.*

Quinque primi S. Scripturae libri, *Genesis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium*, unum constituunt opus continuum et completum, quod nos quidem ad primariam eius partitionem ab auctore ipso ut videtur profectam attendentes *Pentateuchum* appellare consuevimus, Iudaei autem, praecipuo eius argumento spectato, nomine *Thorah* (i. e. Legis seu Institutionis) a reliquis suis libris sacris, licet illis quoque divinas leges doctrinasque sibi dari non infitientur, haud incongrue distinxerunt. Totius enim Antiqui Foederis fundamentum est et summa quaedam revelationis populo Israel proxime destinatae, quatenus non tantum a prima rerum omnium creatione incipiens cunctos illos primitivi generis humani eventus exponit, quibus permotus est Deus, ut filios Israel prae reliquis populis ad genuinam suam revelationem custodiendam eligeret, quibusque electos ad gloriosam hanc missionem praeparavit, sed etiam ipsam primitivam revelationem exhibet ac divina praecepta complectitur, quibus fideliter observatis populus israeliticus se dignum reddere debuit, qui reliquis gentibus salutem afferret.

Iam vero Pentateuchum totum, ultimis tamen capitibus, quae Iosuae debentur (*Deut.* 31,9-34,12), atque glossis et forte etiam legibus nonnullis exceptis, quas explicationis aut complementi gratia a iuniore scriptore inspirato insertas esse multi hodie coniiciunt, a Moyse divino legato esse conscriptum, una cum antiqua synagoga, quae prima eum accepit solliciteque conservavit, Ecclesia catholica semper tenuit tenetque certis Christi Domini Apostolorumque testimoniis nixa. Eo autem consilio ac fine Moyses eum conscripsit filiisque Israel conservandum tradidit, ut contra eos in testimonium esset (*Deut.* 31,26), quoties magnorum beneficiorum, quibus eos prae reliquis populis cumulatos esse retulit, memoria abiecta a via in illo divinitus praescripta deflectentes contra Dominum Deum suum rebellare auderent. Quinque deinde librorum ea est ratio ac dispositio, ut *Genesis* totius Pentateuchi prologus sit, *Deuteronomium* epilogus, tres vero intermedii libri, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, quasi corpus eius repraesentent; universam enim Legem eo ordine, quo paullatim, occasione data, a Deo per Moysen filiis Israel in deserto peregrinantibus est promulgata, ac proinde cum eorum historia intime connexam complectuntur. Ob quam arctam legum et historiae connexionem Pen-

tateuchus historicis operibus quam legalibus similior est, quamvis tertius liber (Leviticus) in solis fere praeceptis fradendis versetur.

In GENESI porro, quam totius operis mosaici prologum seu exordium esse diximus, Moyses divinarum legum, quas Deo iubente filiis Israel promulgavit, expositionem praeparaturus a prima rerum omnium creatione exorsus proxime quidem initiis totius generis humani adumbratis ostendit, cur et quomodo Deus unam familiam elegerit, cui revelationem suam custodiendam committeret, atque deinde quomodo eandem a reliquis separatam educaverit, ut eam ad praeclarum suum munus obeundum idoneam redderet. Pro quo duplici argumento duas libri partes apte distinguimus : post *prooemium* quippe *de mundi universi creatione* (1,1-2,3) *in priore* paucis delineatur *historia generis humani usque ad Abrahami electionem* (2,4-11,26), *in altera* vero accuratius describitur *singularis providentia, qua Deus Abrahamum eiusque posteros custodierit et direxerit,* donec Iacob cum filiis suis in Aegyptum adductus in magnum populum excrescere coepisset (12,1-50,26). Si quis vero praeter argumentum etiam externam formam libri consideraverit, auctorem inscriptione decies repetita *hae sunt generationes...* (i. e. *haec est historia...*) decem sectiones ita distinxisse facile deprehendet, ut quinas singulis partibus attribueret. Magna igitur est concinnitas dispositionis partium; in iis autem exponendis Moyses animos lectorum continuo ad praecipuum suum argumentum, ad electionem nimirum et educationem unius familiae illius dirigit, in qua totum genus aliquando benedicendum erat; reliquarum enim familiarum tribuumque ac gentium historiam paucis tantum innuit potius quam narrat, ut iis quasi eliminatis et exclusis totus themati quod sibi tractandum proposuit inhaereat; quam ob causam etiam eorum, qui non sunt electi, fata ulteriori historiae familiae electae semper praemittit.

PROOEMIUM (1,1-2,3) DE UNIVERSI MUNDI CREATIONE.

Magnifica creationis omnium rerum descriptione potentia ac sapientia et bonitas Dei non minus quam creaturarum omnium omnimoda a creatore dependentia demonstrantur (1,1-25);

unde sua iam sponte sequitur, hominem, qui tamquam universarum rerum visibilium princeps ultimo in loco creatus est (1,26-31), domino tam potenti quam bono plenam et perfectam obedientiam debere (1,26-31); id quod sabbati lege per creationis dies praefigurata iam declaratur (2,1-3).

PARS PRIOR (2,4-11,26) DE GENERIS HUMANI HISTORIA ANTE ABRAHAMUM.

Primordiis generis humani adumbratis Deum obedientiam debitam in hominibus non invenisse ostenditur; eum ergo quasi coactum fuisse, ut inobedientibus reiectis unum hominem eligeret, in cuius semine postea gentes omnes benediceret.

I. *Historia coeli et terrae* (2,4-4,26)
praemisso sectionis titulo (2,4),
1. — *de primis parentibus ipsis agit* (2,5-3,24);
a.) beneficia eis collata enarrans (2,5-25),
qua ratione scilicet Deus Adamum creaverit (2,5-7), in para-

diso voluptatis collocaverit, levi imposito praecepto (2,8-17), cunctis animantibus praefecerit (2,18-20) eique adiutorium simile formaverit, Evam nimirum eodem innocentiae dono ornatam (2,21-25);

b.) eorumque lapsum et poenam describens (3,1-24);

per serpentem enim seducti primum Eva, deinde Adam praeceptum sibi impositum violarunt (3,1-6); quare innocentiae dono privati (3,7-8), iusto Dei iudicio damnati, spe tamen futurae redemtionis relicta (3,9-20), et ex paradiso eiecti sunt (3,21-24);

2. — deinde *de primis Adae et Evae filiis tractat* (4,1-26),

a.) quorum primogenitus Cain, quum parentum damnatione non eruditus fratrem suum Abel occidisset (4,1-8), a Deo maledictus ab eius facie fugit (4,9-16) et cum suis posteris e numero eorum, qui veram religionem colentes promissionum heredes fuerunt, exclusus est (4,17-24).

b.) Adamo autem pro Abele datus est alter filius Seth, qui cum filio suo Enos Dominum coluit (4,25-26). Itaque ab illo iam tempore genus humanum in duas quasi classes est divisus, filiorum Dei, qui Domino adhaeserunt (cfr *v.* 26), et filiorum hominum, qui contra eum rebellarunt (cfr *v.* 16).

II. *Historia Adami* (5,1-6,8) post inscriptionem (5,1-2)

1. — *enumeratis posteris,* qui Adamo ex altero filio Seth usque ad Noe eiusque filios nati sunt, seriem exhibet patriarcharum, per quos primitiva revelatio cum suis promissionibus conservata est (5,3-32);

2. — at simul *ne illos quidem omnes praeceptis divinis obedivisse docet,* siquidem cum Caini posteris permixti viam suam adeo corruperunt, ut Deus totius generis humani delendi consilium caperet (6,1-7) ac solus Noe gratiam coram eo inveniret (6,8).

III. *Historia Noe* (6,9-9,29), inscriptione praemissa (6,9-10) exponit, quomodo Deus decretum suum generis humani puniendi exsecutioni mandaverit ac soli Noe eiusque familiae pepercerit, ex Noe autem filiis Sem elegerit, in quo benedictiones continuaret.

1. — *Diluvii praeparatio et initium* (6,11-7,24).

a.) Noe a Deo de diluvio, quo homines delendi sint, edocetur et arcam aedificare iubetur, in qua cum sua familia et certo animalium numero servetur (6,11-22).

b.) Cui praecepto obsecutus, instante iam diluvio, cum iis quos Deus designavit in arcam ingressus est (7,1-9); vix autem illo ingresso aquae terram inundarunt omniaque deleverunt (7,10-24).

2. — *Diluvii finis* (8,1-9,17).

a.) Quum autem Noe et qui cum eo erant in arca soli remansissent, Deus eorum recordatus finem diluvii fecit, ita ut post annum a diluvii initio revolutum terra iterum arefacta sit (8,1-14).

b.) Itaque cum suis ex arca egressus Noe sacrificium obtulit, quod Deo tam fuit acceptum, ut sese non amplius, sicut fecisset, omnem animam viventem percussurum esse promitteret (8,15-22), quin etiam novum foedus cum Noe pangeret, quo suas promissiones confirmaret (9,1-17).

3. — *Electio Sem ad continuandas benedictiones* (9,18-29).

Inter Noe quoque filios unus, Cham, inventus est, qui quum patri suo illusisset ab eo maledictus est (9,18-25);

Sem vero benedicitur et per eum benedictiones ad Iapheth perventuras esse praenuntiatur (9,26-29).

IV. *Historia filiorum Noe* (10,1-11,9) post titulum sectionis (10,1).

1. — *gentes enumerat* ex Iapheth (10,2-5), Cham (10,6-20) et Sem (10,21-31) progenitas, ut earum affinitas cognoscatur (10,32).

2. — sed etiam *homines ex Noe progenitos superbe contra Dominum conspirasse refert* (11,1-4), Dominum vero confusione linguarum eos punivisse et per cunctas terras dispersisse, ita ut coniuncti contra ipsum rebellare iam non possint (11,5-9).

V. *Historia Sem* (11,10-26) demum patriarchas ex Sem exortos recenset usque ad Thare, patrem Abrahae.

ALTERA PARS (11,27-50,25) DE ABRAHAMI EIUSQUE PROGENIEI HISTORIA USQUE AD IACOBI INGRESSUM IN AEGYPTUM.

Reliquis Adami posteris iam eliminatis, Moyses in reliquo libro de sola Abrahami familia tractans singularem describit providentiam, qua Dominus eam moderatus sit et direxerit, usquedum eam in Aegyptum adduceret. Attamen ut clarius appareat solam naturalem generationem non sufficere, ut quis inter Abrahae filios numeretur (cfr *Rom.* 9,7), illorum quoque Abrahamitarum brevem inserit historiam, qui ad benedictiones conservandas non sunt electi.

I. *Historia Thare* (11,27-25,11), eius familia paucis descripta ac migratione eius ex Ur Chaldaeorum in Haran breviter relata (11,27-32), res gestas filii eius Abram (Abraham) prosequitur.

1. — *Ab Abrami exitu ex Haran usque ad filii Ismaelis nativitatem* (12,1-16,16).

a.) Terram domumque patris relinquere iussus, ut uni Deo adhaerens dignus fieret, in quo totum genus humanum benediceretur (12,1-3), Abram cum Sarai uxore sua et cum Lot filio fratris sui in Chanaan venit et prima terrae illius pro-

missione accepta totam regionem, altaribus in Sichem et Bethel erectis, Domino consecrat (12,4-9).

b.) Fame deinde in Aegyptum confugere coactus divinam ibi quoque experitur protectionem, uxore sua quam Pharao abstulerat incolumi recuperata (12,10-20); mox vero una cum Lot in Chanaan reversus ab eo quoque se separat, regione quam ille sibi desideravit relicta (13,1-13).

c.) Post quae nova terrae illius et innumerabilis posteritatis promissione confortatur (13,14-18) et in bello contra Chodorlahomor singulariter a Deo adiuvatur (14,1-16) ex eoque victor redux a Melchisedech, sacerdote Dei altissimi, benedicitur (14,17-24).

d.) Conquerentem porro, quod filio herede careat, Deus iterata promissione filii ex eius utero egressuri consolatur (15,1-5) credentique, sollemni cum eo inito foedere, promissionem de terra Chanaan ei eiusque posteris in perpetuam possessionem danda confirmat (15,6-20).

e.) Brevi post, Sarai sterili permanente, illius serva Agar ei filium Ismael peperit (16,1-16).

2. — *Ab Ismaele nato usque ad natum Isaacum* (17,1-21,34).

a.) Neque tamen Ismael fuit filius a Deo promissus; aliquot enim annis post eius nativitatem Deus utramque suam promissionem repetiit renovatoque foedere confirmavit, simul in foederis signum circumcisionem instituens ac diserte annuntians, ex Sarai, cuius nomen aeque ac Abrami ipsius mutavit, nasciturum filium Isaac tamquam heredem foederis ac promissionum (17,1-27).

b.) Qua promissionum repetitione nondum contentus Deus brevi post, duobus angelis comitantibus, sub viatoris specie Abrahamum invisit et audiente Sara, quae nondum crediderat, fore praedixit, ut post annum filium promissum pareret (18,1-15).

c.) In cuius praedictionis confirmationem Deus eadem occasione instantem Pentapoleos destructionem annuntiavit (18,16-21), quam Abraham precibus avertere frustra conatus est (18,22-33); insequente enim die duo angeli, qui cum Domino venerant, Sodoma vicinasque urbes deleverunt, solus Lot eiusque filiae servati sunt (19,1-38).

d.) Evoluto demum anno Sara, quae interea ab Abimelech rege Gerarae rapta, sed incolumis marito reddita est (20, 1-18), Isaacum peperit (21,1-8) eoque ablactato ab Abrahamo obtinuit, ut Ismael eo quod Isaaco illuderet cum matre sua e domo eiiceretur (21,9-21). Cum Abimelech autem Abraham foedus pepigit (21,22-34).

3. — *Ab Isaaci nativitate usque ad mortem Abrahami* (22,1-25,11).

a.) Quibus peractis Deus servi sui fidem obedientiamque immolatione Isaaci praecepta tentavit (22,1,2); credenti autem et obedire volenti (22,3-14) promissiones de innumerabili posteritate et de benedictione per eius semen in cunctas gentes propaganda renovavit iuramentoque confirmavit (22,15-19).

b.) Ex Nachoris deinde fratris sui progenie (22,20-24) Abraham, postquam Sara mortua et in duplicem speluncam prope Hebron ab Hethitis emtam elata est (23,1-20), per servum suum in Mesopotamiam missum (24,1-28) Isaaco Rebeccam, neptem Nachoris et sororem Labani, uxorem obtinuit (24, 29-67).

c.) Demum compluribus ex altera uxore Cethura filiis susceptis (25,1-4) in bona senectute, Isaaco cunctorum quae possedit herede instituto, ceteris autem filiis in partem orientalem amandatis, mortuus et prope Saram sepultus est (25,5-11).

II. *Historia Ismaelis* (25,12-18) enumeratis tribubus, quae ex eo progenitae sunt, earumque sedibus indicatis absolvitur.

III. *Historia Isaac* (25,19-35-29), filii promissionis, de eius filiis geminis, Esau et Iacob, ita agit, ut iunioris potissimum, in quem promissiones transierunt, res referantur.

1. — *Esau et Iacobi discidia* (25,19-28,5).

a.) Isaac pro Rebecca uxore sua sterili Deum precatus ex ea geminos genuit, Esau et Iacob, quorum maiorem minori serviturum esse iam praedictum est, quum adhuc in utero essent (25,19-26), quorumque revera maior, quum adolevissent, minori ius primogeniturae vendidit (25,27-34).

b.) Exorta autem fame Isaac in Aegyptum profecturus a Deo prohibetur, qui non tantum se in eo promissiones Abrahamo factas propter illius obedientiam et fidelitatem impleturum esse asserit (26,1-6), sed etiam eius uxorem Rebeccam, ne ab Abimelech rege Philisthaeae raperetur protexit (26,7-11), Isaacum ipsum locupletavit et Philisthaeorum iurgiis sedatis effecit, ut Abimelech cum eo foedus pangeret (26,12-33).

c.) Isaaco porro iam senescente, Iacob matris, quae aeque ac pater filio maiori ob duas uxores alienigenas ductas irascebatur (26,34-35), consilium secutus fratri benedictionem patris surripuit (27,1-40).

d.) Qua de re iratus Esau ei mortem minitatus est; sed mater, ut ad suum fratrem Laban in Haran fugeret, eum hortata est (27,41-45) et Isaaco, timore praetexto, ne minor quoque filius Hethaeam duceret, persuasit (27,46), ut eum ex Mesopotamia uxorem sibi quaerere iuberet (28,1-5).

2. — *Iter Iacobi in Mesopotamiam* (28,6-33,17).

a.) Quando ergo Esau iam tertium matrimonium cum Ismaelis filia quadam contrahebat (28,6-9), Iacob in Mesopotamiam profectus in itinere prope Bethel divina visione et felicis reditus promissione confortatus est (28,10-22).

b.) In Haran autem a Laban benigne receptus (29,1-15) duas illius filias, Liam et Rachel, longo servitio uxores sibi comparavit (29,16-30) ex iisque et earum ancillis, Zelpha et Bala, undecim filios unamque filiam (Dinam) genuit (29,31-30,24) atque servitium suum continuans astutia sua magnas opes acquisivit (30,25-43).

c.) Quibus quum invidia Laban esset excitata, Iacob divinitus monitus cum suis in Chanaan reverti statuit (31,1-18); clam vero profectum insecutus quidem Laban est, sed a Deo prohibitus, ne malum ei inferret, foedere inito cum eo in Haran reversus est (31,19-55).

d.) Iacob vero iter suum prosecutus et in finibus Chanaan angelorum apparitione confortatus nuntios ad Esau misit, ut eum sibi reconciliaret, magnaque ei dona paravit (32,1-22); altera deinde visione angeli secum colluctantis confortatus (32,23-32) fratrem convenit ac rem pacifice cum eo composuit (33,1-17).

3. — *Iacob in Chanaan usque ad Isaaci patris mortem* (33,18-35,29).

a.) Chanaan ingressus prope Sichem agrum emit in eoque Domino altare exstruxit (33,18-20); sed quia filii eius, Simon et Levi, Sichemitis ob Dinae sororis violationem trucidatis, finitimas tribus exasperaverant (34,1-31), Deo iubente in Bethel secessit, ibique altari, quod in Haran profecturus voverat, erecto nova Dei visione recreatus est (35,1-15);

b.) Castris deinde versus meridiem motis prope Ephratam (Bethlehem) Rachele, postquam duodecimum filium ei peperit, moriente afflictus est (35,16-20) neque minus incestu contristatus est, quem Ruben, promogenitus eius, cum patris sui pelice Bala commisit (35,21.22).

c.) Enumeratis demum duodecim filiis eius et morte patris Isaaci relata terminatur sectio (35,23-29).

IV. *Historia Esau* (36,1-37,1), qui patris hereditate et benedictione privatus est, breviter perstringitur, relata secessione eius cum uxoribus opibusque suis in montem Seir (36,1-8), recensitisque posteris, qui ei in Chanaan et Idumaea nati sunt (36,9-14), ducibus Idumaeorum et Horraeorum (36,15-30) primisque Idumaeae regibus (36, 31-43). Secedente autem Esau in Seir, Iacob remansit in Chanaan, terra Abrahamo seminique eius promissa (37,1).

V. *Historia Iacob* (37,2-50,25),

cuius omnes filii facti sunt patriarchae populi Israel, eorum res usque ad Iacobi patris et fratris Iosephi mortem complectitur. Exorditur autem a duobus illis filiis, quorum tribus inter israeliticas primum locum tenebant, a Ioseph, cui Iacob, quum duos illius filios suis ipsius filiis aequipararet, duplicem hereditatis partem attribuit (cfr 48,1 sqq.), et a Iuda, ad quem, filiis natu maioribus reiectis, primatum transire voluit et ex cuius semine Messiam exoriturum praenuntiavit (cfr 49,8 sqq.).

1. — *Initia historiae Ioseph* (37,2-36).

a.) Ioseph a patre suo praedilectus ob narrata sua somnia, quibus futura eius dignitas praesagiebatur, in fratrum incidit invidiam (37,2-11);

b.) quare eum occidere voluerunt, suadentibus tamen Ruben et Iuda eum Madianitis tradiderunt, qui eum in Aegyptum abductum Putiphari vendiderunt, patre interea eum velut mortuum lugente (37,12-36).

2. — *Iudas eiusque filii* (38,1-30).

a.) Iudas ex uxore sua chananaea tres genuit filios, quorum duo maiores natu, antequam uxorem suam Thamar cognoverant, quam pater uni post alterum dederat, ob peccata sua a Deo occisi sunt (38,1-10);

b.) Thamar autem, quum tertio filio iam adulto data non esset, effecit, ut ab ipso socero suo cognosceretur (38,11-23), eique geminos peperit, Phares et Zara (38,24-30).

3. — *Ioseph servus, captivus, vicarius regis in Aegypto* (39,1-41,52).

a.) Ad Iosephi historiam reversus Moyses refert, quomodo in gratia quidem fuerit apud Putipharem (39,1-6), sed mox, quum tentationem uxoris heri sui repulisset, in carcerem sit datus (39,7-20);

b.) deinde vero custodis carceris benevolentiam nactus (39,21-23) somnia duorum eunuchorum Pharaonis divinitus explicaverit (40,1-23),

c.) demum in aulam regiam arcessitus, quum etiam Pharaonis somnia de bovibus pinguibus et macilentis et de spicis plenis et tenuibus solus interpretari potuisset (41,1-36), tamquam regis vicarius toti Aegypto sit praefectus (41, 37-44) et ex uxore, quam Pharao ei dederat, duos filios, Ephraim et Manasse, genuerit (41,45-52).

4. — *Ioseph et fratres eius in Aegypto* (41,53-45,28).

a.) Septem fertilitatis annos bovibus pinguibus et plenis spicis praefiguratos, quibus Ioseph ingentem frumenti copiam collegerat, tanta secuta est terrae sterilitas, ut non soli Aegyptii

sed vicini quoque populi escas ab eo emere cogerentur (41, 53-57).

b.) Itaque Iacob quoque filios suos, Beniamino excepto, in Aegyptum misit; qui a Ioseph cogniti et ab eo durius tractati ea conditione cum frumentis ad patrem reverti permissi sunt, ut Beniaminum proxima vice secum in Aegyptum adducerent (42,1-35).

c.) Frustra reluctante Iacobo (42,36-38) Beniamin, quum fames invalesceret, cum fratribus profectus est, spondente Iuda, se eum esse ad patrem reducturum (43,1-15).

d.) Benigne autem receptis (43,16-34) Ioseph, postquam experimento cognovit, eos invidiam erga fratrem a patre praedilectum deposuisse (44,1-34), sese manifestavit (45,1-15) et per eos patrem, ut cum tota sua familia in Aegyptum descenderet, invitavit (45,16-28)

5. — *Iacobi eiusque familiae migratio in Aegyptum* (46,1-47,26).

a.) Deo iubente Iacob invitationi filii obsecutus (46,1-7), cum omnibus suis, quorum nomina recensentur (46,8-27), in Aegyptum profectus et magna cum pietate a Ioseph receptus est (46,28-30);

b.) Iosephi deinde consilium (46,31-34) cum filiis suis secutus a Pharaone obtinuit, ut omnes sedem in terra Gessen figerent (47,1-12);

c.) Ioseph autem in aula regia commorans perdurante fame regnum ita administravit, ut cunctas Aegyptiorum opes et terras regi acquireret (47,13-26).

6. — *Iacobi et Iosephi mors* (47,27-50,25).

a.) Iacob, quum septemdecim annis in Aegypto commoratus mortem appropinquare sentiret, Iosephum obtestatus, ut se in sepulcro patrum suorum sepeliret (47,27-31), illius filiis, Manasse et Ephraim, inter suos ipsius locum assignavit (48, 1-7) eisque benedicens natu minorem, Ephraim, maiori anteposuit (48,8-22).

b.) Postquam deinde singulis filiis suis, sua cuique propria data benedictione, propriam sortem futuram praesagivit, mortem obiit (49,1-32) et magno cum honore a filiis suis in duplici spelunca prope Hebron sepultus est (50,1-14).

c.) Ioseph vero etiam post patris mortem fratres suos benigne tractavit (50,15-21) ac reditum eorum in Chanaan vaticinatus eosque precatus, ut redeuntes sua ipsius quoque ossa in Palaestinam deferrent, mortuus est (50,22-25).

2. — *Liber Exodus.*

Alter mosaici Pentateuchi liber praeter filiorum Israel migrationem ex Aegypto et iter ad montem Sinai, quae EXODI nomine iam indicantur, divinam quoque Legis promulgationem atque foedus ibidem cum eis a Deo initum et renovatum complectitur. Eorum quippe historiam a morte Iosephi usque ad initium secundi anni migrationis narrat, ita tamen, ut totum tempus, quod inter Iosephi mortem et nativitatem Moysi interiacet, paucissimis absolvat, quia illud ad finem, quem Moyses in scribendo Pentateucho prosecutus est, vix quidquam refert; nam Deus isto intervallo se iis non manifestavit.

Tres porro distinguimus libri partes pro praecipuis quae tractantur argumentis: post breve enim *prooemium*, quo Exodus cum Genesi connectitur, *de populi Israel multiplicatione* (1,1-7), *prima pars* tractat *de populi oppressi liberatione ex servitute aegyptiaca* (1,8-13,16); *altera eius iter usque ad montem Sinai* describit, quod multis magnisque miraculis insignitum est (13,17-18,27): *tertia* fuse de iis agit, *quae inter eum et Deum prope Sinai acta sunt* (19,1-40,36), scilicet de divina legislatione ac de foedere, quod filii Israel cum Deo pactum idololatria sua violarunt, Deus autem intercedente Moyse renovare dignatus est.

PROOEMIUM (1,1-7) DE POPULI MULTIPLICATIONE.

Duodecim quippe Iacobi filiis, qui cum familiis suis in Aegyptum immigrarunt, iterum recensitis et morte Ioseph in memoriam revocata (1,1-5) auctor sequentem narrationem cum praecedente arcte connectit, Israelitas primo tempore, quo in Aegypto morati sunt, in magnum populum excrevisse commemorans (1,6-7).

PARS PRIMA (1,8-13,16) DE POPULI ISRAEL AB AEGYPTIIS IN DURAM SERVITUTEM REDACTI LIBERATIONE PER MOYSEN ET AARONEM.

I. *Israelitis oppressis Moyses liberator divinitus suscitatur et cum fratre suo Aarone mittitur* (1,8-4,31).

1. — *Israelitarum oppressio* (1,8-2,25).

a.) Quum multiplicati iam essent filii Israel, novus rex, qui « ignorabat Ioseph », eos duro servitio subiecit eorumque, ne numero crescerent, filios simul ac nati essent in flumen proiici iussit (1,8-22);

b.) Moyses autem, quum aquis iam esset expositus, Deo rem ita disponente, per ipsam Pharaonis filiam servatus et educatus est (2,1-10);

c.) adultus autem, quum Aegyptium quendam occidisset, qui unum percusserat ex fratribus suis, in Madian fugere coactus est (2,11-15), ubi uxore ducta Sephora, filia Iethronis sacerdotis, duos filios genuit (2,16-22),

d.) filiis Israel interea etiam sub novi regis duro imperio gementibus Deique auxilium implorantibus (2,23-25).

2. — *Moyses ad eos liberandos cum Aarone missus* (3,1-4,31).

a.) Oppressi tamen populi precibus exauditis Dominus Moysi oves soceri sui in deserto pascenti in rubo ardente apparens annuntiat, se eum ad contribules missurum, ut eos magnis miraculis liberet (3,1-22);

b.) obnitenti tria deinde indicat signa, quibus se divinitus esse missum confirmet (4,1-9) blaesamque linguam praetendenti suam assistentiam promittit, socio missionis adiuncto Aarone (4,10-17).

c.) Quibus permotus Moyses cum uxore filiisque iter ingreditur (4,18-23), sed hos domum remittere coactus obviam habet Aaronem, quocum filios Israel de divina sua missione edocet signisque exhibitis certiores reddit (4,24-31).

II. *Moyses et Aaron cum Pharaone de populo liberando et dimittendo diu colluctantur* (5,1-10,29).

1. — *Dimissionem populi frustra petunt* (5,1-6,13).

a.) Domini mandatum, ut populus Israel in deserto sacrificium offerre permittatur, ad Pharaonem deferentes, id unum effecerunt, ut ira exacerbatus rex eum multo gravius opprimi iuberet (5,1-18),

b.) atque filii Israel ipsi ob iugum aggravatum cum Moyse expostularent (5,19-23), quin etiam divinas promissiones repetere iussum audire recusantes (6,1-9) Moysi novam deprecandae missionis rationem suppeditarent (6,10-13).

2. — *Frustra quoque primis novem plagis populi dimissionem Pharaoni extorquere conantur* (6,14-10,29).

a.) Itaque Dominus Moysen, cuius genealogia hic, ubi coram Aegyptiis tamquam persona publica agere et divinam potentiam manifestare incipit, aptissime inseritur (6,14-28), iterum Pharaonem, Aarone socio et interprete adhibito, adire iubet (6,29-7,2), simul promittens se regis obdurationem esse fracturum Israelitasque per magna iudicia et miracula ex Aegypto educturum (7,3-7).

b.) Cui mandato obsecuti Moyses et Aaron primum quidem divinam suam missionem virga in serpentem versa Pharaoni frustra probarunt (7,8-13).

c.) Neque magis eum novem primis plagis ad filios Israel dimittendos adducere potuerunt; incassum quippe aquas in sanguinem mutarunt (7,14-25), ranas (8,1-15), sciniphes (8,16-19), muscas (8,20-32) supra totam Aegyptum adduxerunt, pecora iumentaque Aegyptiorum peste (9,1-7), homines ipsos ulceribus (9,8-12) percusserunt, grandine (9,13-35) et locustis (10,1-20) messes destruxerunt, triduanis tenebris cunctos

terruerunt (10,21-29); Pharao enim, licet plagis durantibus meliora promittere non dubitaret, iis tamen cessantibus semper magis cor suum induravit.

III. *Decima tandem plaga commotus Pharao filios Israel dimittit* (11,1-13,16).

1. — *Decimae plagae praeparatio* (11,1-12,28).

a.) A Deo iussus Moyses filiis Israel praecipit, ut ab Aegyptiis vasa aurea aliaque pretiosa sibi postulent (11,1-3), Pharaoni autem decimam plagam, mortem primigenitorum, minitatur; sed frustra (11,4-10).

b.) Itaque paschalis agni immolandi et comedendi ritibus institutis et descriptis (12,1-20) Israelitas iubet per domos agnum mactare eiusque sanguine postes portarum illinire 12,21-28.

2. — *Decima plaga obduratio Pharaonis frangitur* (12,29-13,16).

a.) Media autem nocte angelus Domini omnia primogenita Aegyptiorum percussit; unde perterritus rex Israelitas impulit, ut abirent (12,29-33), id quod mox fecerunt (12, 34-41).

b.) Pro partis huius clausula adnectuntur quaedam praecepta de iis, qui ad comedendum agnum admittendi sint 12,42-51, de azymis quotannis per septiduum adhibendis (13,1-10) et de primogenitis Deo consecrandis, ut hac ratione ei de primogenitorum israeliticorum conservatione gratiae agantur (13,11-16).

SECUNDA PARS (13,17-18,27) DE FILIORUM ISRAEL ITINERE USQUE AD MONTEM SINAI ET DE MAGNIS MIRACULIS IN EO FACTIS,

quibus Deus eos disposuit ac praeparavit ad Legem, quam daturus erat, libenti animo accipiendam.

I. *A Deo ipso Israelitae medium per mare rubrum ducuntur, in quo Aegyptii persecutores pereunt* 13,17-15,21.

1. — *Deus dux itineris* (13,17-22).

Filios Israel proficiscentes ossaque Ioseph secum deferentes Deus columna ignis et nubis non per Philisthaeam sed per viam deserti iuxta mare rubrum duxit (13,17-22).

2. — *Transitus per mare rubrum* (14,1-15,21).

a.) Profectos autem Pharao cum exercitu persecutus est et prope mare invenit (14,1-9); sed de salute iam desperantibus et contra Moysen murmurantibus Deus per medium mare viam aperuit (14,10-22), Aegyptios vero eandem viam ingressos undis maris delevit (14,23-31).

b.) Quo de beneficio Moyses cum Israelitis (praecinente Maria, sorore eius, cum mulieribus 15,20-21) Deo cantico gratias egit, in cuius

α. — duabus prioribus strophis Dominum ob praeclaram victoriam de Aegyptiis reportatam celebrat (15,1-5. 6-10),

β. — duabus ultimis autem spem exprimit fore, ut alii hostes tanto perterriti miraculo formident quietique maneant, Israelitae vero Palaestinam ingressi cum Domino securi habitent (15,11-15.16-19).

II. *In itinere per desertum Deus omnibus Israelitarum necessitatibus miraculis succurrit* (15,22-18,27).

1. — *Sitientibus aquam, esurientibus escas praebet* (15,22-17,7).

a.) A litore maris Israelitas per desertum Sur ducens Moyses a Deo edoctus aquam amaram in dulcem convertit (15,22-27);

b.) in desertum Sin deinde progressis, quum de cibi inopia murmurarent, coturnices et manna coelitus promittit (16,1-12) et obtinet (16,13-36).

c.) quin etiam iterum de aquae penuria conquerentibus aquam praebet ex petra (17,1-7).

2. — *In bello et pace eis adest* (17,8-18,27).

a.) Ut nihil sibi ab hostibus timendum esse cognoscant, Amalecitas duce Iosue aggrediuntur et precibus Moysi adiuti devincunt (17,8-16).

b.) Iethrone autem, qui ei uxorem et filios adduxerat (18,1-12), suadente (18,13-23) Moyses magistratus, qui minores res diiudicarent, elegit populoque praefecit (18,24-27).

TERTIA PARS (19,1-40,36) DE LEGE IN MONTE SINAI PROMULGATA ET DE FOEDERE A DEO CUM FILIIS ISRAEL INITO ET RENOVATO.

I. *Legis divinae promulgatio* (19,1-23,33).

1. — *Deus per se ipsum promulgat decalogum* (19,1-20,21).

a.) Filii Israel, postquam ad Legem, quam Deus daturus erat, observandam sese esse promptos declararunt, ad eam accipiendam sese sanctificare iubentur (19,1-15).

b.) Quo facto Domini maiestas die tertia in fulgure et tonitru apparens (19,16-25) decalogum promulgat (20,1-17);

c.) perterriti autem Israelitae, quum immediatam Dei loquelam ferre nequeant, obtinent, ut deinceps per Moysen leges sibi promulgentur (20,18-21).

2. — *Reliquas leges Deus per Moysen promulgat* (20,22-23,33).

a.) Primum igitur varia proponuntur praecepta :

de solo Deo colendo altarique eius cultui destinato erigendo (20,22-26),

de servis ancillisque hebraeis emptitiis (21,1-11),

de damnis corpori proximi immediate (21,12-27) vel mediate illatis (21,28-36), de damno bonis proximi furto vel fraude

vel negligentia illato (22,1-15), de damno virgini violatae illato (22,16-17),

de poenis contra maleficium bestialitatem, idololatriam [illegible] contra eos statutis, qui advenis, viduis, orphanis no[illegible] (22,18-24),

de usura et pignore (22,25-27), de decimis etc. persolvendis (22,28-31), de iustitia in iudiciis servanda (23,1-9) de sabbatica (23,10-12), de falsis diis non invocandis (23,13), de tribus festis coram Domino celebrandis (23,14-19).

b.) Demum a Deo per Moysen promittitur, se per angelum suum Israelitas in Palaestinam ducturum eorumque hostes percussurum, atque graviter prohibetur, ne cum Chananaeis eorumque diis foedere se iungant (23,20-33).

II. *Foedus inter Deum et populum Israel sollemniter initum* (24,1-31,18).

1. — Postquam filii Israel se leges promulgatas observaturos esse promiserunt, *victimis oblatis earumque sanguine in illos consperso foedus inter eos et Dominum sancitur* (24,1-8)

atque Dominus sese senioribus cum Moyse et Aarone congregatis videndum exhibet (24,9-11).

2. — *Solus autem Moyses, ut Legis tabulas a Domino acciperet, in montem ascendere iussus cum Domino ibi quadraginta dies commoratur* (24,12-18);

quo tempore de sanctuario, quod medio in populo Dominus inhabitaturus sit, erigendo sacerdotibusque, qui in eo sint ministraturi, aliisque ad cultum spectantibus eruditur.

a.) Dona quippe voluntaria, quibus sanctuarium eiusque vasa conficiantur, conferenda esse praemittens (25,1-9) Deus ex ordine praescribit

α. — arcam foederis cum propitiatorio duobusque Cherubim conficiendam (25,10-22) aeque atque mensam panum propositionis (25,23-30) et aureum candelabrum cum suis lucernis et emunctoriis (25,31-40), quae ad arcam pertinent;

β. — tabernaculum foederis exstruendum cum suis cortinis sagisque (26,1-14), suis tabulis et vectibus (26,15-30) suoque velamento, quo sanctissimum a sancto separetur (26, 31-37);

γ. — altare holocautomatum erigendum cum suis instrumentis (27,1-8) et atrium tabernaculi (27,9-19);

δ. — sanctuarii descriptionem demum terminat praecepto de oleo candelabri sanctuarii (27,20-21).

b.) Porro Aaronem eiusque filios sibi sacerdotes constituens eis vestes sacras praeparari iubet (28,1-5), et quidem

α. — Aaroni, summo pontifici, ephod et rationale (28,6-30), tunicam hyacinthinam (28,31-35), laminam auream in fronte gerendam et tiaram (28,36-39);

β. — Aaronis filiis autem, sacerdotibus, tunicas lineas et balteos etc. (28,40-43);

γ. — quibus praemissis ritum consecrationis sacerdotalis praescribit (29,1-37).

c.) Varia deinde addit praecepta ritualia de iugi sacrificio offerendo (29,38-46), de altari thymiamatis et de incenso quotidie in eo adolendo (30,1-10), de dimidio sicli a singulis ad usum tabernaculi solvendo (30,11-16), de labro aeneo conficiendo, in quo sacerdotes ante thymiamatis oblationem pedes manusque lavent (30,17-21), de modo, quo unguentum sacrum (30,22-33) et thymiama conficiantur (30, 34-38).

d.) Demum totius operis opifices designat (31,1-11) et lege sabbati utpote perpetui signi foederis inculcata (31,12-17) Moysi tradit duas tabulas foederis lapideas suo ipsius digito conscriptas (31,18).

III. *Foederis violatio et renovatio* (32,1-34,35).

1. — *Ob vitulum aureum adoratum filii Israel puniuntur* (32,1-29).

a.) Diuturna Moysi commoratione in monte fatigati filii Israel ab Aarone impetrant, ut vitulum aureum sibi conficiat, quem adorent (32,1-6);

b.) qua de re iratus Dominus, quum eos delere vellet, placatur quidem Moysi precibus (32,7-14),

c.) Moyses tamen ipse ex monte reversus videns populi tumultum proiectis foederis tabulis, quas a Deo acceperat, idolum comminuit (32,15-24) et a filiis Levi adiutus idololatras multos occidit (32,25-29).

2. — *Multis servi sui precibus commotus Dominus renovationem foederis promittit* (32,30-33,23).

a.) Veniam quidem superstitum Moyses a Deo obtinet (32,30-35), sed in fracti foederis poenam Deus ad tempus sese a populo retrahit; quod ut significet, Moyses quoque tentorium suum extra castra ponit (31,1-11);

b.) iteratis tamen eius precibus permovetur Dominus, ut in signum foederis renovandi suam gloriam se ei ostensurum promittat (33,12-23).

3. — *Foedus renovatur* (34,1-35).

a.) Novas igitur tabulas praeparare iussus (34,1-3) cum eis Moyses in montem revertitur, ibique Deum videns renovationem foederis impetrat (34,4-10);

b.) velut conditiones autem renovati foederis populo severe inculcare iubetur, ut omnem Chananaeorum societatem omnemque idololatriam evitet (34,11-16) atque uni Deo cultum praescripta ratione exhibeat (34,17-26);

c.) Quibus conditionibus conscriptis Moyses post quadraginta dies de monte descendit, facie eius radiante ex Dei consortio, ita ut eam velare cogeretur, quoties ei cum populo erat agendum (34,27-35).

IV. *Sanctuarii rerumque ad cultum spectantium confectio* (35,1-40,36).

1. — *Oblatio donorum* (35,1-36,7).

a.) Sabbati lege iterum inculcata (35,1-3), Moyses filios Israel invitat, ut dona conferant ad ea conficienda, quae Dominus confici iusserat (35,4-19).

b.) Cui invitationi tanta cum liberalitate universus populus respondet (35,20-29), ut opifices exsecutioni operis divinitus praepositi (35,30-35) Moysen rogarent, ne plura dona afferri permitteret (36,1-7).

2. — *Tabernaculi aliarumque rerum sacrarum consummatio* (36, 8-39,30).

a.) Donis collatis praeprimis tabernaculum foederis cum suis cortinis sagisque ac tabulatis atque velum confecta sunt (36, 8-38); deinde arca cum suis vectibus et propitiatorium cum duobus Cherubim aeque atque mensa panum propositionis et aureum candelabrum et altare thymiamatis (37,1-29); postea altare holocaustorum, labrum aeneum atriumque tabernaculi (38,1-20); accurate autem indicatur, quantam copiam auri, argenti, aeris aliarumque rerum pretiosarum haec opera absumserint (38,21-31).

b.) Secundo in loco confectio vestimentorum pontificis aliorumque sacerdotum refertur (39,1-30).

3. — *Oblatio et consecratio rerum sacrarum* (39,31-40,36).

a.) Omnia demum, quum completa essent, a populo Deo offeruntur et a Moyse benedicuntur (39,31-43);

b.) iuxta Dei deinde mandatum (40,1-13) 1ª die 1ⁱ mensis 2ⁱ anni ab exitu ex Aegypto tabernaculum erigitur (40,14-31),

c.) Deus autem illud gloria sua replens (40,32-36) ostendit, se oblationem accipere atque sua ex parte, quum medio in populo habitare incipit, foedus renovatum sancire.

3. — *Liber Leviticus.*

Cum secundo Pentateuchi mosaici libro intime connexus est tertius, qui LEVITICUS appellatur, quia proprie et peculiariter, uti S. Chrysostomus ait, totam levitici ministerii rationem exhibet. Moyses enim, postquam exaedificationem et consecrationem tabernaculi retulit, in quo Dominus continuo, ut populo suo adesset, habitare constituerat, sua quasi sponte adductus est, ut de illis ageret, quae sua ex parte filii Israel Domino praesenti praestare quibusque sese continua eius praesentia dignos exhibere deberent.

Magna quidem est praeceptorum multitudo et varietas neque logico ordine sunt disposita sed ad temporis quo data sunt rationem pleraque sunt digesta. Ad duas tamen classes omnia apte revocantur pro duplici quod diximus officio, quod praesenti suo Domino populus debet; unde duas quoque libri partes distinguere licet, quarum *prior* (1,1-10,20) *de sacrificiis sacerdotibusque tractans ea enarrat, quae filii Israel Domino ob eius praesentiam praestare debent*, atque *altera* (11,1-27,34) *puritatem et sanctitatem describit, quae in populo propter Dei praesentiam adsit oportet.* Prooemio autem Leviticus caret, aut si mavis, ultimae Exodi sententiae, quibus gloria Domini tabernaculum foederis implevisse narratur (*Exod.* 40,34 sqq.) ei sunt pro exordio.

PARS PRIOR (1,1-10,20) DE IIS QUAE ERGA DOMINUM INTER FILIOS ISRAEL HABITANTEM PRAESTANDA SUNT, seu *de sacrificiis Deo debitis et de personis per quas offeri debent.*

I. *De sacrificiis eorumque speciebus praecipuis* (1,1-7,38).

1. — *De holocaustis, fertis, pacificis* (1,1-3,17).

a.) Holocaustorum ritus primo in loco describuntur, qui diversi sunt pro animalibus oblatis, prout nimirum armenta offeruntur (1,1-9) aut pecudes (1,10-13), aut aves (1,14-17).

b.) Deinde ritus oblationis fertorum describitur indicaturque quid ex eis competat sacerdotibus (2,1-16).

c.) Similiter tertio in loco de pacificis agitur (3,1-17).

2. — *De sacrificiis pro peccato* (4,1-6,7), quae varia sunt quum pro peccati ipsius tum pro peccantium varietate.

a.) Alia quippe alioque ritu offerenda sunt, si ille, qui ex ignorantia (levitate) deliquit, aut sacerdos fuit (4,1-12), aut universus populus (4,13-21), aut princeps (4,22-26), aut privatus quilibet (4,27-35);

b.) alia quoque pro certis peccati generibus, si quis nimirum veritatem celaverit (5,1) aut aliquid immundi tetigerit (5,2.3) aut id quod se facturum iuramento promisit oblivioni dederit (5,4-13) aut ritus violaverit (5,14-16) aut aliud quodvis praeceptum ex errore transgressus sit (5,17-19);

c.) alia demum, si quis contemto Domino aut proximo damnum intulerit aut aliud praeceptum violaverit (6,1-7).

3. — *De sacerdotum muneribus et iuribus in sacrificiorum oblatione* (6,8-7,37).

Ex ordine enarratur quid sacerdos agere debeat et quid ei competat in holocaustis (6,8-13), in fertis sive a populo sive ab ipso sacerdote oblatis (6,14-23), in sacrificiis pro peccato (6,24-30) et pro delicto (7,1-10), in pacificis (7,11-38).

II. *De sacerdotum consecratione et institutione* (8,1-10,20).

1. — *De Aaronis filiorumque eius consecratione* (8,1-9,24).

a.) Deo iubente Aaron filiique eius coram universo populo a Moyse vestibus sacris induuntur et sacerdotes consecrantur (8,1-13), variis sacrificiis oblatis (8,14-30), atque per septem dies in sanctuario commorari iubentur (8,31-36);

b.) octavo autem die, quum prima sacrificia pro se ipsis et pro populo offerrent (9,1-22), Dominus igne in holocaustum coelitus immisso se consecrationem ratam habere ostendit (9,23-24).

2. — *De ministerii sacerdotalis sanctitate* (10,1-20).

a.) Quam accurate sacerdotes ministerio suo fungi debeant, Dominus ostendit filios Aaronis primogenitos, Nadab et Abiron, quia igne profano thurificare attentaverant, coelesti igne immisso occidens (10,1-7);

b.) qua occasione deinde sacerdotibus in tabernaculo ministrantibus usu vini interdicit (10,8-11) praecipitque, ut oblationum residua in loco sacro comedant (10,12-20).

PARS ALTERA (11,1-27,34) DE MUNDITIE ET SANCTITATE IN TOTO POPULO AC POTISSIMUM IN SACERDOTIBUS REQUISITA.

I. *De populi munditie legali et de ritibus, quibus immundities legalis removetur* (11,1-16,34).

1. — *De ciborum distinctione* (11,1-47).

Quibus animalibus (quadrupedibus, piscibus, volucribus, reptilibus), utpote mundis, vesci filiis Israel liceat et a quorum carnibus, utpote immundis, comedendis et tangendis abstinendum eis sit (11,1-42), ne polluantur (11,43-47).

2. — *De puerperae immunditie* (12,1-8).

a.) Quot diebus post partum filii aut post filiae partum puerpera habenda sit immunda statuitur (12,1-5),

b.) et quod sacrificium pro purificatione a divite (12,6-7) et a paupere (12,8) sit offerendum.

3. — *De immunditie leprae* (13,1-14,57).

a.) Quomodo in homine ipso varii leprae gradus per sacerdotes dignoscendi sint exponitur (13,1-43) et quid omni leproso faciendum (13,44-46);

b.) similiter quomodo sacerdotes varias leprae species in vestibus discernant et quid in singulis agant oporteat (13, 47-59).

c.) Ritu deinde descripto, quo homo a lepra sanatus purificari debeat (14,1-20) pauperisque sacrificio indicato (14, 21-32),

d.) de varia aedium lepra agitur (14,33-57).

4. — *De gonorrhoae immunditie* (15,1-33).

a.) Immundities viri seminiflui declaratur (15,1-12) sanatique purificatio quae sit praescribitur (15,13-18),

b.) ac similiter de immunditie mulieris menstruantis (15,19-24) aliove sanguinis fluxu laborantis (15,25-33) agitur.

5. — *De magno expiationis die* (16,1-34).

a.) Expiationis ritus, quos Dominus post primogenitorum Aaronis filiorum occisionem (cfr 10,1sqq.) praescripsit, exponuntur (16,1-28),

b.) atque universi populi expiatio quotannis die decimo mensis septimi sollemniter facienda esse indicitur (16,29-34).

II. *De populi universi sanctitate* (17,1-20,27).

1. — *Praecepta quaedam de cibis* (17,1-16).

a.) Nisi quis, si pecus quoddam mactaverit, illud ad ostium tabernaculi obtulerit, peribit de populo velutsi sanguinem fuderit (17,1-9);

b.) similiter de populo peribit, qui sanguinem comederit (17, 10-14);

c.) qui vero morticinum ederit, nisi ab immunditia rite se purgaverit, reus manebit (17,15-16).

2. *De matrimonii sanctitate* (18,1-30).

a.) Severa admonitione de gentium moribus non imitandis sed Dei praeceptis fideliter observandis praemissa (18,1-5), enumerantur propinquitatis gradus, quibus matrimonia redduntur illicita (18,6-18),

b.) atque aliis quibusdam impudicitiae peccatis severe prohibitis (18,19-23), altera gravi admonitione de ethnicorum moribus non imitandis particula haec terminatur (18,24-30).

3. — *De conversationis cum Deo et cum proximis sanctitate* (19,1-20,27).

a.) Praemisso praecepto, ut omnes sancti sint, sicut ipse sanctus sit (19,1-2), Dominus pietatem erga parentes ac maxime erga se ipsum (19,3-8) uti amorem proximi ac praesertim egeni inculcat (19,9-18).

b.) Postquam deinde de disparatis non coniungendis (19,19), de concubitu cum ancilla (19,20-22), de primis arborum fructibus (19,23-25), de superstitione (19,26-31), de reverentia quae senibus, de caritate quae advenis, de iustitia quae omnibus in omnibus debeatur (19,32-36) praecepta quaedam inserta sunt, quae speciali modo commendantur (19,37),

c.) mortis poena statuitur contra eos, qui filios suos Moloch offerre (20,1-5), magos hariolosque consulere (20,6-8), parentibus maledicere (20,9), gravia quaedam impudicitiae peccata committere ausi fuerint (20,10-21),

d.) atque nova exhortatione ad sanctitatem colendam sectio clauditur (20,22-26) praeceptumque de hariolis lapidandis pro appendice additur (20,27).

III. *De maiore munditie legali in sacerdotibus requisita* (21,1-22,33).

1. — *Praecepta de luctu et matrimoniis sacerdotum* (21,1-15).

a.) Ob sancta sua ministeria sacerdotibus neque funeribus civium, nisi propinqui fuerint, interesse licet (21,1-7), neque scortum aut repudiatam in matrimonium ducere (21,8-9);

b.) pontifex autem ipsorum parentum funeri interesse aut aliam praeter virginem ducere prohibetur (21,10-15).

2. — *Praecepta de sacerdotum irregularitatibus* (21,16-22,16).

a.) A sacerdotali munere utpote sancto arcendi sunt, quicumque vitio quodam corporis laborant (21,16-24),

b.) atque ab iis, quae sacerdotibus ex sacrificiis competunt, comedendis arcendi illi quoque sunt, qui immunditiem contraxerunt (22,1-9);

c.) accurate autem definitur, quosnam ex suis familiis ad sanctificatorum esum admittere queant (22,10-16).

3. — *De victimarum dotibus* (22,17-33).

a.) Ne ineptarum victimarum oblatione sacerdotes polluantur, earum dotes describuntur ac simul prohibetur, ne quid ex hostiis pro gratiarum actione oblatis in alterum diem conservent (22,17-30);

b.) omnia autem haec praecepta, ne immundi fiant, observare iubentur (22,31-33).

IV. *De cultus divini sanctitate servanda* (23,1-25,55).

1. — *De iis, quae quotannis relate ad cultum divinum observanda sunt* (23,1-24,23).

a.) Praecipitur primum, ut filii Israel sabbatum (23,1-3) debitisque cum ritibus Phase ac primitiarum diem (23,4-14), Pentecosten (23,15-22), novilunium septimi mensis (23,23-25), magnum expiationis diem (23,26-32), festum tabernaculorum (23,33-44) celebrent.

b.) Deinde curare iubentur, ut lucernae in tabernaculo foederis continuo ardeant continuoque panes propositionis adsint (24,1-9).

c.) Quasi per parenthesin autem inseritur, data occasione poenam

lapidationis pro blasphemia esse statutam ac legem talionis inculcatam (24,10-23).

2. — *De anno sabbatico et de anno iubilaei* (25,1-55).

a.) Quid agendum sit anno sabbatico praescribitur (25,1-7);

b.) atque anno iubilaei definito (25,8-12) accuratius explicatur, qua ratione eo anno possessiones venditae ad pristinum suum dominum revertantur (25,13-34) et Israelitae, qui servi facti sint, libertatem suam recuperent (25,35-55).

V. *Legislatio leviticae clausula* (26,1-27,34).

1. — *Sanctio legum leviticarum* (26,1-45).

a.) Pracepta observantibus promittuntur multa bona (26,1-13),

b.) ea autem violantibus graves intimantur poenae (26,14-33),

c.) atque quisnam sit ultimus inobedientiae effectus praedicitur (26,34-45).

2. — *Appendix quaedam* (27,1-34).

a.) Velut legislationis leviticae complementum (cfr 26,45 et 27,34) primo in loco additur praeceptum de implendis votis libere susceptis (27,1-25)

b.) deinde lex de primogenitis Domino sistendis (27,26.27),

c.) ac demum lex de iis, quae Domino consecrata sunt, et de decimis solvendis (27,28-34).

4. — *Liber Numeri.*

Quartus Pentateuchi liber nomen suum NUMERORUM ex prioribus traxit capitibus, in quibus singularum tribuum censu instituto earum numerus ac summa quoque donorum indicantur, quae tribuum principes in dedicationem altaris et ad sanctuarii usus contulerunt. Latius tamen libri argumentum patet; itineris enim ex Aegypto relationem legislatione sinaitica interruptam Moyses hoc in libro resumit et a 1° mense 2^{i} anni usque ad 11um mensem 40^{mi} anni perducit. Neque tamen continua serie historiam illius temporis narrat, sed simili modo quo longam illam periodum, qua sua ipsius nativitas a morte Ioseph separatur, fere totam silentio praetermisit, triginta septem quoque annorum peregrinationem paucissimis absolvit; idque recte. Pro fine enim suo illa sola suis in libris posteris tradere voluit, quae proxime ac directe ad salutem omnibus populis per filios Israel conservandam pertinent; atqui omnes illi, qui viri ex Aegypto egressi erant, praeter Iosue et Caleb ob perpetuas suas murmurationes iusto Dei iudicio condemnati sunt, ut in deserto morerentur, utpote indigni qui salutem conservarent. Quapropter Moyses, postquam sententiam divinam contra eos latam retulit, generationis illius historiam non amplius prosequitur paucosque illos tantum eventus refert, quibus Deum etiam illo tempore observationi Legis suae invigilasse apparet. Sublata autem illa generatione narrationem suam resumens satis fuse iis immoratur, quae ultimo peregrinationis anno usque ad 11um mensem gesta sunt.

Hinc tres in partes librum commode distribuemus, quarum *prima* (1,1-14,45) *ea complectetur quae primis mensibus anni* 2^di^ *peregrinationis acta sunt ac praesertim populi rebellionem et reprobationem*, deinde *altera* (15,1-19,22) *pauca ex diuturna generationis reiectae peregrinatione tradit*, ac demum *tertia* (20,1-36,16) accuratius *historiam ultimi anni peregrinationis refert.*

PARS PRIMA (1,1-14,45) DE POPULI PEREGRINATIONE IN DESERTO USQUE AD GENERATIONIS EX AEGYPTO EGRESSAE REIECTIONEM.

I. *De populi censu instituto aliisque rebus* 2do *mense* 2^di^ *anni peregrinationis peractis* (1,1-6,27).

1. — *Totus populus, exceptis Levitis, praeprimis censetur et ordo in castris observandus praescribitur* (1,1-2,34).

a.) Deo iubente Moyses et Aaron a tribuum principibus adiuti (1,1-15) cunctos singularum tribuum viros a vigesimo anno et supra numerant, quicumque bello gerendo erant idonei (1, 16-46); Levitae tamen ab hoc censu eximuntur, quandoquidem ad tabernaculum eiusque vasa portanda erant destinati (1,47-51).

b.) Deinde in castris figendis eum ordinem tenendum esse statuitur, ut medium locum tabernaculum teneat et per eius gyrum Levitae tentoria sua habeant (1,52-54), reliquae vero tribus circa eos ita castrametentur, ut ternae sint ad singulas mundi regiones, ad orientem Iudas cum Issachar et Zabulon, ad meridiem Ruben etc. (2,1-34).

2. — *Deinde filii Levi censentur eisque munera assignantur* (3,1-4,49).

a.) Atque primum Aaronis filii enumerantur eorumque ad reliquos filios Levi relatio definitur (3,1-13);

b.) deinde cuncti Levitae uno mense maiores numerantur iuxta familias suas singulisque familiis uti ordo in castris ita vasorum sacrorum pars quam custodiat assignantur (3,14-39).

c.) Quoniam autem Levitae Deo consecrati sunt pro primogenitis aliarum tribuum, hi quoque numerantur et quia aliarum tribuum primogeniti Levitis erant numerosiores, pro excedente numero pretium redemtionis sacerdotibus solvi iubetur (3,40-51).

d.) Quo peracto officia, quae singulis Levitarum familiis in tabernaculo eiusque supellectili transportando incumbunt, enarrantur (4,1-49).

3. — *Leges nonnullae circa idem tempus latae sunt* (5,1-6,27).

De immundis nimirum eiiciendis ex castris (5,1-4), de peccatis ignorantiae expiandis (5,5-8), de primitiis reddendis (5,9.10), de mulieribus adulteris convincendis (5,11-31), de consecrandis nazaraeis eorumque oblationibus (6,1-21), de formula benedictionis sacerdotalis (6,22-27).

II. *De donis in sanctuarii usum* 1mo *mense* 2^di *anni peregrinationis oblatis aliisque rebus eo mense gestis* (7,1-10, 10)[1].

1. — *Dona ad transportandum tabernaculum et in dedicationem altaris offeruntur* (7,1-8,4).

a.) Die, qua erectum et consecratum est tabernaculum, principes tribuum et capita familiarum sex plaustra cum suis bovibus obtulerunt ad illud transportandum (7,1-9);

b.) similiter sequentibus diebus iubente Deo principes tribuum multa magnaque dona in dedicationem altaris obtulerunt (7, 10-88) id quod sibi placere Dominus ostendit (7,89),

c.) a quo eodem, ut videtur, tempore situs candelabri aurei accuratius definitur (8,1-4).

2. — *Alia quoque eodem tempore statuta videntur* (8,5-10,10).

a.) Ritu quippe, quo consecrandi sint, divinitus definito (8,5-19) Levitae in muneribus suis constituuntur (8,20-22) et aetas a Deo statuitur, qua ministerio suo vacare incipiant et cessent (8,23-26).

b.) Deinde similiter divinitus declaratur, quando pascha iis celebrandum sit, qui illud iusto tempore celebrare legitime impediti fuerint (9,1-14).

c.) Praemisso demum, nubis et ignis columnam filiis Israel fuisse ducem, ad cuius motum iter ingrederentur aut castrametarentur (9,15-23), signa definiuntur, quibus totus populus congregari atque iter ordinari debuit (10,1-10).

III. *De eventibus in peregrinatione usque ad rebellis generationis ex Aegypto egressae reiectionem* (10,11-14,45).

1. — *Continuae populi murmurationes in itinere a monte Sinai usque ad desertum Pharan* (*Sin*) *prope meridionales Palaestinae fines* (10,11-12,15).

Ordine divinitus praescripto a monte Sinai profecti (10,11-28), duce Moyse, qui cognatum suum Hobab secum duxit (10, 29-32), praecedente autem columna nubis, triduo ad desertum Pharan venerunt (10,33-36). Quo in itinere

a.) statim iam de eius laboribus ac molestiis conquerentes Deus ira incensus incendio extremae partis castrorum punire coactus est (11,1-3);

(1) Ratio cur inverso chronologico ordine res *primo* mense gestae rebus *secundi* mensis postponantur haec esse videtur. Moyses, quum historiam peregrinationis per desertum narrare vellet, neque tribuum ordinem neque munera singulis familiis Levitarum in tabernaculo eiusque supellectili transportandis assignata omittere potuit; haec autem, quia a censu maxime pendebant, 2do mense definita sunt. Ne igitur ordine tribuum et Levitarum ministeriis descriptis narrationem suam interrumpere cogeretur, ordine chronologico seposito prius omnia *illa exposuit, quae toto peregrinationis tempore observata sunt*, ac dein *narrationem rerum gestarum a primo mense anni inchoat.*

b.) brevi post, quum manna fastidientes carnes postulassent (11, 4-9), Deus Moysi, qui se toti populo regendo imparem declaravit (10,10-15), se adiutores atque populo carnes daturum promisit (11,16-23); id quod etiam fecit septuaginta senes spiritu prophetico instruens (11,24-30) coturnicesque mittens, at simul populum gravi poena affligens (11,31-34).

c.) ipsi quoque Aaron et Maria, quoniam invidia fratris sui abrepti in eum insurgere ausi erant, iram ac poenam divinam provocarunt (12,1-15).

2. — *Per viros ad Palaestinam explorandam missos seducti filii Israel eam ingredi nolunt et a Deo reprobantur* (13,1-14,45).

a.) Castris in deserto Pharan positis Moyses iubente Deo duodecim viros ad universam terram promissam explorandam misit (13,1-21);

b.) qui reduces fertilitatem quidem terrae praedicarunt, sed fortitudine et numero incolarum exaggeratis filios Israel tantum in terrorem coniecerunt (13,22-34), ut in Aegyptum reverti vellent atque Iosuae et Caleb quum vera nuntiarent fidem adhibere recusarent (14,1-10).

c.) Quapropter Deus iratus, non obstante Moysi intercessione (14,11-25), decrevit ut omnes qui viginti annorum et supra essent in deserto morerentur, Iosue et Caleb exceptis (14,26-38);

d.) quod quum audivisset, populus ad aggrediendam terram promptum se declaravit; invito autem Deo eam aggredientes ab Amalecitis gravem cladem acceperunt (14,39-45).

PARS ALTERA (15,1-19,22) DE REIECTAE GENERATIONIS PEREGRINATIONE USQUE AD 1um MENSEM ANNI 40^mi^.

I. *Variae leges eo tempore latae vel inculcatae* (15,1-41).

Ad futuram Palaestinae possessionem prospiciens Deus praecipit, ut sacrificiis cruentis oblatio similae et vini addatur (15, 1-15) et agrorum primitiae rite offerantur (15,16-21);

deinde sacrificia determinat, quibus peccatum contra unum ex praeceptis hucusque datis ex ignorantia commissum expiandum sit ac mortis poenam ei minatur, qui contemto Domino peccaverit (15,22-31); ac revera lapidatus est iubente Deo homo qui sabbatum violaverat (15,32-36);

demum fimbrias in pallio eos habere iubet, quibus praeceptorum sibi datorum memoria excitetur (15,37-41).

II. *Aaronis sacerdotium a Core, Dathan et Abiron impugnatum sed a Deo vindicatum* (16,1-17,13).

1. — *Rebellio et poena Corae et asseclarum eius* (16,1-40).

a.) Core ex Levitis cum Rubenitis Dathan et Abiron aliisque du-

centis quinquaginta proceribus sacerdotium et principatum ambientes contra Moysen et Aaronem insurgunt (16,1-17);

b.) Dei autem iusto iudicio condemnati vivi a terra deglutiuntur (16,18-35),

c.) atque in huius poenae perpetuam memoriam thuribula eorum in laminas producta altari affiguntur (16,36-40).

2. — *Aaronis sacerdotium populi quoque murmurantis poena et miraculo divino vindicatum* (16,41-17,13).

a.) Postridie vero, quum populus de poena Corae asseclarumque eius murmuraret, Deus in eum plagam misit, quae non nisi Moyse et Aarone precantibus cessavit (16,41-50), atque

b.) miraculo virgae Aaronis, quae sola ex omnium principum virgis germinavit et fructus produxit, se ei soli sacerdotium contulisse testatus est (17,1-13).

III. *Aliae leges eo tempore latae* (18,1-19,22),

primum quidem de mutuis sacerdotum et Levitarum officiis (18,1-7), et de amborum proventibus : omnes primitiae sacerdotibus (18,8-20), decimae autem Levitis ita competant, ut earum decimam sacerdotibus solvant (18,21-32); deinde de ritu aquae lustralis parandae et adhibendae (19,1-22).

TERTIA PARS (20,1-36,13) DE ULTIMO PEREGRINATIONIS ANNO USQUE AD UNDECIMUM EIUS MENSEM.

I. *Ultimi eventus in deserto* (20,1-21,35).

1. — *Maria et Aaron moriuntur* (20,1-30).

a.) Mense 1mo anni 40^mi^, quum Israelitae iterum in deserto Pharan (Sin) commorarentur, Maria Moysi soror mortua est (20,1);

b.) populo ob aquae penuriam murmuranti data est aqua ex petra, at Moysi et Aaroni, quia ipsi quoque dubitaverant, ingressus in Palaestinam est negatus ac mors proxime futura praedicta (20,2-13) :

c.) Edomitis transitum per suam terram negantibus, Israelitae longo itinere montes idumaeos circumire coacti sunt (20,14-21), atque hoc in itinere Aaron mortuus est eiusque in locum Eleazar filius suffectus (20,22-30).

2. — *Reges Aradi, Amorrhaeorum, Basani devincuntur* (21,1-35).

a.) Chananaeus rex Aradi Israelitas aggressus sed ab eis caesus est eiusque terra vastata (21,1-3);

b.) qua victoria non obstante populus denuo de itineris molestiis murmuravit, quare serpentibus ignitis immissis divinitus punitus est (21,4-9);

c.) iter deinde pergentes tertia vice aquam a Deo obtinuerunt (21,10-20) et ab eo adiuti devicerunt Sehon, regem Amorrhaeorum, et Og, regem Basan (21,21-35).

II. *Eventus in campestribus Moab* (22,1-30,17).

1. *Moabitae et Madianitae filios Israel perdere conantur* (22,1-25,18).

a.) Quum Israel Amorrhaeis devictis in campestribus Moab castrametarentur, Balac, rex Moab, per senes Moabitarum et Madianitarum accersivit Balaam, filium Beor, ut filiis Israel malediceret (22,1-21);

b.) qui invito Domino et in itinere bis ab eo correptus advenit quidem (22,22-41), sed quum quater eis maledicere conaretur, quater eis benedicere coactus est (23,1-12,13-30; 24,1-14,15-25).

c.) Nihilominus filii Israel a Madianitis et Moabitis ad idololatriam impuram sese seduci siverunt; quare iubente Deo principes eorum suspensi et viginti quatuor millia hominum occisi sunt (25,1-9); Deus autem Aaronis nepoti Phinees, quia Israelitam aperte peccantem transfoderat, eiusque posteris summum sacerdotium ob eius zelum attribuit (25,10-13) et contra Madianitas bellum decrevit (25,16-18).

2. — *Praeparationes quaedam ad occupandam terram promissam* (26,1-30,17).

a.) Appropinquante iam Palaestinae occupatione omnes tribuum viri iterum numerati sunt, ut iuxta hunc censum terra inter tribuum familias divideretur (26,1-65).

b.) Filiarum autem Salphaad precibus auditis a Deo per Moysen statutum est, ut filiae familiarum illarum, in quibus patre defuncto filius heres non esset, cum patris propinquis hereditatem caperent (27,1-11).

c.) Deinde Deus Moysen ipsum terram non esse ingressurum repetens Iosuam ei dat successorem (27,12-22).

d.) Circa idem tempus leges quaedam latae sunt, quae post terram occupatam potissimum observandae erant, nimirum de sacrificiis, quae aut singulis diebus et sabbatis et neomeniis (28,1-15), aut in festis paschatis (28,16-25), pentecostes (28, 26-31), tubarum (29,1-6), expiationis (29,7-11), tabernaculorum (29,12-39) offerenda erant, et de votorum legitimorum conditionibus (30,1-17).

III. *Terrae transiordanicae occupatio et distributio* (31,1-32,42).

1. — Bello, quod Deo iubente Madianitis seductoribus erat indictum (cfr 25,16 sqq.), feliciter gesto virgines solae servatae sunt (31,1-20), reliqua vero praeda, postquam expiata est, ex aequo inter pugnantes et plebem ita est divisa, ut primitiae sacerdotibus et pars quaedam Levitis attribuerentur (31,21-54).

2. — Tota vero regio occupata filiis Ruben et Gad ac dimidiae tribui Manasse eam petentibus concessa est, postquam promi-

serunt, se in reliqua terrae promissae parte expugnanda fratres suos esse adiuturos (32,1-42).

IV. *Monita quaedam de Palaestina ipsa occupanda et distribuenda* (33,1-36,13).

1. — *Catalogus stationum* refertur, in quibus Israelitae annis quadraginta, quibus per desertum peregrinati sunt, castra sua fixerant (33,1-49); deinde sequuntur

2. — *praecepta de terrae promissae occupatione et distributione* (33,50-36,13).

a.) Omnes Chananaei interfici iubentur (33,50-56);

b.) tunc fines terrae, quae inter reliquas tribus, quibus sors nondum erat assignata, distribuenda erat, accuratius definiuntur (34,1-15) atque viri designantur, qui distributionis muneri praeficiantur (34,16-29);

c.) postea urbes esse eligendas monetur, quae Levitis attribuantur (35,1-8) uti etiam urbes refugii (35,9-15), qua occasione lex de homicidio voluntario et non voluntario puniendo fertur (35,16-34);

d.) demum statuitur, ut filiae heredes, ne tribuum possessiones permisceantur, nonnisi suis ipsarum contribulibus nubant (36,1-13).

5. — *Liber Deuteronomii.*

Quoniam ultimus Pentateuchi liber legum in superioribus iam promulgatarum est fere repetitio quaedam, vel si mavis explicatio et inculcatio, haud inepte ab Alexandrinis DEUTERONOMIUM appellatur. Re enim vera sicuti Genesis, uti antea iam monuimus, totius operis mosaici est prologus eo fine praemissus, ut filii Israel magna caritate, qua Deus ex mera gratia prae omnibus populis ipsos in patribus suis ad genuinam revelationem custodiendam salutemque toti generi humano aliquando conciliandam elegit, clarius cognita ac perspecta ad Legem eius promptius recipiendam diligentiusque observandam incitarentur, ita Deuteronomium eiusdem operis est epilogus, qui praecipuis eventibus et praeceptis, quae in tribus intermediis libris referuntur, in memoriam revocatis et apte dispositis eos ad foederis, quod Deus prope montem Sinai cum eis pepigit, observationem efficacissime exhortatur.

Deuteronomium quippe, si breve eius exordium (1,1-5) praetermittimus et ultima eius capita (31,9-34,12), quae terminato libro a Iosua addita diximus, tribus constat concionibus brevi ante mortem suam, die 1mo ultimi mensis anni 40^{mi} post exitum ex Aegypto, a Moyse habitis, quarum *prima* (1,6-4,40) ostendit, *qua ratione Deus inde a legislatione sinaitica Israelitas providentia sua duxerit ac direxerit.* Quam concionem, quae eorum animos ad divina praecepta tenenda quasi disponit et praeparat, *altera* (5,1-26,19) sequitur, *qua Lex ipsa, paucis novis additis mandatis, forma paraenetica repetitur et commendatur;* demum *tertia* (27,1-30,20) *variis collectis argumentis ac praesertim praemiis poenisque, quae Legis sanctionem constituunt, propositis eos urget, ut foederi*

cum Deo inito fideles inhaereant. Tres igitur conciones et argumento et forma sua quasi completum constituunt Legis codicem populo apprime adaptatum.

EXORDIUM (1,1-5) trium concionum argumentum esse summarium totius Legis innuit atque tempus locumque indicat, quo sunt habitae.

CONCIO PRIMA (1,6-4,40), utpote praeparatoria, nonnullis peregrinationis eventibus commemoratis *Deum non minus severum iudicem quam benignum patrem esse ostendit*, ut inde deducat, *Legem ab eo datam populo fideliter esse observandam.*

I. *Eventuum quorundam expositio, quibus Deus filiis Israel tempore peregrinationis suam iustitiam ac misericordiam manifestavit* (1,6-3,29).

1. — *Iustitia Dei erga generationem ex Aegypto egressam manifestata* (1,6-2,15).

a.) Primum igitur Moyses commemorat, quomodo filii Israel omnibus prope montem Sinai iuxta Dei praecepta peractis, postquam eis dati sint principes ac tribuni, ad terram promissam occupandam profecti quidem sint (1,6-19), attamen exploratorum falsis nuntiis deterriti eam aggredi non sint ausi, quamvis Dominus sese eos adiuturum esse promiserit (1, 20-33).

b.) Deinde huius diffidentiae et inobedientiae poenam refert, scilicet Deum non tantum decrevisse, ut tota illa generatio in deserto periret, sed etiam statim Israelitas, quum suo ipsorum arbitratu Amorrhaeos adorti essent, gravi clade punivisse (1, 34-46).

c.) Paucis demum exsecutionem decreti illius explicans simul monet, toto diuturnae peregrinationis tempore, quo ista generatio periit, Dominum populo ipsi nunquam defuisse, sed e contra necessaria ei semper providisse ac tandem per Idumaeorum fines eum feliciter usque ad campestria Moab duxisse (2,1-15).

2. — *Misericordia Dei erga novam generationem exhibita* (2,16-3,29).

a.) Eventuum expositionem continuans Moyses auditorum attentionem ad divinum auxilium convertit, quod ipsi nuperrime experti sint, quando Sehon, regem Amorrhaeorum (2,16-37), et Og, regem Basan, licet hic esset ex gigantum stirpe munitissimasque possideret civitates, devicerint eorumque terras occuparint (3,1-11);

b.) similiter eos initia implelionis promissionum divinarum iam spectare monet, quum transiordanica regio tribubus Ruben, Gad et Manasse iam sit tradita (3,12-20).

c.) Attamen ut iustitiae quoque divinae memores maneant, ad-

dit se ipsum propter prioris generationis peccata ab ingressu terrae esse exclusum ac suum in locum Iosuam divinitus esse suffectum (3,21-29).

II. Sua quasi sponte ex praecedente narratione enascitur *exhortatio ad Legem divinam servandam omnemque vitandam idololatriam* (4,1-40).

1. — *Praeprimis iustitia divina populum ad Legis observantiam impellit* (4,1-31).

a.) Poenae enim memor esse iubetur, quam brevi antea Deus apostatis inflixit (cfr *Num.* 25,1 sqq.), ut illius recordatione ad Legem per Moysen acceptam custodiendam impellatur (4, 1-6), praesertim quum reliquis populis omnibus sit praelatus neque ullus inveniatur, quocum Deus simili modo sit conversatus cuique similem legem dederit (4,7-14).

b.) Quam maxime autem filii Israel omnem idololatriam vitare debent divinam timentes iram, quae ob prioris generationis murmurationes ipsum Moysen puniverit (4,15-22) atque ipsos quoque ipsorumque filios, quamprimum se ad idola converterint, punitura sit neque ad gratiam admissura, nisi post longam poenitentiam peractam (4,23-31).

2. — *Misericordia divina similiter eos impellit* (4,32-40).

Considerare quippe iubentur, quanta beneficia Deus ipsis prae omnibus populis contulerit in ipsa legislatione, in egressu ex Aegypto et in tota sua gubernatione.

Paucis porro interiectis sententiis de tribus civitatibus refugii in terra transiordanica constitutis et de sequentis exhortationis argumento (4,41-49) sequitur

CONCIO ALTERA (5,1-26,19) eodem die et loco habita, quae duabus in partibus, priore generali, altera speciali, *Legem in monte Sinai et in deserto datam repetit, complet, inculcat.*

I. *Pars generalis in unius Dei cultu inculcando universaeque Legis fideli observatione commendanda potissimum versatur* (5,1-11,32).

1. — *Introductio* (5,1-33).

a.) Exhortatione, ut ad sua verba attendant, praemissa (5,1-5)

b.) Moyses decalogum a Deo ipso promulgatum repetit (5,6-21)

c.) rationesque explicat, quibus permoti filii Israel petierint, ut Dominus deinceps non per se ipsum sed per legatum leges promulget (5,22-33).

2. — *Unum Dominum colere, omni cultu idololatrico reiecto, iubentur* (6,1-7,26).

a.) Primum praeceptum quasi explanaturus Moyses unum

Dominum unice diligendum illiusque, utpote summorum beneficiorum auctoris, memoriam retinendam et ad filios transmittendam esse monet (6,1-25);

b.) ab omni vero Chananaeorum idololatria sedulo esse cavendum ideoque eos plane esse exterminandos (7,1-10); Deum enim, dummodo sibi fideles adhaeserint, eis in bello contra Chananaeos auxilio suo esse adfuturum (7,11-26).

3. — Motiva proponuntur, quibus ad unum verum Deum colendum Legemque ab eo datam observandam filii Israel se ipsos exhortentur (8,1-11,32).

a.) Praeprimis beneficiorum, quae toto peregrinationis tempore in deserto acceperint et in terra promissa accepturi sint, memores eos esse oportebit, ne similiter ac Chananaei pereant (8,1-20).

b.) Ne vero sibimet ipsis suaeque iustitiae se haec beneficia debere opinentur (9,1-6), recordentur semper necesse erit patrum suorum contumaciae, qui statim post foedus cum Deo pactum se idololatriae dederint semperque contra Deum rebellarint (9,7-24), ita ut solis Moysi precibus permotus Deus cum eis foedus renovaverit (9,25-10,11).

c.) Demum ad Legis observantiam quum magna caritas, qua Deus eos elegit, summaque eius maiestas eos excitare debent (10,12-22), tum signa, quibus Dominus in Aegypto et in deserto iustitiam ac potentiam suam manifestavit (11,1-12), atque benedictiones obedientibus promissae maledictionesque contumacibus denuntiatae (11,13-32).

II. *Pars specialis summario quodam praecipua filiorum Israel officia complectitur* (12,1-26,19).

1. — *Ab officiis erga Deum initium capitur* (12,1-16,17).

a.) Primum praecipitur, ut idolorum aris destructis uno solo in loco, quem sibi electurus sit, Domino sacrificia offerant (12, 1-14); simul autem, antiquiore lege (*Lev.* 17,1 sqq.) abrogata, permittitur, ut alia animalia mactent et comedant, ubicumque eis placuerit, dummodo a sanguine abstineant (12, 15-32);

b.) deinde cavere iubentur, ne per pseudoprophetas aut per ipsos propinquos vel parentes ab uno vero Deo sese averti sinant, sed potius seductores omnes arcere et apostatas anathemate punire debent (13,1-18);

c.) demum varia eis proponuntur praecepta ad munditiem legalem et cultum divinum spectantia :

Ut nimirum gentilium ritibus vitatis distinctionem ciborum mundorum et immundorum servent (14,1-21);

ut fideles sint in decimis persolvendis (14,22-29), in remissione anni septimi facienda (15,1-18), in animalium primogenitis consecrandis (15,19-23),

ut tria maiora festa statutis temporibus coram Domino celebrent (16,1-17).

2. — *Sequuntur quaedam de officiis vitae publicae quum civilis tum religiosae* (16,18-20,20).

a.) Ad vitam publicam civilem quod attinet,

iudices iustos singulis in civitatibus constituere monentur (16,18-22), qui reos testibus convictos puniant (17,1-7), in ambiguis autem quaestionibus sacerdotum sententiam exquirant (17,8-13);

atque deinde futuri regis, quem sibi post terram occupatam electuri sint, officia exponuntur (17,14-20).

b.) De religiosa porro vita publica eatenus agitur,

quatenus sacerdotum Levitarumque, quia cum reliquo Israel hereditatem terrae non accepturi sint, ius ad partem in sacrificiis et primitiis asseritur (18,1-8),

atque filii Israel magos auguresque ethnicorum consulere vetantur, promissione addita, veros prophetas nunquam eis defuturos, qui certis signis dignosci queant (18,9-22).

c.) Ad civilem deinde vitam revertens Moyses

praecipit, ut civitates refugii sex in terra promissa constituantur, docetque quomodo cum homicida involuntario sit agendum (19,1-13);

terminos quoque propinquorum non esse removendos inculcat (19,14) et testes mendaces iuxta talionis legem mulctandos (19,15-21).

d.) Nonnulla demum addit de bello,

quomodo nimirum ante proelium animi militum per sacerdotem corroborandi sint divino promisso auxilio (20,1-4), quinam ab armis in bello gerendis eximendi sint (20,5-9), qua ratione cum civitatibus, quas expugnare velint, agendum sit et quid in expugnatis facere liceat (20,10-20).

3. — *Tertio in loco varia officia vitae privatae, quae pleraque proximos attingunt, longa serie proponit* (21,1-26,15).

Quoniam vero in eis recensendis certum ordinem non videtur tenuisse, ab eorum enumeratione abstinebimus; id unum monemus, inter ea haud deesse, quae ad vitam publicam religiosam forte rectius trahuntur (uti ea quae agunt de eunuchis, nothis, Ammonitis etc. in sanctum populum non recipiendis 23,1-8, de primitiis ac decimis 26,1-15).

4. — *Brevi exhortatione*, ut foederis sui cum Deo initi memores Legem observent, terminatur secunda concio (26,16-19).

Concio tertia (27,1-30,20) *tota hortatoria est argumentisque constat, quibus obedientia Legi debita commendatur.*

I. *De Lege eiusque sanctione in Palaestina promulgandis* (27,1-28-68).

1. — *Lex cum benedictionibus ac maledictionibus statim post transgressum Iordanem promulgari iubetur* (27,1-26).

a.) Iordanem transgressi in monte Hebal filii Israel lapides erigere debent, quibus Lex inscribatur, atque altare aedificare, in quo Deo holocaustum offerant (27,1-8);

b.) tunc vero senis tribubus in monte Hebal et in monte Garizim constitutis, Levitae benedictiones ac maledictiones, quibus Lex sancitur, promulgent (27,9-26).

2. — *Sanctio Legis accuratius a Moyse proponitur* (28,1-68),

a.) qui primum quidem multiplicia bona recenset, quae Deus tum singulis tum toti populo collaturus sit, si Legem datam fideliter observaverint (28,1-14);

b.) multo diligentius autem gravissimas poenas denuntiat, quas ob violatam Legem Deus in singulos et in totum populum sit immissurus (28,15-68).

II. *Coacervatio argumentorum variorum, quibus filii Israel ad foedus divinum suscipiendum et custodiendum impelluntur* (29,1-30,20)

1. — *Signa in eorum favorem in Aegypto patrata ac beneficia in deserto per quadraginta annos accepta* eos ad observationem mandatorum divinorum quasi cogunt (29,1-15);

2. — *ac similiter poenae violatoribus foederis denuntiatae* eos a Legis transgressione absterrere debent (29,16-29);

3. — quodsi nihilominus Legem transgressi fuerint, ne desperent; Deus eis, quamprimum poenis ad resipiscentiam adducti foederi iterum se subiecerint, nova beneficia conferet (30,1-10);

4. — demum facilem esse observatu Legem considerent (30,11-14) ab eiusque observatione totam suam sortem futuram pendere (30,15-20).

Appendix historica de ultimis Moysi rebus (31,1-34,12), cuius maior pars (inde a 31,9) per Iosue, ut videtur, concionibus a Moyse ipso conscriptis ac toti eius Pentateucho est addita.

I. *Moysi ultima statuta* (31,1-27).

1. — Moyses populum ac Iosue, successorem suum, divino auxilio ad Palaestinam expugnandam promisso, ad fortitudinem exhortatur (31,1-8);

2. — deinde Legem a se conscriptam septimo quoque anno coram universo populo praelegi iubet (31,9-13);

3. — porro iubente Deo Iosue constituit successorem suum et cum eo ultimum suum carmen filios Israel docet (31,14-23);
4. — demum praecipit, ut liber Legis a se conscriptus in sanctuario deponatur, ut sit in testimonium contra Israel (31,24-27).

II. *Ultimum canticum Moysi* (31,28-32,47).

1. — Senioribus cum toto populo congregatis Moyses ultimum suum carmen pronuntiat (31,28-30) :
2. — Brevi exordio (32,1-3) et thematis propositione praemissis (32,4-6)
   primum quidem magna beneficia iam inde ab initio filiis Israel prae reliquis populis collata celebrat (32,7-14),
   deinde vero futuris eorum ingratitudinibus, quasi praesentes eas videat, descriptis (32,15-18), severas quoque poenas, quibus Deus eos sit castigaturus, praedicit (32,19-33),
   demum Deum, quamvis pro iustitia sua populum certo puniturus sit, ei tamen poenitentiam agenti adfuturum eumque ab eius inimicis vindicaturum esse promittit (32,34-43).
3. — Populo autem canticum tradens iterum eum ad Legis custodiam exhortatur, quia ab ea dependeat possessio terrae, in quam ingressuri sint (32,44-47).

III. *Mors Moysi* (32,48-34,12).

1. — Terminato cantico Moyses in montem Nebo ascendere iubetur, ut terram conspiciat, in quam ingressurus non sit (32,48-52);
2. — abiens populo benedicit singulis tribubus futura earum sorte praenuntiata (33,1-29);
3. — in monte autem, conspecta terra, mortuus atque sepultus est (34,1-9).
4. — Brevi Moysi encomio Pentateuchus terminatur (34,10-12).

6. — *Liber Iosue.*

Successori suo Moyses moriens duplex negotium reliquit terminandum; tota quippe Palaestina cis Iordanem sita, quam gentes fortissimae possederunt, vi erat expugnanda atque expugnata inter tribus illas, quae trans Iordanem hereditatem non acceperant, ita erat distribuenda, ut nulla inter filios Israel exoriretur invidia aut discordia. Quomodo Iosue a Deo adiutus duplex hoc negotium ad felicem exitum perduxerit, liber ille narrat, qui eius nomine inscriptus Pentateuchum immediate sequitur eiusque historicam narrationem continuans et complens arcte quidem cum eo cohaeret, opus tamen ab eo plane diversum constituit. Proprium enim LIBER IOSUE habet *argumentum*, quum totus in expugnatione et divisione Palaestinae narrandis versetur, proprium quoque *finem*, quum non tam sicuti Pentateuchus, Dei bonitatem, longanimitatem potentiamque, quam fidelitatem celebret, qua Deus promissiones suas de terra Palaestinae filiis Israel in perpetuam possessionem tradenda implevit, proprium denique *narrandi modum*.

Porro pro duplici argumento liber Iosue in duas partes apte dividitur, quarum *prior* (1,1-12,24) *Palaestinae expugnationem*, *altera* (13,1-22,34) *eius partitionem inter varias tribus* narrat, quibusque pro *epilogo* (23,1-24,33) ultimae Iosuae exhortationes brevisque relatio de eius morte sunt additae.

Pars prior (1,1-12,24) de Palaestinae cisiordanicae occupatione.

Narratio illis rebus gestis potissimum inhaeret, quibus Deum singulari providentia populo suo invigilasse atque miraculis quoque eum adiuvisse clarius demonstratur.

I. *Ingressus in terram promissam et praeparatio ad eam expugnandam* (1,1-5,16)

1. — *Iordane miraculose transiecto filii Israel Palaestinam ingrediuntur* (1,1-4,25).

a.) Divinitus admonitus, ut terram promissam occuparet continuique auxilii divini promissione confortatus (1,1-9) Iosue filiis Israel praecipit, ut se ad ingrediendam terram praeparent (1,10-11), atque tribus Ruben Gad Manasse exhortatur, ut iuxta promissionem suam fratres suos in hac expeditione adiuvent (1,12-18).

b.) Deinde duos viros ad vicinam urbem Iericho explorandam mittit. Qui per Rahab meretricem recepti (2,1-7) et a regis insidiis custoditi ac servati (2,8-21) re feliciter gesta revertentes relatione sua eum permovent, ut statim sese ad hostes aggrediendos accingat (2,22-24).

c.) Quare eadem nocte, qua reversi sunt exploratores, Iosue et filii Israel ad Iordanis ripam progressi ibique tribus diebus commorati, postquam sese sanctificarunt, die 10. mensis 1. ann. 41. post exitum ex Aegypto Iordanem miraculo siccatum transgressi sunt (3,1-17).

d.) In cuius miraculi memoriam duo monumenta, unum in Iordanis alveo, alterum in Galgala, quo in loco filii Israel prima castra cis Iordanem posuerant, Iosue erigenda curavit (4,1-25).

2. — *Israelitae ad bellum cum Chananaeis et ad occupationem terrae sese praeparant* (5,1-16).

a.) Chananaei ob miraculosum Israelitarum transitum magno terrore perculsi eis tempus ad praeparationes suas terminandas reliquerunt (5,1);

b.) hi igitur, quum in deserto peregrinantibus neonatos circumcidere non licuisset, eos circumcidere a Domino iussi sunt (5,2-9); atque hoc praecepto impleto primum pascha in terra promissa celebrarunt et ab ea die cessavit manna in signum finitae peregrinationis (5,10-12).

c). Iosue autem Angeli apparitione confortatus est ad opus strenue aggrediendum (5,13-16).

II. *Expugnatio terrae promissae* (6,1-12,24).

Sola praecipua quaedam facta, in quibus auxilium divinum magis elucebat, ob oculos ponuntur.

1. — *Duas proximas civitates divinitus adiuti Israelitae occupant et destruunt* (6, 1-8,29).

a.) Iericho occupatur (6,1-7,1).

Ad sonum tubarum, postquam sex diebus bellatores una cum sacerdotibus arcam portantibus urbem Iericho circuierunt, septimo die muri ceciderunt (6,1-20).

Ierichuntis incolae omnes, excepta Rahab meretrice cum sua familia, interfecti sunt, urbs integra funditus deleta, omnes eius thesauri in aerarium Domini sunt consecrati (6, 21-25). Illi, qui urbem reaedificare conaretur, Iosue maledixit (6,26. 27).

At unus ex filiis Israel, Achan, ex praeda Deo devota sibi aliquid reservavit (7,1).

b.) Hai occupatur (7,2-8,29).

Primum Israelitae, quum oppidum Hai expugnare conarentur, ab incolis devicti et reiecti sunt (7,2-5) idque propter crimen Achan (7,6-15);

Quo detecto et punito (7,16-26) Iosue divina revelatione confortatus et edoctus (8,1-2) insidiis structis devicit hostes (8,3-23) et oppidum occupatum eodem modo tractavit, quo civitatem Iericho tractaverat (8,24-29).

2. — *Sollemni Legis promulgatione totam terram promissam iam in filiorum Israel possessionem transisse declaratur* (8,30-35).

a.) Urbibus Iericho et Hai deletis Iosue cum toto populo statim, ut Dei praeceptum impleret (*Deut.* 27,5 sqq.), usque ad Sichem, quod oppidum quasi centrum est terrae promissae, progressus in monte Hebal Domino altare erexit holocaustumque obtulit (8,30. 31);

b.) Legem quoque lapidibus inscripsit eamque cum suis benedictionibus et maledictionibus coram toto populo promulgavit, senis tribubus in monte Garizim et in monte Hebal collocatis (8,32-35).

3. — *Gabaonitae subiguntur et Amorrhaeorum reges devincuntur* (9,1-10,27).

a.) Omnibus illis auditis, quae Deus per Iosue fecerat, perterriti reges Chanaanitarum foedus inierunt, ut Israelitas debellarent (9,1-2).

b.) Gabaonitae vero timentes, ne sibi eadem, quae civitatibus Iericho et Hai, sors obtingeret, dolo Iosuen seduxerunt, ut Domino non interrogato secum foedus pangens iureiurando sibi salutem promitteret (9,3-15).

At dolo detecto vivi quidem servati sunt, sed ministerio populi et altaris Domini in perpetuum addicti (9,16-27).

c.) Rex porro ierosolymitanus aliique quatuor reges amorrhaei, quum Gabaonitas ob eorum defectionem aggressi essent (10, 1-5), a Iosue divinitus confortato et adiuto, qui eo die solem stare iussit, plane sunt devicti (10,6-14), quin etiam ipsi occisi et in patibulum suspensi (10,15-27).

4. — Quibus aliquantulum fusius narratis *brevi conspectu reliquae terrae occupatio proponitur* (10,28-11,23).

a.) Variis belli expeditionibus contra Macedam, Lebna, Lachis etc. tota terra meridionalis occupata est (10,28-43);

b.) partis autem septemtrionalis reges devicti sunt prope aquas Merom (11,1-9) terraeque eorum subiugatae (11,10-20).

c.) Quibus peractis Iosue etiam Enacim in parte meridionali delevit (11,21-23).

5. — *Epilogus prioris huius partis* unum et triginta reges enumerat, quos filii Israel, ducibus Moyse et Iosue, partim trans Iordanem (12,1-6) partim cis Iordanem devicerunt (12,7-24).

ALTERA PARS (13,1-22,34) DE TERRAE PROMISSAE PARTITIONE INTER FILIOS ISRAEL.

I. *Terrae transiordanicae partitio a Moyse iam facta* (13,1-33) velut introductio quaedam praemittitur, ut Iosuae ratio agendi melius intelligatur ac totius terrae divisio uno conspectu proponatur.

1. — *Iosue* igitur *terram cisiordanicam tribubus novem et dimidiae distribuere iubetur,* quamvis nondum integra sit occupata, uti ex finium eius descriptione apparet (13,1-7).

2. — *Cur vero inter tribus novem et dimidiam tantum eam dividi velit, Deus explicat*

a.) primum quidem transiordanicam terram tribubus Ruben, Gad ac dimidiae Manasse per Moysen iam datam esse in memoriam revocans (13,8) eamque quum secundum universos suos fines (13,9-14) tum secundum singulas partes tribubus Ruben (13,15-23), Gad (13,24-28), dimidiae Manasse (13,29-32) attributas describens,

b.) ac deinde monens tribum Levi partem continuam non esse accepturam (13,33).

II. *Distributio terrae cisiordanicae* (14,1-19,51).

1. — *Inscriptio huius partis* monet omnia (quod ad personas dividentes attinet, modum divisionis, terram divisam, tribus, quibus distributa est) facta esse secundum praeceptum Moysis (14,1-5; cfr *Num.* 34).

2. — *Pars familiae Caleb et tribui Iudae addicta* (14,6-15,63).

a.) Antequam sors mitteretur, Caleb accedens a Iosue petiit, ut sibi illa pars attribueretur, quam iam quadraginta quinque annis antea apud aquas contradictionis Moyses sibi promisisset petitionique statim annuens Iosue dedit ei Hebron in possessionem (14,6-15).

b.) Tribui Iudae, cui Caleb accensebatur, sorte attributa est regio circum Hebronem sita, cuius fines describuntur (15,1-12), et postquam complementi gratia Calebum Hebronem accepisse et Debir vi expugnasse iterum est narratum (15,13-19), singulae civitates secundum quatuor regionis partes (15,21-32; 33-47; 48-60; 61-63) enumerantur.

3. — *Sors filiorum Ioseph* (16,1-17,18).

a.) Secundo in loco filii Ioseph, Ephraim et Manasse, suam sortem acceperunt, cuius fines meridionales indicantur (16,1-4);

b.) partis Ephraim accuratius determinantur fines septemtrionales, quibus a sorte Manasse separabatur (16,5-10).

c.) Manasse autem praeter Galaad et Basan in regione transiordanica etiam suam partem accepit cis Iordanem, eaque inter decem familias Manasse divisa est (17,1-13).

d.) Filii Ioseph demum, quum conquererentur, quod nimis parva esset pars ipsis attributa, a Iosue admoniti sunt, ut debellatis Chananaeis ampliorem sibi expugnarent (17,14-18).

4. — *Sortes septem reliquarum tribuum* (18,1-19,48).

a.) Tabernaculo foederis in oppidum Silo translato reliquae tribus, quae in sedibus figendis desides fuerant, viros aliquos eligere iussae sunt, qui reliquam terram describerent et in septem partes distribuerent (18,1-7). Quo facto Iosue in Silo sortem misit super istas partes (18,8-10).

b.) Atque prima sors cecidit tribui Benjamin media inter Iudam et Ephraim (18,11), cuius sortis termini (18,12-20) et civitates (18,21-28) enumerantur. Secunda sors cecidit filiis Simeon in medio possessionis filiorum Iuda, eiusque civitates tantum nominantur (19,1-9). Tertia sors tribui Sabuloni, cuius soli termini indicantur (19,10-16), quarta Issachar, cuius iterum solae civitates nominantur (19,17-23), quinta Aser, cuius denuo dumtaxat termini indicantur (19,24-31), sexta Nephthali, cuius et termini et civitates nominantur (19,32-39), ultima demum filiis Dan, qui possessione sua in meridie non contenti in septemtrione alteram expugnaverunt (19,40-48).

5. — Omni divisa regione *Iosuae assignata est possessio* in monte Ephraim, atque ita totum divisionis negotium terminatum est (19,49-51).

III. *Urbium refugii et civitatum levitarum definitio* (20,1-22,34).

1. — *Urbes refugii* iuxta praeceptum a Deo datum (20,1-6) sex constituuntur, ternae in terra cisiordanica et trans Iordanem (20,7-9).
2. — Praeter sex urbes refugii iuxta Dei praeceptum (*Num.* 35,6) *Levitis quadraginta duae aliae civitates attribuendae erant.*
   a.) Petentibus igitur principibus familiarum Levi sorte definitum est, quibus in tribubus singulae ex quatuor familiis Levitarum suas civitates sint accepturae (21,1-8).
   b.) Enumerantur deinde tredecim civitates filiorum Aaron in tribubus Iuda, Simeon, Beniamin (21,9-19), decem filiorum Caath in Ephraim, Dan, Manasse cisiordanica (21,20-26), tredecim filiorum Gerson in Manasse transiordanica, Issachar, Aser, Nephthali (21,27-33), duodecim filiorum Merari in Sabulon et trans Iordanem (21,34-40).
3. — Completum igitur erat omne, quod Deus de tradenda terra promiserat (21,41-43); quare dimisit Iosue tribus transiordanicas, quae in occupanda terra auxilium suum praestiterant (22, 1-9).

   Quum vero iuxta Iordanem altare exstruxissent, reliquae tribus timentes, ne fratres sui a veri Dei cultu descivissent, legatis missis huius rei causam inquisiverunt; iusta autem excusatione accepta quieverunt (22,10-34).

In epilogo (23,1-24,33) refertur

1. — Iosuen brevi ante mortem suam convocatos filios Israel ad Dei mandata observanda vitandamque gentium societatem exhortatum esse (23,1-16),
2. — atque iterum sollemni in concione prope Sichem commemoratis Dei beneficiis foedus populi cum Deo renovasse (24,1-28).
3. — Brevis demum de morte sepulturaque Iosue, de ossibus Ioseph in Sichem tumulatis, ac de morte Eleazari, Aaronis filii, narratio librum terminat (24,29-33).

7. — *Liber Iudicum.*

Iudicum nomine in sacra historia viri illi insigniuntur, qui post Iosuae mortem usque ad Saulem a Domino suscitati aut toti populo Israel aut uni alterique tribui praeficiebantur, ut contribules suos ob divini foederis violationem in gentium finitimarum potestatem traditos a dura servitute liberarent et ad Legem revocatos sua reipublicae administratione in veri Dei cultu ac servitio continerent et promoverent. Iam ab his viris opus, quod septimum in canone locum occupat, nomen suum libri Iudicum traxit, quia « eorum res gestas ac vitae tempus describit » (*Ps. Athan.*). Neque tamen eius auctorem, quem Samuelem prophetam fuisse multi recte tenent, continuam aut completam eorum historiam conscribere vo-

luisse putandum est; namque ut suae aetatis homines ad fidelem Legis divinae observationem exhortaretur, pauca praecedentis aetatis facta sibi narranda elegit, quibus Dominum semper magna cum sollicitudine foederi, quod cum filiis Israel pepigit, invigilasse demonstraret. Hinc sex tantum praecipuorum Iudicum res quasdam praeclare gestas plenius atque uberius narrans potissimum in eo versatur, ut una ex parte gravissimis indicatis poenis, quas praecedentibus saeculis filii Israel vitiis suis ac maxime sua idololatria sibi frequenter attraxerunt, et altera ex parte divino descripto auxilio, quod poenitentibus et ad Dominum suum revertentibus nunquam defuit, tota illa aetate apud eos « alternavisse ostendat et humilitates laborum pro eorum peccatis et prosperitates consolationum propter miserationem Dei » (*S. Aug.*).

Ea autem est libri structura, ut post satis longum *exordium* (1,1-3,6) quo auctor, ut sequentes narrationes melius intelligantur, statum populi politicum et religiosum, qui tempore Iudicum fuit, paucis delineat operisque finem indicat, tres partes distinguantur, quae tribus periodis aetatis Iudicum correspondent et quasi introducuntur tribus comminationibus, quibus Dominus populum a foederis violatione absterruit. Primam comminationem, quae utpote sollemnior ipsi exordio inserta est totumque libri characterem definit (2,1 sqq.) secutae sunt invasio Chusan (3,8), dominatio Moabitarum in partibus meridionalibus (3,12) et Chananaeorum in septemtrionalibus partibus (4,1); ei igitur respondet *prima periodus* aetatis Iudicum et *prima pars libri* (3,7-5,32). Secunda porro comminatio (6,7 sqq.), quae tempore oppressionis madianiticae per prophetam facta est, ad *alteram periodum* pertinet librique *partem secundam* (6,1-10,5) introducit. Tertia autem (10.10 sqq.) ad dominationem Ammonitarum in terra transiordanica et Philisthaeorum in terra cisiordanica respicit; ad *tertiam periodum* ergo referenda est et *tertiam partem* libri (10,6-16,31) regit. *Duae* demum *appendices* (17,1-18, 31; 19,1-21,24), quae internum quoque populi statum tribuumque unionem cultu idolorum et corruptione morum turbari ostendunt, totum librum terminant.

EXORDIUM (1,1-3,6) *quaedam de Israelitarum statu politico et religioso ac de auctoris fine tradit.*

1. — *In priore particula conditio politica reipublicae describitur*, qualis immediate post Iosuae mortem fuit (1,1-36).

a.) Bellum contra Chananaeos Iosua duce inchoatum post eius mortem Israelitae, praeeunte tribu Iuda, per aliquod tempus continuasse referuntur (1,1-7), atque hac occasione in memoriam revocatur, quae praeclara filii Iuda iam antea gesserint (1,8-20);

b.) contra vero reliquas tribus Beniamin (1,21), Ephraim et Manasse (1,22-29), Zabulon, Aser, Nephtali (1,30-33) et Dan (1, 34-36) ob suam desidiam Chananaeos non exterminasse non sine eorum pudore additur.

2. — *In altera particula religiosus rerum status describitur et finis libri indicatur* (2,1-23).

a.) Transit auctor ad hanc particulam apparitione Angeli Dei narrata, qui populum ob inobedientiam, eo quod Chananaeos

non exterminaverit et idola eorum non destruxerit, graviter vituperat minisque suis ad pium fletum poenitentiamque commovet (2,1-5).

b.) Indicato porro felici statu religioso, qui immediate post Iosuae mortem fuit, viventibus adhuc senioribus, qui magnalia Dei ipsi conspexerant (2,6-10)[a], continuam illam, quae postea exorta est, idololatriae et poenitentiae alternationem atque utriusque sequelas depingit (2,11-23).

3. — Utramque demum particulam paucis verbis comprehendens gentes ab Israelitis relictas enumerat, atque periculum ab illis populo imminens declarat (3,1-6).

PRIMA PARS (3,7-3,32) *enarrat afflictiones et liberationes, quae primam comminationem ab Angelo factam consecutae sunt.*

1. — *Chusan regis Mesopotamiae invasioni* OTHONIEL *finem facit* (3,7-11)

Dominus filios Israel propter idololatricum eorum cultum in manus Chusan regis Mesopotamiae tradidit per octo annos (3,7. 8); poenitentibus autem suscitavit Othoniel ex tribu Iuda, qui Chusane devicto eis quietem quadraginta annorum paravit 3, 9-11).

2. — *Ab oppressione madianitica per* AOD *liberantur* (3,12-30).

Propter iteratam idololatriam Israelitae in manus Eglon, regis Moabitarum, traditi sunt, qui eos octodecim annis oppressit (3,12-14);

postquam vero poenitentes clamaverunt ad Dominum, salvatorem nacti sunt Aod ex tribu Beniamin, qui regem dolo occidit (3,15-25) Moabitasque fugavit (3,26-29); et quievit terra octoginta annis (3,30).

3. — SAMGAR occidit sexcentos *Philisthaeos* (3,31).

4. — *Liberatio a Iabin rege Chanaan per* DEBBORAM *et* BARAC.

a.) Israelitae post mortem Aod denuo peccantes traduntur in servitutem Iabin, regis Chanaan, a quo per viginti annos vehementer afflicti ad Deum se convertunt (4,1-3).

b.) Qui precibus eorum exauditis per *Debboram,* prophetissam

(*a*) Qui exordii contextum versibus 2,6-10, qui iisdem fere verbis iam *Ios.* 24,28-31 leguntur, insertis turbari conqueruntur, eos hic ex libro Iosue aptissime ad increpationem Angeli et populi poenitentiam explicandam repeti non satis perpendunt. Clarior fit contextus, si separatas sententias hebraicas in unam periodum coniungimus et particulas hebraico more praetermissas vel potius solo *Vav copulativo* expressas supplemus. Primum ergo Vav non cum Vulgata per illativam sed per causalem coniunctionem reddens lege « Postquam enim Iosue filios Israel dimiserat, servierant quidem Domino...: mortuo autem Iosua... et tota illa generatione congregata ad patres suos, alii surrexerunt, qui non noverant Dominum et opera, quae fecerat cum Israel. Fecerunt ergo filii Israel malum in conspectu Domini » etc.

et Iudicem, mandat *Barac*, ut filios Israel ducat contra Sisaram, regis Iabin principem exercitus (4,4-9);

c.) accitis autem militibus tribuum Zabulon et Nephtali Barac una cum Debbora magnam cladem hostibus infert (4,10-16); Sisara autem per Iahel, mulierem cinaeam, dolose interficitur (4,17-24).

d.) Magnifico carmine Debbora et Barac hanc victoriam (5,1-22) et mulieris cinaeae fortitudinem celebrant (5,23-31).

e.) Quievit autem terra per quadraginta annos (5,32).

ALTERA PARS (6,1-10,5) *madianiticam oppressionem a Gedeone repulsam narrat, filium vero eius Abimelech,* qui sibi ipse gubernium arrogaverat, *misere pereuntem ostendit.*

1. — *Madianitae oppressores a* GEDEONE *repulsi* (6,1-8,28).

a.) Post nova peccata Israelitae per septem annos a Madianitis opprimuntur (6,1-6) et ad Deum clamantes ob continuam suam ingratitudinem per prophetam increpantur (6,7-10).

b.) Nihilominus Deus populi sui miseratus angelo misso Gedeonem vocat, ut filios Israel a Madianitis liberet (6,11-16), atque variis signis se ei in hoc bello adfuturum esse ostendit (6,17-24. 25-32. 33-40).

c.) Quibus confortatus et a Deo edoctus Gedeon ex toto suo exercitu trecentos dumtaxat milites retinet (7,1-8), quibuscum copias madianiticas fugat (7,9-23).

d.) Ephraimitas tardius in auxilium vocatos ideoque conquerentes lenibus verbis placat (7,24-8,3); viros autem Succoth et Phanuel, quia militibus suis panes negaverant, post victoriam castigat (8,4-17) principesque Madianitarum interficit (8,18-21).

e.) Victor regressus Gedeon ab Israelitis invitatus, ut eorum esset rex, abnuit quidem (8,22. 23), sed sibi ex praeda postulat aureas Madianitarum inaures, ex quibus Ephod fecit, quod populo et ipsi factum est in ruinam (8,24-27).

f.) Devictis Madianitis « quievit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon praefuit » (8,28).

2. — *Gedeonis vero filius Abimelech, qui iudiciariam potestatem velut hereditariam usurpavit, misere periit* (8,29-9,57).

a.) Ex septuaginta Gedeonis filiis (8,29-32) post eius mortem, quum Israelitae denuo idololatriae se tradidissent (8,33-35) unus, Abimelech, a Sichemitis adiutus, occisis fratribus omnibus praeter Ioatham minimum natu (9,1-6), regnum usurpavit, frustra dissuadente Ioatham (9,7-21).

b.) Mox autem rebellantibus Sichemitis exortum est bellum cum Abimelech (9,22-29), qui civitatem cepit et destruxit

(9,30-45), turremque Sichimorum igne delevit (9,46-49).

c). Brevi post autem Abimelech, quum oppidum Thebes obsideret, a muliere occisus est, atque ita Deus malum punivit, quod ille et Sichemitae fecerant (9,50-57).

3. — Post Abimelech *iudicaverunt filios Israel* THOLA viginti tribus annis 10,1. 2) et IAIR viginti duobus annis (10,3-5).

TERTIA PARS (10,6-16,31) *de dominatione Ammonitarum in orientales et Philisthaeorum in occidentales tribus agit.*

1. — *Israelitae*, quum peccatis veteribus iungerent nova, *in manus Philisthiim et Ammonitarum traduntur;* poenitentibus Dominus ingratitudinem opprobrat quidem, sed misericordia commotus iterum eos adiuvat (10,6-16).

2. — *Bellum contra Ammonitas a* IEPHTE *feliciter gestum* 10,17-12,6).

a.) Ammonitis novam expeditionem molientibus terramque transiordanicam invadentibus (10,17-18) Galaaditae Iephten, quem antea exsilio mulctaverant, ducem sibi constituerunt (11,1-10).

b.) Qui primum quidem, consulto Domino, per legatos rem cum Ammonitis componere conatus est (11,11-27);

c.) deinde vero quum audire nollent, a Spiritu Domini confortatus magnam eis intulit cladem (11,28-33);

victor autem domum reversus pro voto, quod ante pugnam emiserat, unicam filiam, quae prima ei occurrit, Domino (perpetua virginitate) consecravit (11,34-40).

d.) Ephraimitas quoque, eo quod ad bellum evocati non essent, iniuste contra ipsum insurgentes ingenti caede prostravit (12,1-6).

3. — *Iephten*, qui sex annis filios Israel (transiordanicos) iudicavit (12,7), *secuti sunt velut Iudices* ABESAN septem annis, AHIALON decem annis, ABDON octo annis (12,8-15).

4. — *Israelitae, quum peccare pergerent, per quadraginta annos traditi sunt in manus Philisthaeorum, quibus* SAMSON *multa magnaque detrimenta* intulit (13,1-16,31).

a.) Samsonis nativitas matri (13,1-7) ac deinde patri eius praedicitur ab Angelo Dei (13,8-23); nato autem benedixit Dominus et Spiritus Domini erat cum eo (13,24. 25).

b.) Quum uxorem philisthaeam duxisset (14,1-9) et in convivio problema de dulcedine, quae egressa esset de forti, proposuisset (14,10-14), triginta Philisthaeos occidit, ut eorum vestes daret iuvenibus, qui ab uxore sua adiuti problema solverant (14,15-19).

c.) Iratus eo quod eius uxor alteri nupserat (14,20) segetes Phi-

listhaeorum incendit magnamque cladem eis intulit (15,1-8) atque maiorem paullo post, quum a tribu Iuda vinctus Philisthaeis esset traditus (15,9-19). Iudicavit autem Israel in diebus Philisthiim viginti annis (15,20).

d.) In oppido Gaza a Philisthaeis inclusus portam urbis in montem transtulit (16,1-3); tandem vero a Dalila, altera sua uxore chananaea dolo circumventus et una cum coma viribus suis privatus in hostium manus incidit; qui oculos ei effoderunt et ludibrio eum habuerunt (16,4-21); sed postquam cum coma pristinas vires recepit, tria millia Philisthaeorum secum ipso ruinis templi Dagonis oppressit (16,22-31).

Appendices duae (17,1-21,24) *docent, quantopere eo tempore internus quoque reipublicae israeliticae status idolorum cultu et morum corruptione sit pessumdatus.*

1. — *Idoli cultus a tribu Dan publice invectus atque diu retentus* (17,1-18,31).

a.) Ultimo iam Iosuae tempore (quum rex in Israel non esset et unusquisque quod rectum ipsi videbatur faceret), Ephraimita quidam, Micha nomine, impulsus a matre sibi idolum in domo sua fecit (17,1-5) et praetereuntem Levitam pretio conduxit, ut sibi esset sacerdos (17,6-13).

b.) Danitae autem aliqui, qui alias sedes sibi quaerebant, idolum una cum sacerdote vi abstulerunt (18,1-26), civitatem Lais expugnaverunt et destruxerunt eiusque in loco novam exstruxerunt, quam ex nomine patris sui vocaverunt Dan, et in qua idololatriam exercuerunt toto illo tempore, quo domus Dei erat in Silo (18,27-31).

2. — *Ob morum corruptionem suam fere universa tribus Beniamin exterminatur* (19,1-21,24).

a.) Gravissimo facinore in uxorem alicuius Levitae commisso incolae Gabaa iustam excitaverunt totius fere Israel indignationem (19,1-30).

b.) Itaque reliquae tribus convenientes a tribu Beniamin postulaverunt, ut sibi rei traderentur (20,1-13); abnuentibus autem Beniaminitis intulerunt bellum, quod non terminatum est nisi universa fere tribu Beniamin deleta (20,14-48).

c.) Sexcentis tamen Beniaminitis, ne una ex duodecim tribubus prorsus interiret, permissum est, ut ex aliarum tribuum virginibus uxores sibi raperent (21,1-24).

8. — *Liber Ruth.*

A mulieris moabiticae, cuius filialem pietatem a Domino summis beneficiis decoratam esse refert, vocabulo opusculum illud nomen LIBRI RUTH sortitum est, quod hodie nostris in Bibliis librum Iudicum sequitur, primitus autem apud Hebraeos eiusdem pars quaedam fuit. Atque revera illud eidem velut complementum et tertiam appendicem recte adiungi fatebitur, quicumque ad illius argumentum et finem animadverterit. Etenim privatorum quoque hominum virtutes et conversionem ad Deum ipsis et reipublicae multa bona afferre docet, sicut duae hodiernae appendices libri Iudicum probant, privatorum aversionem a Deo et scelera ipsis et reipublicae maximo esse detrimento. Omnes tres ergo coniunctae fini totius libri congruunt, quippe qui populi Israel non minus prospera quam adversa pro divinae Legis observatione ac violatione alternasse, factis historicis demonstrare vult.

1. — *Ruth Moabitidis pietas filialis erga Noemi socrum suam* (1,1-2,7).
   a.) Iudicum tempore Elimelech quidam de Bethlehem cum uxore Noemi et filiis Mahalon et Chelion fame exorta in Moabitarum terram confugere coactus est, ibique ipse et filii eius, qui uxores moabitidas duxerant, mortui sunt (1,1-5).
   b.) Noemi igitur in patriam reverti statuentem ambae quidem nurus sequi voluerunt (1,6-9), sed Orpha precibus socrus obsecuta in Moabitide remansit (1,10-14) ac sola Ruth, quum ne iteratis quidem precibus adduci posset, ut pauperem senescentemque matrem viri sui relinqueret, cum ea in Bethlehem advenit (1, 15-22).
   c.) Ibi autem Ruth, ut eam sustentaret, messis tempore spicas a messoribus relictas colligere coepit idque, Deo ita disponente, in agris Booz, divitis cuiusdam Bethlehemitae, qui de familia Elimelech erat (2,1-7).
2. — *Praemia filiali pietati Ruth divinitus attributa* (2,8-4,22).
   a.) Praeprimis Ruth gratiam invenit apud Booz, qui audierat, quae socrui suae fecisset et quod sub alas Domini confugisset; quapropter ab eo benigne toto messis tempore tractata est, ita ut multum frumenti et de ciborum reliquiis socrui laetanti offerre posset (2,8-23).
   b). Illa autem hortante deinde a Booz petiit, ut tamquam cognatus iuxta leviratus legem ipsam in matrimonium duceret (3,1-9); atque hic precationi annuens (3,10-18), postquam alter propinquus de iure suo propiore decessit (4,1-7), agrum Elimelech emit ac toto populo acclamante Rutham uxorem duxit (4,8-12).
   c.) Ex Ruth autem Booz genuit filium Obed, qui fuit avus Davidis regis (4,13-22).

II. — Libri historiam israeliticam usque ad Nehemiae aetatem narrantes.

9. — *Libri primus et secundus Samuelis, quos nos primum et secundum Regum dicimus.*

Quoniam quatuor libri, qui in canone libros Iudicum et Ruth excipiunt, de regum israeliticorum rebus gestis a primi (Saulis) electione usque ad ultimi (Iechoniae) exsilium tractant, alexandrini interpretes eos titulo *quatuor librorum Regum*, quasi unum essent opus, comprehenderunt. Re tamen duo diversa opera constituunt, quae non tantum diversis auctoribus debentur, sed etiam toto suo argumento, fine, tractandi modo inter se plurimum differunt. Id antiqua quoque Hebraeorum exemplaria produnt, in quibus duo priores libri velut opus completum titulo *Samuel* a duobus posterioribus, quos coniunctos inscribunt *Reges* distinguuntur, atque idem Vulgata nostra cum S. Hieronymo titulis, quos singulis libris praefigit, haud obscure approbat; quare hanc distinctionem retinentes separatis paragraphis synopses eorum proponemus.

Libri Samuelis hoc titulo sunt insigniti, quia Samuel, Iudex et propheta, tota illa aetate de qua agunt quasi primas partes egisse credebatur; in eius ipsius quippe duorumque regum, Saulis et Davidis, ab eo unctorum rebus tradendis potissimum versantur. Neque tamen completam illorum historiam in eis quaerere licet. Auctor enim, quem prophetam quendam tempore Roboami degentem fuisse multi haud improbabiliter coniiciunt, throni aeterni in davidica domo fundatione et confirmatione narrata potissimum Dei, qui iam per Iacob morientem tribui Iuda sceptrum nunquam auferendum promiserat, fidelitatem demonstrare sibi proposuit. Itaque *David primus rex ex tribu Iuda divinitus vocatus, praeparatus, in thronum elevatus in eoque confirmatus* recte dicitur primarium operis thema, ad quod omnia referuntur. Nihil autem vetat, quominus auctorem praecipuis quibusdam rebus gestis Saulis et Davidis narratis simul speculum quoddam Roboamo eiusque successoribus proposuisse dicamus, quo quid vitandum quidque agendum esset discerent, ut aeterno throno digni viverent.

In tres autem partes, si ad argumentum et finem attendimus, totum opus recte distribuemus; *prima* enim (I. — 1,1-7,17) *virum illum nobis describens, Samuelem dico, quo Deus velut instrumento in throno aeterno fundando usus est*, quasi introductoria est; *altera* deinde (I. — 8,1-31,13) *praeparationem fundationis regni aeterni*, atque *tertia* demum (II. — 1,1-20, 26) *eius fundationem ipsam et confirmationem enarrat*. Quatuor vero ultima capita pro *epilogo* (II. — 21,1-24,25) sunt addita, ut historia fundationis singularibus quibusdam factis illustretur et confirmetur.

PARS PRIMA INTRODUCTORIA (I. 1,1-7,17) *vitam adumbrat Samuelis, Iudicis et prophetae, quem Deus suscitavit vocavitque, ut aeterni throni davidici fundamentum poneret.*

I. *Samuel Israelitis divinitus suscitatur* (1,1-3,21).

1. — *Samuelis nativitas et consecratio* (1,1-2,11).

a.) Anna, uxor Elcanae Levitae, quum ob sterilitatem suam ab aemula despiceretur, precibus a Deo sibi filium efflagitat, quem se totum Domino consecraturam esse promittit (1,1-18).

b.) Voti compos facta filiolum sacerdoti Heli tradit, ut in sanctuario Domino ministret (1,19-28),

c.) et magnifico cantico Deo gratias agens filii sui relationem ad futurum regem et Messiam praenuntiat (2,1-11).

2. — *Samuelis pia pueritia* (2,12-36).

a.) Filiis Heli sacerdotis vitam vitiis deditam agentibus ipsumque cultum divinum polluentibus (2,12-17), Samuel tam fideliter in sanctuario ministrat, ut Dominus propter eum parentibus eius benedicat (2,18-21);

b.) Heli sacerdoti autem, quum filios suos non nisi molliter corriperet (2,22-26), eiusque domui divinitus per prophetam gravis poena denuntiatur (2,27-36).

3. — *Samuelis vocatio ad munus propheticum* (3,1-21).

a.) Iuvenis in sanctuario noctem peragens prima dignatur divina manifestatione (3,1-10) gravemque revelationem contra Heli eiusque domum recipit (3,11-18);

b.) deinde vero paullatim toti populo innotescit tamquam fidelis propheta Domini (3,19-21).

II. *Samuel liberator et reformator populi Israel* (4,1-7,17).

1. — *Maximum reipublicae discrimen propter peccata domus Heli atque populi universi* (4,1-7,1).

a.) Bello exorto cum Philisthaeis Israelitae arcam foederis in castra arcessunt (4,1-9); sed caeduntur, arca a Philisthaeis capitur, duo filii Heli occiduntur, Heli ipse his auditis corruens occumbit et nurus eius in partu moritur (4,10-22).

b.) Deus vero populi sui haud oblitus arcam Philisthaeis in ruinam vertit (5,1-12); quare eam cum donariis reddunt (6,1-18);

c.) Bethsemitae porro, quia eam non debite tractant, gravi clade puniuntur et arca in Gabaa transfertur (6,19-7,1).

2. — *Populi conversio et victoria* (7,2-17).

a.) Samuelis admonitionibus Israelitae ad Dominum sincere sese convertunt (7,2-6),

b.) ac deinde propheta pro eis ad Dominum precante tantam cladem hostibus infligunt, ut toto eius tempore contra Israel non amplius invaluerint (7,7-14);

c.) Samuel autem per totam terram munere Iudicis magna cum fidelitate functus est (7,15-17).

SECUNDA PARS (I. 8,1-31,13) *Saulis reiectione Davidisque electione enarratis praeparationem regni aeterni in domo davidica exponit.*

I. *Postulantibus filiis Israel Saul datur primus rex, sed mox ob inobedientiam suam velut regno indignus a Domino reiicitur* (8,1-15,35).

1. — *Rex a filiis Israel sibi postulatus* (8,1-22).

1.) Samuelis meritis non obstantibus seniores populi, eo senescente filiisque eius, quos in muneris sui partes assumserat, ad avaritiam iniustitiamque declinantibus, postulant ut sibi rex praeficiatur (8,1-5);

2.) Samuel reluctans eis durum regum iugum ante oculos ponere (8,6-18), et quum nihilominus petitioni suae pertinaciter inhaererent, promittere a Domino iubetur, se eam esse impleturum (8,19-22).

2. — *Saulis primi regis privata ac publica inauguratio Samuelisque abdicatio muneris iudiciarii* (9,1-12,25)

1.) Saulis privata unctio (9,1-10,16).

a.) Saul, filius Cis, Beniaminita, quum exisset, ut patris sui asinas quaereret, a Domino Samueli revelatur rex ungendus (9,1-24);

b.) privatim igitur a propheta ungitur (9,25-10,1),

c.) atque trium signorum ab eodem praedictorum(10, 2-7) eventu certior redditur, se a Domino esse electum et se mandatum prophetae (10,8) debere implere (10,9-16).

2.) Saulis publica inauguratio et approbatio (10,17-11,15).

a.) Itaque convocato populo in Maspha Samuel annuntiat, Dominum eis regem esse daturum (10,17-19); sorte autem missa Saul, qui se absconderat, designatur et a populo rex salutatur (10,20-24).

b.) Quibus peractis lex regni a Samuele describitur (10,25), at pars filiorum Israel Saulem respuit (10,25-27);

c.) brevi tamen post, quum novus rex Ammonitas terram invadentes profligasset (11,1-11), ab universo populo Saul rex est approbatus (11,12-15).

3.) Samuelis abdicatio (12,1-25).

a.) Novo igitur rege approbato Samuel coram populo muneris sui gesti rationes reddit (12,1-5),

b.) fervidaque concione omnes exhortatus, ut Domino adhaererent (12,6-17), pollicitusque se in posterum quoque eorum curam habiturum, regi simul et populo, si peccaturi sint, interitum praedicit (12,18-25).

3. — *Duplex Saulis domusque eius reiectio ob duplicem inobedientiam* (13,1-15,35).

1.) Prior Saulis inobedientia et reiectio domus eius (13,1-14).

a.) Philisthaeis post cladem a Ionathan filio Saulis acceptam (13,1-4) magno cum exercitu Palaestinam invadentibus, Saul filios Israel in Galgala convocat (13,5-7);

b.) quoniam vero convocati ob hostium timorem dilabi coeperunt, Domini praecepto (cfr 10,8) spreto prophetaeque adventu non exspectato holocaustum ipse offert; quapropter a Samuele adveniente iam nunc reiectio domus eius annuntiatur (13,8-14).

2.) Saul divinis beneficiis ad poenitentiam se adduci non sinit (13,15-14,52).

a.) Deo quippe auxilium praestante bellum philisthaeum, quamvis Israelitis arma deessent (13,15-23), feliciter est gestum; etenim Ionathae virtute hostes sunt caesi (14,1-23) atque Ionathae vita, quam Saul inconsiderato suo voto periculo maximo exposuerat, populi precibus servata est (14,24-46).

b.) Alia quoque bella Saul, confirmato regno, contra finitimas gentes feliciter gessit atque numerosa erat eius posteritas (14,47-52), ita ut de regno in sua domo continuando bene sperare posse videretur.

3.) Saulis altera inobedientia et altera reiectio (15,1-35).

a.) Deus per Samuelem Sauli praecepit, ut Amalecitas omnes plane deleret (15,1-3);

b.) itaque Saul Amalecitas aggressus feliciter quidem rem gessit, at optima quaeque Amalecitarum sibi reservavit (15,4-9);

c.) quapropter secundo reprobatus et ipse quoque (uti eius domus) a regno reiectus est (15,10-23) neque a Domino in gratiam receptus, quando praeceptum Domini rege Amalecitarum occiso implere voluit (15,24-35).

II. *In Saulis reiecti locum David a Domino electus et per Samuelem privatim unctus multis aemuli sui persecutionibus in fiducia Dei confirmatur et ad regnum occupandum praeparatur* (16, 1-31,13).

1. — *Davidis initia* (16,1-18,9).

a.) Saule reprobato Samuel a Deo iussus Davidem, Iesse filium natu minimum, regem ungit super Israel (16,1-13).

b.) Paullo post autem David in aulam Saulis, quem reiectum spiritus malus invaserat, saepius est arcessitus, ut regis animum, quoties turbaretur, cytharae pulsu leniret (16,14-23).

c.) Novo interea bello philisthaeo exorto, quum Israelitae a Goliath provocati eum aggredi non auderent (17,1-11), David qui fratres suos invisurus in castra venerat (17,12-20) audita Philisthaei provocatione (17,21-30) sese ad singulare cum eo certamen Sauli obtulit (17,31-39) eumque prostravit et occidit (17,40-51), unde reliqui Israelitae animum capientes exercitum hostium vicerunt (17,52-54).

d.) Quo facto David Saulis quidem, qui propter praemium victori promissum in eius familiam inquisiverat (17,55-58), invidiam odiumque, Ionathae autem amicitiam sibi attraxit (18,1-9).

2. — *Saul multis insidiis Davidem persequitur* (18,10-27,12).

1.) Vexationes Davidis in aula regia degentis (18,10-19,17).

a.) Saul, quum Davidem coram se cytharizantem lancea transfigere frustra tentasset (18,10-12), prius nuptiis cum filia sua maiore Merob praetextis (18,13-19), deinde filia minore Michol ei promissa magnis periculis in bello eum exposuit (18,20-30).

b.) Postea filium et amicos suos ad eius necem provocare (19,1-7) et iterum lancea eum confodere conatus (19,8-10) domi latentem per satellites occidere volens eum coegit, ut aulam relinqueret (19,11-17).

2.) Davidis fugitivi pericula (19,18-27,12).

a.) Primum David ad Samuelem se recepit, apud quem Saul eum frustra quaesivit (19,18-24); deinde postquam Ionathan patrem amicumque reconciliare incassum tentavit (20,1-42), ad sacerdotem Achimelech in Nobe (20,43-21,9), indeque ad regem philisthaeum Achis in Geth fugit; a quo non receptus (21,10-15) in terram Iuda reversus est, ut parentes suos regi moabitico commendaret (22,1-5). Interea Saul sacerdotes in Nobe occidi iussit, quia Achimelech Davidem recepisset (22,6-23).

b.) In terra postea Iuda vagatus David Ceilam liberavit et occupavit (23,1-6), quo in oppido Saul eum capere frustra conatus est (23,7-13). Maiore ex periculo in deserto Ziphn mirabili Dei interventu salvatus est (23,14-28).

Saule autem Davidem omni modo ad necem quaerente, hic illius vitae in spelunca deserti Engaddi pepercit, ita ut Saul ipse magnanimitate eius perculsus eum regno dignum proclamaret (24,1-23).

c.) Interea mortuus est Samuel (25,1); David vero cum amicis semper in desertis circumvagari coactus duxit Abigail et Achinoam uxores, quum Saul primam eius uxorem Michol alteri tradidisset (25,2-44); atque secunda vice aemuli,

cuius iniustum odium revixerat, vitae magno cum animo pepercit (26,1-25).

d.) Demum David, ut Saulis insidiis se subtraheret, in Philisthaeam confugit Siceleg occupato, quo ex oppido contra Amalecitas aliosque antiquos Israelitarum hostes bellicas expeditiones suscepit (27,1-12).

3. — *Saulis interitus in bello philisthaeo, Davidis victoria de Amalecitis* (28,1-31,13).

1.) Philisthaeis una cum Davide bellum moventibus (28,1. 2.) perterritus Saul, quia a Domino responsum non accipiebat, per pythonissam endoriensem Samuelem mortuum evocat, qui apparens ei mortem propinquam et Israelitarum cladem praedicit (28,3-25).

2.) David a Philisthaeis timentibus, ne in proelio sese contra ipsos converteret, cum amicis suis e castris eiectus (29,1-11) oppidum suum Siceleg ab Amalecitis invenit devastatum (30, 1-5); a Domino iussus hostes persequitur, caedit, praedam eorum recuperat (30,6-20), quam inter suos dividit, et ex qua senioribus Iuda dona mittit (30,21-31).

3.) Eodem tempore Philisthaei fugant exercitum Saulis, qui una cum tribus filiis natu maioribus perit (31,1-13).

Tertia pars (II. 1,1-20,26) *fundationem et confirmationem throni aeterni in domo davidica enarrat.*

I. *David in Hebron regno Iuda suscepto de tribuum septemtrionalium regno cum domo Saul bello diuturno certat* (1,1-4,12).

1. — *David in Hebron constituitur rex Iuda* (1,1-2,7).

1.) David de Saulis ac Ionathae morte certior factus (1,1-10) eorum occisorem interimi iussit (1,11-16) eorumque mortem pulcherrima elegia deflevit (1,17-27).

2.) Dei deinde mandato obsecutus in Hebron ascendit ibique rex Iuda publice unctus viros Iabes Galaad, qui Saulem sepeliverant, laudibus ornavit (2,1-7).

2. — *Cum domo Saul de tribuum septemtrionalium regno certat* (2,8-4,12).

1.) Abner, princeps exercitus Saul, quartum Saulis filium Isboseth constituit regem super reliquas tribus (2,8-11), sed tribum Iuda quoque subiicere conatus devincitur a Ioab, cuius fratrem Arael fugiens occidit (2,12-32).

2.) Exinde exortum est bellum diuturnum, Davide in Hebron sedente et domum suam procreatis filiis fundante (3,1-5), Abnere autem domum Saulis regente (3,6), donec Abner ab Isboseth offensum se reputans (3,7-11) pacem iniret cum Da-

vide (3,12-21) atque a Ioab interficeretur (3,22-30) inscio Davide, qui Abneri mortem amare deflevit (3,31-39).

3.) Paullo post Isboseth quoque occisus est (4,1-7), eius autem interfectores David morte punivit (4,8-12).

II. *Regnum Davidis in Ierusalem fundatur et confirmatur* (5,1-20,26).

1. — *Davidi eiusque domui aeternum regnum promittitur* (5,1-7,29).

1.) Post Isboseth mortem David, ab omnibus tribubus rex Israel unctus (5,1-5), in Ierusalem, cuius arcem Iebusaeis eripuerat, regni sedem transtulit (5,6-11) atque cognovit, quoniam a Domino rex super Israel, confirmatus esset, prole quoque copiosiore a Deo accepta (5,12-16).

2.) Sempiternis autem Israelitarum hostibus Philisthaeis bis penitus devictis terram sanctam ab eorum incursionibus liberavit (5, 17-25).

3.) Regno igitur hac ratione pacificato arcam foederis magna cum sollemnitate in arcem Sion transtulit (6,1-23) proposuitque Domino aedificare domum (7,1-3).

A quo proposito quidem Deus eum per prophetam Nathan avertit, *sed simul promisit, se ei domum aedificaturum et thronum eius stabiliturum in aeternum* (7,4-16); de qua magnifica promissione David humili precatione Deo gratias egit (7,17-29).

2. — *Gloriose feliciterque David in Ierusalem regnat usque ad suum lapsum* (8,1-10,19).

1.) Felicibus bellis a Deo adiutus fines regni sui dilatavit (8,1-14) atque internam regni felicitatem auxit bona administratione (8,15-18).

2.) Neque in felicitate sua promissionis immemor fuit, quam olim Ionathae fecerat, sed magnanimitatem suam beneficiis Miphiboseth, Ionathae filio, collatis demonstravit (9,1-13).

3.) Ad summum porro potestatis fastigium adduxit regnum bellis, quae per Ioab ducem suum contra Ammonitas et Syros feliciter gessit (10,1-19).

3. — *Lapsu suo David domum suam maximo periculo obiicit* (11,1-18,33).

1.) David gravissima peccata committit et de iis poenitentiam agit (11,1-12,31).

a.) David postquam adulterium commisit cum Bethsabee (11, 1-5), adulterae maritum occidendum curavit (11,6-25), ipsam autem uxorem duxit (11,26. 27).

b.) Quapropter a Domino per prophetam Nathan vehementer est increpatus (12,1-12); poenitens autem veniam quidem

accepit, morte tamen filii ex adulterio geniti punitus est (12,13-23), atque deinde veniae acceptae pignus obtinuit nativitate Salomonis, alterius filii Bethsabee, et Ioabi victoria de Ammonitis (12,24-31).

2.) Attamen infelici duorum filiorum primogenitorum interitu David in domo sua alias quoque poenas scelerum commissorum luit (13, 1-18,33).

a.) Primogeniti Amnonis scelus et interitus (13,1-14,33).

Amnon sororem suam Thamar stupravit (13,1-22), quam ob causam ab Absalome Thamaris fratre uterino dolose occisus est (13,23-33).

Absalom autem, ut patris iram evitaret, fugit in Gessur (13,34-39) et non nisi post tres annos Ioab per astutam mulierem Thecuitam obtinuit, ut David filium ex Gessur revocaret (14,1-24) et tandem ad faciem suam iterum admitteret (14,25-33).

b.) Secundogeniti Absalomis rebellio et interitus (15,1-18,33).

α. — Patris benignitate abusus Absalom seditionem contra eum praeparavit et movit (15,1-12); qua David urbem relinquere et versus Iordanem fugere coactus est (15,13-37), in fuga autem acerbis convitiis oneratus est a Saulis asseclis (16, 1-14).

β. — Interea Absalom Ierusalem ingressus patri gravissimam quidem intulit iniuriam (16,15-23, immediate tamen eum persecutus non est, quia sapiente amici sui Achitophel consilio spreto, consilium Chusai, unius ex patris sui consiliariis, sequi maluit (17,1-14)

γ. — Postea vero Absalom, quum David iam per viros a Chusai missos de filii sui proposito certior esset redditus, cum exercitu Iordanem transgressus patrem adortus est (17,15-29), sed a Ioab devictus et occisus (18,1-15); a patre autem defletus est (18,16-33).

4. — *David triumphans Ierusalem revertitur novaque seditione tribuum septemtrionalium exstincta quiete regnat* (19,1-20,26).

1.) A Ioab ob nimium luctum de filii morte obiurgatus (19,1-8) et a tribu Iuda invitatus (19,9-14) David Ierusalem revertens benignum se exhibuit tum erga eos, qui a partibus Absalomis steterant (19,15-30), tum erga amicos suos (19,31-39).

2.) In ipso autem regis reditu exorta est nova dissensio inter tribum Iuda ac septemtrionales tribus (19,40-43); unde duce Seba, Beniaminita, nova exarsit seditio (20,1-7), quam Ioab occiso Seba repressit (20,8-22).

3.) David autem pacati regni administrationem denuo ordinavit (20,23-26).

EPILOGUS (21,1-24,25) *sex complectitur documenta, quibus historia fundationis throni aeterni in domo davidica illustratur* [1].

1. — *Crimen Saulis in eius posteris dire punitum* (21,1-14).

Davidi causam triennalis famis terram devastantis sciscitato Deus fidem, quam Iosue Gabaonitis iuraverat, a Saule laesam esse respondit (21,1-3); Gabaonitis igitur postulantibus David sex ex posteris Saulis crucifigendos tradidit (21,4-9); eorum tamen ossa cum Saulis et Ionathae ossibus religiose sepelivit (21, 10-14).

2. — *Quatuor bella philisthaea* (21,15-22),

quibus David opes Philisthaeorum fregit, brevissime quidem, sed ita adumbrantur, ut Deum speciali suo auxilio regi amicisque eius adfuisse appareat.

3. — *Canticum petrae* (22,1-51),

quo David Deo de auxilio, quod quum in Saulis insidiis tum in reliqua sua vita expertus est; gratias agit; eius analysin cfr infra *Psalm.* 17. (18).

4. — *Verba David novissima* (23,1-7).

Spiritu S. plenus David ultimo suo carmine Messiam venturum praenuntiat (23,1-4) et admiratus, quod Deus secum et cum domo sua aeternum pactum inisset, benedictiones messianicas celebrat eisque ruinam adversariorum Messiae opponit (23,5-7).

(1) Sex has pericopas velut membra disiecta operi terminato non temere aut fortuito esse additas, sed eximia quadam arte inter se connexas aptissimum constituere operis epilogum, rem attente consideranti facile patet. Auctor enim, ut aeterni throni fundationem in domo davidica explicet, uti in beneficiis, quibus Deus Davidem ditavit, ita in virtutibus, quibus David sese Deo acceptum reddidit, enarrandis continuo versatur; atqui idem est sex pericoparum argumentum. Evidens est, operis thema in duobus carminibus, quae medium epilogum velut eius centrum vel nucleus occupant, sublimi modo enuntiari; nam prius (22,1-51) Davidem tamquam Dei amicum ab eo semper esse protectum et adiutum promissionemque aeterni throni accepisse docet, alterum vero (23,1-7) vaticinium est de Messia, in quo promissio aeterni throni perfectam suam impletionem inventura erat. Porro quatuor aliae pericopae, quae duo carmina quasi includunt et circumdant, ita sunt dispositae, ut secunda quintae respondeat et prima sextae. Argumento enim suo consonat narratio de bellis philisthaeis (21,15-22) cum heroum catalogo (23,8-39), quippe qui Deum fortissimis illis viris suscitatis Davidem ab omnibus hostibus liberasse ostendat. Similiter prima et sexta pericopae argumento vicinae sunt, siquidem utraque de poena agit propter peccatum divinitus inflicta; quia Saul peccati sui poenitentiam non egerat, domus eius periit (21,1-14); David vero poenitentiam peccati agens sibi domuique suae Dominum reconciliavit (24,1-25). Eadem igitur oppositio, quae in toto opere inter Saulem ob inobedientiam reiectum et Davidem ob obedientiam assumtum conspicitur, etiam epilogum ad unitatem redigit. At eximia quoque ars in pericoparum dispositione cernitur; duae quippe primae tertiam et quartam praeparant, quibus summum beneficium Davidi divinitus collatum celebratur, atque duae ultimae easdem confirmant; in prima et sexta virtutes indicantur, quibus David sese divinis beneficiis dignum reddidit; secunda vero et quinta describunt minora beneficia, quibus bene usus David ad summa adduci meruit.

5. — *Catalogus heroum Davidis* (23,8-39).

Viris fortibus enumeratis « qui Davidem adiuverant, ut rex fieret super omnem Israel » (cfr 1 *Par.* 11,10), auctor iterum specialem amorem demonstrare voluit, quo Deus eum amplexus est.

6. — *Pestis propter censum populi immissa et sacrificium post eius cessationem in loco templi futuri oblatum* (24,1-25).

a.) Superbia elatus David, frustra reluctante Ioab, censum totius populi instituit (24,1-10).

b.) Qua de re iratus Deus ei per prophetam Gad optionem inter tres poenas concessit, et quum rex in manus Domini quam hominum incidere praeferret, pestem populo immisit tribus diebus (24,11-17).

c.) Quum autem morbus cessasset, David ab Areuna Iebusita aream, in qua angelum filios Israel percutientem conspexerat, emit ibique altare exstruxit et Domino holocaustum obtulit (24,18-25).

10. — *Libri tertius et quartus Regum secundum Hebraeos primus et secundus Malachim.*

Uti duo Samuelis libri ipsi, ita duo illi quoque, qui eis in nostris Bibliis velut 3. et 4. Regum sunt additi, ab initio fuerunt unum opus separatum et continuum, quod a suo argumento in antiquis hebraicis exemplaribus Malachim (*Reges*) aut etiam Mamlachoth (*Regna*) inscribitur. A Davidis enim, cuius res gestae in libris Samuelis narrantur, morte exorsum Salomonis reliquorumque regum davidicorum fata enarrat atque simul, quia sub Davidis nepote Roboam tribus septemtrionales novum regnum Israel constituerant, illius historiam tradit. Ceterum huius operis auctor, quem Ieremiam prophetam fuisse magna cum probabilitate coniicimus, simili ratione, qua Samuel in libro Iudicum « humilitates laborum pro filiorum Israel peccatis et prosperitates consolationum propter miserationes Dei alternasse » ostendit, divinamque maxime iustitiam celebraturus docet, regnum quod David ad summum felicitatis ac potestatis fastigium evexerat, peccatis ac praesertim regum illegitimo et idololatrico cultu quatuor fere saeculorum spatio in profundam calamitatis abyssum esse delapsum. At iustitiam Dei in regnorum Iuda et Israel interitu demonstrans continua simul misericordiae divinae recordatione animos populi ad spem fiduciamque erigit atque frequenti promissionum domui davidicae et universo populo divinitus datarum repetitione Dominum in gravissimis poenis immittendis alium non habere finem declarat, nisi ut omnes ad Legis suae observationem efficaciter revocet.

Porro tres operis partes cum plerisque interpretibus distinguimus; in *prima* (III. 1,1-11,43) auctor *regni indivisi historiam usque ad mortem Salomonis* narrat; in *altera* (III. 12,1 — IV. 17,41) synchronistice *divisorum regnorum Iuda et Israel historiam usque ad assyriacum tribuum septemtrionalium exsilium* perducit; in *tertia* (IV. 18,1-25,30) demum *ultima regni meridionalis fata usque ad 37. annum captivitatis Iechoniae* refert.

PARS PRIMA (III. 1,1-11,43) *de regni a Davide fundati historia ante eius discissionem* seu *de Salomonis rebus gestis.*

I. *Regni salomonici initia* (1,1-3,1).

1. — *David moriens filium suum Salomonem sibi constituit successorem eique ultima sua mandata tradit* (1,1-2,9).

1.) David, quum senescens regni gubernacula tenere non iam valeret et Adonias, filius eius natu maior, a Ioab et Abiathar adiutus thronum occupare tentaret (1,1-10), rogatus a Bethsabee uxore sua et monitus a Nathan propheta (1,11-31), Salomonem regem ungi iubet (1,32-40).

2.) Quo audito Adonias eiusque fautores Salomoni sese subiecerunt et in gratiam ab eo sunt recepti (1, 41-53).

3.) David vero morti iam proximus filium ad Legem Moysi observandam exhortatur (2,1-4) eumque instruit, quomodo erga Ioab aliosque quosdam ex suis ministris sese gerere debeat (2, 5-9).

2. — *Salomon adversariis remotis thronum confirmat* (2, 10-3,1).

1.) Davide mortuo (2,10-11), quum Adonias iterum sibi expetere thronum videretur, Salomon eum interfici iussit (2,12-25);

2.) deinde ex eis, qui cum Adonia steterant, Abiatharem sacerdotio privavit et Ioab, ducem exercitus patris sui, occidit eorumque munera Sadoc sacerdoti et Banaiae contulit (2,26-35); similiter contra Semei sententiam a patre suo latam exsecutus est (2,36-46).

3.) Affinitate quoque sua cum Pharaone, cuius filiam uxorem duxerat, thronum suum confirmavit (3,1).

II. *Salomonis regnum felix et magnificum ante eius lapsum* (3,2-10,29).

1. — *Dominus pietatem regis dono sapientiae aliisque beneficiis remuneratur* (3,2-4,34).

1.) Pro more, quem ante exstructum templum filiis Israel tenere licuit, Salomon quoque, quum Dominum diligeret, ei in excelso maximo Gabaon mille hostias obtulit (3,2-4); quod sacrificium Domino tantopere placuit, ut regi apparens non tantum sapientiam, quam solam expetierat, ei concederet, sed divitias quoque gloriamque se ei daturum promitteret (3,5-15).

2.) Quantam porro accepisset sapientiam, Salomon ostendit sapientissima sua sententia de duabus matribus propter infantem litigantibus (3,16-28);

3.) quantam vero potentiam quantasque opes acceperit, auctor docet enumeratis regiis ministris et praefectis (4,1-20) atque regni magnitudine divitiisque descriptis (4,21-28);

4.) sectionemque terminat iterum sapientiam regis celebrans (4, 29-34).

2. — *Sapientiam opulentiamque suam Salomon praeclaris suis operibus manifestavit* (5,1-9,28).

1.) Templi aedificatio (5,1-7,51).

a.) Postquam Hiram, rex Tyri, a Salomone rogatus (5,1-6) ligna cedrina aliaque subministravit et operarios suos misit, qui omnia praepararent (5,7-18), mense 2° anni 4ⁱ regni Salomonis aedificari templum coeptum est (6,1); atque primum quidem exteriores partes exstructae sunt (6,2-10), quas Dominus approbavit (6,11-13), deinde interiores partes, quibus Sanctum et Sanctissimum separabantur (6,14-22), ac duobus quoque Cherubim in Sanctissimo positis (6,23-28) omnia exornata sunt templumque tandem terminatum est mense 8° anni 11ⁱ Salomonis (6,29-38).

b.) Sibi quoque uxoribusque suis rex domus magnificas exstruxit (7,1-12) suppellectilemque variam ad divinum cultum necessariam per artificem Tyrium conficiendam curavit (7, 13-51).

2.) Templi dedicatio (8,1-9,9).

a.) Magna deinde cum sollemnitate arca foederis translata est in novum templum, Domino praesentiam suam visibili modo manifestante (8,1-11);

b.) Salomon autem templum ingressus prius Domino gratias egit quod nunc tandem sibi sedem stabilem elegisset (8,12-21);

deinde suppliciter eum rogavit ut omnes in loco illo precaturos exaudire dignaretur (8,22-53;

demum populo benedixit (8,54-61) innumerisque sacrificiis omnis generis per octiduum oblatis templum sollemniter consecravit (8,62-66).

c.) Terminata porro dedicatione Dominus iterum Salomoni apparens promissiones domui davidicae, si fidelis in Lege permansura esset, factas repetiit (9,1-9).

3.) Alia praeclara opera Salomonis (9,10-28).

a.) Postquam Hiramo, regi Tyri, pro auxilii sibi praestiti mercede viginti oppida galilaica tradidit, quae huic nequaquam placuerunt (9,10-13), Salomon pecuniis ab eodem acceptis oppidum Gazer, quod Pharao ei in dotem filiae suae dederat, aliasque multas civitates aedificavit murisque cinxit (9,14-19);

b.) Chananaeis, quos filii Israel nondum plane deleverant, perpetuo servitio addictis omnia bene disposuit (9,20-25); quin etiam navibus in Ophir missis magnam auri vim comparavit (9,26-28).

3. — *Gloria magnificentiaque Salomonis demonstratur* (10,1-29)
   1.) itinere narrato reginae Saba, quae sola fama sapientiae regis permota ab extremis Austri finibus ad eum videndum Ierusalem venit (10,1-13);
   2.) opibus quas accepit operibusque quibusdam pretiosis, in quae eas expendit, enumeratis (10,14-23);
   3.) brevi conspectu exhibito quum gloriae eius ubique terrarum propagatae tum abundantiae rerum omnium, quae ei et populo undique affluebant (10,24-29).

III. *Salomonis lapsus in idololatriam peccatorumque poenae* (11,1-43).
1. — *Salomonis peccatum* (11,1-13).
   1.) Ab uxoribus alienigenis, quas duxerat, Salomon quum senesceret ad idololatriam pellectus omnibus earum idolis fana construxit (11,1-8);
   2.) qua de re iratus Deus ei praedixit, regnum sub filio eius scissum iri unamque tantum tribum domui davidicae mansuram esse (11,9-13).
2. — *Salomonis poenae* (11,14-40).
   1.) Salomonem ipsum Deus punivit primum quidem bellis contra eum suscitatis ab Adad Idumaeo (11,14-22) et Razon, filio Eliada (11,23-25),
   2.) maxime vero rebellione Ieroboami Ephrataei, quem per prophetam tamquam regem primum futuri regni Israel designavit (11,26-40).
3. — *Mortuus est Salomon anno 40. regni sui* (11,41-43).

PARS ALTERA (III. 12,1-IV. 17,41) *synchronisticam regnorum Iuda et Israel historiam usque ad septemtrionalis regni interitum narrat,*
idque ita, ut reges utriusque regni quum aliis peccatis tum maxime suo excelsorum cultu et idololatria divinam iram provocasse ac regna ad interitum adduxisse appareat.

I. *Regnorum Iuda et Israel divisio et continuae inimicitiae usque ad Achab, regem Israel* (III. 12,1-16,28).
1. — *Defectio decem tribuum septemtrionalium a domo davidica* (12,1-24).
   1.) Petitionem populi, ut tributa a patre imposita diminueret, Roboam filius Salomonis, iuniorum suorum amicorum consilium secutus, exaudire noluit (12,1-15);
   2.) quare decem tribus ab eo deficientes novum regem sibi elegerunt Ieroboam Ephrathaeum (12,16-20); Roboam autem a Deo prohibitus est, ne rebelles tribus ad obedientiam redigeret (12,21-24).

2. — *Regnum Ieroboam primi regis Israel* (12,25-14,20).

1.) Novus rex, ut regnorum divisionem firmam stabilemque redderet, schismate religioso introducto duos vitulos aureos populo adorandos proposuit, unum in Bethel, alterum in Dan, quibus constituit sollemnitates, altaria, sacerdotes (12, 25-33);

2.) neque ab incepto destitit, quando Deus eum per prophetam dehortatus est eiusque verba variis signis iisque manifestissimis confirmavit (13,1-34).

3.) In cuius peccati poenam ei per prophetam Ahiam mors filii aegrotantis annuntiata et interitus quum domus eius tum ipsius regni Israel praedictus est (14,1-18); Ieroboam ipse autem mortuus est postquam viginti duos annos regnavit (14,19.20).

3. — *Regum Iuda et Israel usque ad Achab continua bella* (14,21-16,28).

1.) Roboam, Abiam, Asa, *reges Iuda* (14,21-15,24).

a.) *Roboam,* quia populum suum ab idololatria non avertit (14,21-24), a Sesac rege Aegypti devictus ac spoliatus est 14,25-28), et usque ad mortem suam bellandum ei erat cum Ieroboam (14,29-31);

b.) neque melius neque felicius fuit regnum filii eius *Abiam* (15,1-8);

c.) huius autem filius et successor *Asa,* rex pius, licet excelsorum cultum exstinguere non posset, idololatriam tamen multiplicem e regno Iuda removit (15,9-15; unde etiam adiutus a Benadad, rege Damasci, regem Israel Baasa e terra sua repellere ei licuit (15,16-24).

2.) Nadab, Baasa, Ela, Zambri, Amri, impii *reges Israel* (15, 25-16,28).

a.) *Nadab,* filius Ieroboam, cum universa domo sua, quia patrem peccantem imitatus erat, iam post duos annos interfectus est a Baasa (15,25-32).

b.) *Baasa* vero, quum ipse quoque idololatriae viam ingressus esset (15,33.34), per prophetam Iehu admonitus est, eandem sortem suae domui esse reservatam (16,1-7), ac revera *Ela,* filius et successor eius, cum tota domo sua occisus est per Zambri (16,8-14).

c.) *Zambri* autem ipse, quum ab Amri, quem Israel sibi regem elegerat, in urbe regia Thersa obsideretur, se cum tota sua domo igne succendit (16,15-20);

d.) *Amri* porro, throno Israel occupato, praedecessorum suorum peccata continuavit et auxit (16,21-28).

II. *Regna Achab, impiissimi regis Israel, et Iosaphat, pii regis Iuda; Elias propheta* (III. 16,29-22,51).

1. — *Achabi acta* (16,29-21,29).

1.) Conspectus impietatis Achab (16,29-34).

Idololatrico maiorum suorum cultu non contentus Achab a sidonia sua uxore Iezabel seductus etiam Baali religionem in Israel invexit (16,19-32),

suae autem domus interitum praesagivit, quum praecepto Domini (cfr *Ios.* 6,26) spreto permitteret, ut per unum ex suis subditis Iericho restitueretur (16,33. 34).

2.) Trium annorum fames tempore Achabi, quam Elias praedixerat (17,1-19,21).

a.) Fame praenuntiata (17,1) Elias a Domino iussus prius ad torrentem Carith commoratur ibique per corvum nutritur (17,2-7), deinde ad viduam Sareptanam se recipit, cuius farinam oleumque multiplicat (17,8-16) cuiusque filium quoque a morte resuscitat (17,17-24).

b.) Tertio porro famis anno ad Achab accedens omnes Baali prophetas congregari (18,1-19), congregatos autem, quum ignem ad holocaustum comburendum a suo Baal non obtinerent, occidi iussit, postquam suum ipsius sacrificium igne coelesti consummatum est (18,20-40).

c.) Pluviam quoque suis precibus impetravit (18,41-46); nihilominus a Iezabel ob pseudoprophetarum occisionem irata ad necem quaesitus fugere debuit (19,1. 2); at a Domino ductus et pane divinitus misso confortatus in montem Horeb veniens (19,3-8) a Deo sibi apparente mandatum accepit, ut revertens Hazael Syriae, Iehu Israel reges, Eliseum successorem suum ungeret (19,9-21).

3.) Achabi ingratitudo et inobedientia (20,1-21,29).

a.) Benadad, regem Syriae, Samariam obsidentem Achab a Deo adiutus cum paucis viris devicit (20,1-21) eidemque anno insequente iterum Deo iuvante gravissimam cladem intulit (20,22-29); at contra Dei voluntatem capti vitae pepercit, quare per prophetam mors violenta ei ipsi praedicta est (20,30-43).

b.) Legem se spernere Achab ostendit, quum instigante uxore, ut vineam Naboth obtineret, virum innocentem lapidari permitteret eiusque vineam occuparet (21,1-16); hinc Deus ei etiam per Eliam gravem poenam minitatur (21,17-26), quam tamen mitigat ob regis poenitentiam (21,27-29).

2. — *Iosaphat regis Iuda foedus infelix cum Achab* (22,1-40).

1.) Anno 3. post priora bella syriaca Iosaphat et Achab foedere iuncto Syris oppidum Ramoth Galaad eripere statuunt felicem-

que rei exitum pseudoprophetae Achabi vaticinantur (22,1-6).

2.) Urgente tamen Iosaphat, rege Iuda, quaesitus et adductus est verus Dei propheta, Michaeas filius Iemla (20,7-15), qui Achabo non credenti cladem et mortem praedixit (22,16-28).

3.) Quod vaticinium rei exitus probavit; exercitus duorum regum devictus est et Achab misere periit (22,29-40).

3. — *Summarium rerum Iosaphat* (22,41-51).

Patris sui Asa mores imitatus Iosaphat pie regnavit (22-41-44), excepto eo, quod amicitiam cum domo Achab coluit; quare uti in bello contra Syros, etiam in maritima expeditione in Ophir tam infelix fuit, ut alteram cum Ochozia, filio Achab, suscipere recusaret (22,45-51).

III. *Infausta amicitia inter domum Achab et reges Iuda usque ad prioris interitum. — Eliae et Elisei prophetarum acta* (III. 22,52 — IV. 10,17).

1. — *Ochozias, impius rex Israel* (III. 22,52 — IV. 1,18).

1.) Achab successorem habuit filium suum *Ochoziam*, qui eadem ratione ac pater idololatriam Ieroboami cum Baali cultu coniunxit (III. 22,52-54).

2.) Unde non tantum in bello moabitico infelix fuit, sed gravi corporis quoque vulnere percussus est; et quum de eo Beelzebub, deum Accaron, consulere vellet, Elias ministris eius occurrens regi mortem vaticinatus est (IV. 1,1-8). Quod vaticinium Elias ad regem tandem adductus (1,9-15) etiam coram ipso repetiit et eventus comprobavit (1,16-18).

2. — *Elisei praeclare gesta in regno Israel post Eliae assumtionem* (2,1-8,15).

1.) Eliae in coelum rapti duplicem spiritum Eliseus hereditat (2,1-25).

a.) Elias et Eliseus Galgalis profecti, flumine mirabiliter traiecto, trans Iordanem venerunt, ubi Eliseus, quum magistrum suum curru igneo in coelum rapi vidisset, duplicem eius spiritum obtinuit (2,1-12);

b.) cuius doni accepti signa dedit, quum Iordanem iterum, eius aquis pallio Eliae divisis, mirabiliter traiiceret (2,13-18), aquas malas sanaret (2,19-22), puerique ei illudentes ursis lacerandi a Deo traderentur (2,23-25).

2.) Eliseus Ioram, regi Israel, et Iosaphat, regi Iuda, victoriam de Moabitis praedicit (3,1-27).

a.) Ochoziam, impium filium Achabi, secutus erat eius frater *Ioram*, qui Baali saltem cultum suppressit in Israel (3,1-3).

b.) Quoniam autem post Achabi mortem Moabitae tributum regno Israel solvere recusarunt, Ioram ut eos redigeret,

foedere cum Iosaphat, rege Iuda, et Idumaeis inito, per Idumaeam eos aggredi statuit (3,4-8).

c.) Deficiente autem eis aqua in deserto Eliseus arcessitus eam obtinuit completamque victoriam eis praedixit (3,9-20); vaticinio autem eventus respondit (3,21-27).

3.) Elisei miracula ad varia privatorum hominum desideria implenda (4,1-6,7).

a.) Pauperis viduae multiplicat oleum (4,1-7); mulieri Sunamitidi sterili filium impetrat (4,8-17) eundemque, quum puer mortuus esset, resuscitat (4,18-38); pulmenti amaritudinem farina addita aufert (4,38-41) multiplicatque panes primitiarum (4,42-44).

b.) Naaman quoque, principem militiae regis Syriae, leprosum aquis Iordanis sanavit (5,1-19), suum autem ipsius servum Giezi, quum a Naaman dona accipere ausus esset, lepra immissa punivit (5,20-27);

c.) effecit quoque, ut ferrum securis, quod in Iordanem ceciderat, aquae supernataret (6,1-7).

4.) Eliseus et Benadad, rex Syriae (6,8-8,15).

a.) Quando Benadad, cui bellum erat cum Israel, Eliseum capi iussit, quia locum insidiarum a se collocatarum regi Israel revelaverat (6,8-13), Eliseus milites eius occaecatos mediam in Samariam duxit, incolumes autem regi Syriae remisit (6, 14-23).

b.) Porro quum Benadad Samariam tamdiu obsideret, ut summa fames civitatem vastaret matresque eo adducerentur, ut filios suos comederent (8,24-29), Eliseus hac de re a rege Israel obiurgatus (6,30-33) in posterum diem liberationem urbis abundantiamque frumenti praedixit (7,1. 2); quod vaticinium miraculo impletum est (7,3-20).

c.) Demum Eliseus, postquam mulieri Sunamitidi novum beneficium praestitit (8,1-6), Damascum profectus regem Benadad moriturum impiumque Hazael futurum esse regem Syriae annuntiavit (8,7-15).

3. — *Interitus domus Achabi* (8,16-10,17).

1.) Infelix status regni Iuda sub regibus Ioram et Ochozia (8, 16-29).

a.) Pium Iosaphat in regno Iuda secutus est impius eius filius *Ioram,* qui Athalia, filia Achabi, in matrimonium ducta in regno meridionali idololatriam provexit (8,16-19), et cuius tempore Idumaea a Iuda defecit (8,20-24).

b.) Secutus est eum filius eius *Ochozias,* parentibus suis non minus impius, qui in viis domus Achab ambulavit, sed post unum iam regni annum eriit (8,25-29).

2.) Iehu per Eliseum rex Israel constitutus ad domum Achab delendam (9,1-10,7).

a.) Misso uno ex suis discipulis Eliseus unxit Iehu, ut domum Achab deleret (9,1-10);

b.) velut rex ergo a principibus exercitus agnitus (9,11-15) Iehu in Iezrahel ascendit, ubi Ioram, filius Achabi, rex Israel, et Ochozias, nepos Achabi, rex Iuda, commorabantur, ambosque interfecit (9,16-29).

c.) Dein impiam Achabi uxorem, Iezabel, in Iezrahel (9,30-37), ac sexaginta filios Achabi in Samaria occidit (10,1-11).

Ochoziae autem, regis Iuda, fratres, filios scilicet Athaliae, omnesque qui de domo Achab in Samaria reliqui erant, similiter occidendos curavit (10,12-17).

IV. *Novae inimicitiae inter Iuda et Israel inde a rege Iehu usque ad septemtrionalis regni destructionem* (IV. 10,18-17,6).

1. — *Iehu in Israel, Athalia et Ioas in Iuda* (10,18-12,21).

1.) *Iehu* cultum Baali quidem, interfectis eius sacerdotibus, ex Israel exstirpavit (10,18-27); quia vero vitulorum cultum non abstulit, regnum ei usque ad quartam tantum generationem a Deo promissum est (10,28-30) et quia ipse quoque deliquit, ab Hazael, rege Syriae, devictus est (10,31-36).

2.) Interea *Athalia* in regno Iuda omne semen regium interfecerat, excepto solo Ioa, Ochoziae filio minimo, qui a Iosaba, sorore Ochoziae et Ioiadae sacerdotis uxore, clam salvatus et in templo sex annis occultatus est (11,1-3).

3.) Septimo autem anno Ioiada, parte exercitus et Levitis acclamantibus, *Ioam* regem Iuda unxit (11,4-12), Athaliaque occisa (11,13-16) populo laetanti proposuit (11,17-21).

4.) Porro throno occupato Ioas templum restauravit (12,1-16), at in bello contra Hazael, regem Syriae, infelix fuit (12,17-21).

2. — *Ioachaz, Ioas et Ieroboam II reges Israel; Amasias rex Iuda* (13,1-14,29).

1.) *Ioachaz*, patris sui Iehu successor, propter peccata sua in manus Hazael, regis Syriae, traditus est (13,1-3); quum vero ad Dominum se convertisset neque tamen omnem idololatriam auferret, liberatus quidem est, at exercitu amisso regnum eius debile mansit (13,4-9).

Similiter filius eius Ioas impius fuit; nihilominus Dominus recordatus foederis cum patriarchis facti iuxta Elisei, qui illo tempore mortuus est, vaticinium tres victorias splendidas de Syris ei concessit (13,10-25).

2.) Eodem tempore, quo Ioas in Israel, *Amasias* in Iuda regnavit,

qui ab initio Idumaeos devicit (14,1-7), postea autem superbior factus, quum regno Israel bellum intulisset, magna clade prostratus est a Ioa, rege Israel, qui ipsam Ierusalem diripuit (14, 8-16); Amasias autem a coniuratis occisus est (14,17-22).

3.) *Ieroboam II.,* rex Israel, quamvis impius esset, adiutus tamen a Domino terminos Israel restituit (14,23-29).

3. — *Azarias, Ioatham, Achaz, reges Iuda; Zacharias et quinque eius successores reges ultimi Israel* (15,1-17,6).

1.) Amasiae filius *Azarias* (Ozias) quinquaginta duobus annis pie regnavit, ultimo tamen regni tempore lepra percussus socium regni habuit filium suum Ioatham (15,1-7).

2.) Quatuordecim ultimis Azariae annis quinque reges thronum Israel obtinuerunt (15,8-31).

a.) Ieroboamum II. enim secutus est filius eius *Zacharias,* quartus et ultimus rex ex domo Iehu, at post sex menses iam occisus est a *Sellum,* qui uno tantum mense regnavit, ipse occisus a Manahem (15,8-15).

b.) *Manahem* decem quidem annis thronum occupavit, sed tributarius factus est regi Assyriae Phul (15,16-22); successorem habuit filium *Phaceia,* quem post biennium Phacee, filius Romeliae occidit (15,23-26).

c.) Porro tempore *Phacee,* qui ultimo Azariae anno regnare coepit et viginti annis regnavit, Theglatphalasar, rex Assyriae, magnam partem Israelitarum in captivitatem abduxit; Phacee autem interfectus est ab Osee (15,27-31).

3.) Ioatham eiusque impius filius Achaz (15,32-16,20).

a.) Post mortem Azariae patris sui *Ioatham* sedecim annis solus thronum occupavit, rex pius ad instar patris sui; versus regni eius autem finem Rasin, rex Syriae, et Phacee, rex Israel, coeperunt impugnare regnum meridionale (15,32-38).

b.) Secutus est filius eius *Achaz,* rex impius, qui sedecim regni annis idololatriam in Iuda promovit (16,1-4).

Quam ob causam invasione regum Rasin et Phacee punitus auxilium petiit et obtinuit a Theglatphalasar, rege Assyriorum (16,5-9);

Damascum autem profectus, ut Assyrium salutaret, iuxta exemplar, quod ibi viderat, novum altare in templo, altari aeneo remoto, exstrui in eoque idolis sacrificia offerri iussit (16,10-20).

4.) Anno 10. Achazi *Osee,* ultimus rex Israel, thronum obtinuit; sed hic ab initio a Salmanasar, rege Assyriae, devictus, eiusque regnum postea ab eodem, quum Aegypti rege Sua in auxilium vocato rebellasset, penitus destructum est

et Israelitarum reliquiae in Assyriam transportatae sunt (17,1-6).

EPILOGUS SECUNDAE PARTIS (IV.-17,7-41)
rationibus expositis, quibus interitus regni adductus est (17,7-23) novum terrae statum describit, qui post Israelitarum transportationem novis accersitis incolis exortus est (17,24-41).

PARS TERTIA (IV. 18,1-25,26) *historiam regni Iuda usque ad illius destructionem per Chaldaeos exsiliumque babylonicum perducit.*

I. *Regum Ezechiae et Iosiae pietas interitum regni retardat, quem Manasse et Amon sua impietate accelerant* (18,1-23,30).

1. — *Regnum pii regis Ezechiae* (18,1-20,20).

1.) *Ezechias* non tantum idololatriam per impium suum patrem Achaz invectam exstinxit, sed etiam Assyriorum iugum abiecit et a Deo adiutus Philisthaeam occupavit (18,1-12).

2.) Versus finem vitae eius [1] tamen nova facta est irruptio Assyriorum (18,13-19,37)

a.) Sennacherib enim multis civitatibus Iudae captis Ezechiam coegit, ut tributum sibi solveret (18,13-16);

b.) quo soluto non contentus legationem misit, quae plenam postulans subiectionem Ierosolymitanos ad rebellionem excitaret (18,17-37).

c.) At Ezechias per Isaiam confortatus, quum impias Sennacherib literas coram Domino expandisset eiusque auxilium implorasset (19,1-19), ab eo per Isaiam faustum de proximo regis Assyriorum interitu vaticinium accepit (19,20-34), quod eventus plane comprobavit (19,35-37).

3.) Duo alia Isaiae vaticinia de rebus Ezechiae (20,1-20).

a.) Ezechiae graviter aegrotanti ac Dominum deprecanti Isaias vitae prolongationem praedixit seque vera praedixisse magno signo confirmavit (20,1-11).

b.) Quo de signo ut certior redderetur, quum Berodach (Merodach) Baladan, rex Babyloniae, legatos misisset,

(1) Iuxta textum nostrum atque etiam iuxta *Is.* 36,1, ubi haec narratio iisdem fere verbis legitur, expeditio Sennacherib facta dicitur « *anno decimo quarto Ezechiae* » consentiunt tamen moderni interpretes, hanc temporis definitionem per librarii cuiusdam errorem antiquitus huc esse translatam, quum potius ad initium capitis sequentis, ubi de miraculosa Ezechiae sanatione agitur, pertinere videatur; satis enim clarum est, expeditionem Sennacherib posteriorem esse legatione regis Merodach Baladan, quae cum sanatione Ezechiae arcte connexa est; nam legatis chaldaicis Ezechias ostendit omnes thesauros suos; id quod facere non potuisset, si brevi antea omnes thesauros suos iam Sennacherib, regi Assyriorum, tradidisset. Cfr *Introd. spec.* in V. T. libros. Ed. 2. II. p. 346; *Knabenbauer* Comment. in proph. Isaiam. I. p. 596 sq.; *Aem. Schoepfer* Gesch. des Alten Test. Ed. 2. p. 433 etc.

Ezechias eis omnes suos thesauros gloriabundus ostendit (20,12.13); at Isaias ad eum missus est, ut eum vituperaret transportationemque thesaurorum istorum in Babyloniam ei annuntiaret (20,14-20).

2. — *Regna impiorum regum Manasse et Amon* (20,21-21,26).

1.) *Manasse* patrem suum secutus in throno (20,21) idololatriam avi sui, quam Ezechias exstinxerat, resuscitavit et auxit (21,1-9); quare Deus per prophetas interitum regni praenuntiavit, praesertim quia Manasse etiam sanguine innocente civitatem sanctam repleverat (21,10-17).

2.) Manasse successorem habuit filium suum *Amon*, qui duobus regni sui annis mores patris imitatus, sed interfectus est a coniuratis (21,18-26).

3. — *Regnum pii regis Iosiae* (22,1-23,30).

1.) Restauratio templi, inventio mosaici libri Legis, renovatio foederis (22,1-23,3).

a.) Puer octo annorum *Iosias*, throno occupato, ad Dei placitum ambulans plane diversum se exhibuit a patre suo Amon et avo Manasse (22,1. 2);

A. 10. autem regni sui, ut templi restauratio susciperetur praecepit (22,1-7).

b.) Qua occasione a Helcia sacerdote repertus est liber Legis a Moyse sua ipsius manu conscriptus, qui ad regem allatus, quum coram eo lectus esset, tanto eum implevit terrore, ut de eo Holdam prophetidem consuli iuberet (22,8-14).

c.) Quae libri comminationes confirmans easque sub Iosiae successoribus impletum iri praedicens (22,15-20) effecit, ut rex cum congregato populo foedus cum Deo sollemniter renovaret (23,1-3).

2.) Completa exstirpatio idololatriae ex regno Iuda (23,4-23).

a.) Renovato foedere Iosias praeprimis templum et civitatem Ierusalem ab omnibus, quae idololatriae inservierant, purgavit et sacerdotibus cunctis in Ierusalem congregatis prohibuit, ne in excelsis sacrificaretur (23,4-14);

b.) deinde altari quoque, quem Ieroboam I. in Bethel exstruxerat, deleto (23,15-20) cum toto populo sollemnissimum celebravit Phase, quale a diebus Iudicum non erat celebratum (23,21-23).

3.) Hac ratione omnia restituens iuxta praecepta Legis Iosias iudicium Dei super Iuda retardare quidem potuit, at illud non avertit; quin et ipse peccata patrum suorum tulit, quum in bello contra Nechao, regem Aegyptiorum, occideretur prope Mageddo (23,24-30).

II. *Iosiae filiis et nepote regnantibus regnum Iuda in exitium ruit* (23,31-25,26).

1. — *Regna Ioachaz, Eliakim (Ioakim), Ioachin (Iechoniae), regum* (23,31-24,16).

1.) Iosiae filius *Ioachaz*, qui malum fecit coram Domino, iam post tres menses a Nechao comprehensus, regno spoliatus, in Aeygptum captivus abductus est, eius in locum suffecto altero Iosiae filio Eliakim, quem Ioakim appellari rex Aegypti voluit (23,31-37).

2.) *Ioakim* autem undecim annis male regnans in Ierusalem tributarius factus est Nabuchodonosor, regis Babyloniae, continuisque vicinarum gentium incursionibus lacessitus, quibus Dominus regnum Iuda propter idololatriam crudelitatemque regis Manasse punire voluit (24,1-7).

3.) Successorem habuit filium suum *Ioachin* (Iechoniam), at hic quoque viam malam patris sui ingressus post tres iam menses cum ditioribus incolis Ierusalem multisque principibus et familia sua a Nabuchodonosor in Chaldaeam transportatus est (24,8-16).

2. — *Sedecias, ultimus rex Iuda in Ierusalem* (24,17-25,26).

1.) Pro Iechonia a Nabuchodonosor tertius filius Iosiae Matthanias, quem *Sedeciam* appellavit, rex institutus undecim annis regni sui iuxta morem praedecessorum suorum male agens finem regni acceleravit (24,17-20).

2.) Anno 9. regni eius Nabuchodonosor Ierusalem obsedit; Sedecias fugere conatus, sed comprehensus et oculis effossis captivus in Babyloniam ductus est (21,1-7).

3.) Ierusalem secundo obsessionis anno a Chaldaeis capta et una cum templo direpta et devastata est; incolae qui remanserant plerique cum templi thesauris reliquis in Babyloniam transducti sunt, aliqui autem ex sacerdotibus et principibus occisi (25,8-21).

4.) Populo, quem in terra reliquit, Nabuchodonosor praefecit Godoliam, at pars populi ob Chaldaeorum timorem fugit in Aegyptum (25,22-26).

EPILOGUS TOTIUS LIBRI (25,27-30),

ut legentium animos ad spem restaurationis regni destructi erigat paucis verbis narrat, Ioachin (Iechoniam) a. 37. captivitatis suae Evilmerodach, rege Babyloniae, e carcere eductum et prae reliquis ab regibus captivis honorifice tractatum esse.

11. — *Libri primus et secundus Paralipomenon hebraice Dibre haïamim.*

Duo libri, qui in nostro canone libros Regum excipiunt, et in hebraico omnium ultimum locum occupant, unum continuum et completum opus, similiter ac duo Samuelis vel duo Regum libri, olim constituerunt. Quod a Iudaeis *Dibre haïamim* (« Verba dierum » vel uti S. Hier. vertere mavult « Chronicon totius sacrae historiae ») et ab Alexandrinis *Paralipomena* (« Praetermissa ») haud satis recte est inscriptum. Licet enim in priore sua parte multis exhibitis genealogiis auctor historiam sacram ab Adamo exorsus breviario quodam comprehendere videatur et in reliquo opere multa in libris Samuelis et Regum praetermissa suppleat, universum tamen operis argumentum totamque eius indolem consideranti dubium esse nequit, quin eius auctor, quem Esdram fuisse cum plerisque catholicis interpretibus tenemus, praedecessorum suorum libros neque chronographorum more excerpere neque iis, quae praetermissa videbantur, additis complere voluerit. Neuter igitur titulus argumento indolique libri nostri ullo modo congruit, atque omnino Esdras, partim antiquis libris sacris ipsis partim eorum fontibus adhibitis, plane novum dicendus est condidisse opus, quo contribules suos ex chaldaico exsilio reduces ad cultum divinum rite digneque celebrandum atque divinam Legem fideliter observandam exhortaretur. Quem in finem ex Davidis regumque davidicorum historia illa potissimum collegit, quae ad templi ierosolymitani splendorem augendum, ad cultum divinum promovendum, ad Legem mosaicam inculcandam egerunt, alias autem eorum res gestas eatenus dumtaxat retulit, quatenus ex eis apparet, felicem aut infelicem sortem regni Iuda a regum sollicitudine pro Legis a Domino per Moysen datae fideli observatione et ab eorum diligentia in repellenda idololatria dependisse. Ob eandem quoque causam regni septemtrionalis, quod in ipsa sua origine a legitimo cultu et a divina Lege defecerat ideoque a primis suis initiis interitui iam erat devotum, historiam fere universam plane praetermisit.

Itaque opus nostrum religiosam, vel si mavis ecclesiasticam quandam regni Iuda domusque davidicae, quae illi praefuit, historiam tradere recte dicitur, atque praecipuus eius finis est commendatio Legis divinae per Moysen datae et cultus divini in ea praescripti.

Tribus autem partibus constat; quarum *prima* (I. 1,1-9,34) *genealogiis variis antiquam historiam ab Adamo usque ad Davidem quasi in epitomen contrahit*, idque ita, ut auctorem domum davidicam tribusque illas, quae cum ea et cum divino cultu vinculo arctiore erant connexae, potissimum ante oculos habuisse appareat; *altera* (I. 9,35-29,30) *historiam Davidis regis diligenter narrat*, neque tamen totam, sed ab arcis ierosolymitanae expugnatione exorsus auctor in iis fere tradendis versatur quae David ad cultum ordinandum exornandumque et ad templi aedificationem praeparandam peregit; *tertia* (II. 1,1-36,21) *Salomonis successorumque eius historiam usque ad urbis Ierusalem templique destructionem et transportationem Iudaeorum in Babyloniam tradit*, illorum regum res accuratius tractans, qui de templo cultuque optime sunt meriti, eaque potissimum commemorans, quae ad Legem pertinent. Brevissimo demum *epilogo* (36,22. 23) initium decreti exhibetur, quo Cyrus Iudaeis reditum in Palaestinam et restitutionem templi permisit.

PRIMA PARS (I. 1,1-9,34) PRO INTRODUCTIONE *variis genealogiis antiquam historiam comprehendens quasi locum ostendit, quem inter reliquos mundi populos filii Israel et inter illos domus davidica aliaeque tribus vel familiae cum illa et cum cultu arctius connexae tenuerint.*

I. *Ab Adamo exorsus auctor iuxta Genesin seriem exhibet patriarcharum usque ad Iacob enumeratisque populis, qui a Noe descendunt, tribus recenset, quae ex Abrahamo exortae ad populum electum non pertinent* (1,1-54).

1. — *Ab Adamo usque ad Abraham* (1,1-27).

a.) Patriarcharum ante diluvium ex Adamo per Seth progenitorum nuda nomina afferuntur (1,1-4),

b.) uti etiam populorum ex tribus filiis Noe procreatorum (1,5-23).

c.) atque patriarcharum a Noe usque ad Abraham (1,24-27).

2. — *Ab Abraham usque ad Israel (Iacob)* (1,28-54).

a.) Abraham eiusque filii atque tribus, quae ex Ismael et filiis Ceturae descendunt (1,28-34).

b.) Isaac eiusque filii cum tribubus ab Esau procreatis (1,35-42) et regibus ducibusque Idumaeorum (1,43-54).

II. *Illa igitur generis humani parte, quae genuinam non conservavit revelationem, quodam modo remota, genealogiae populi israelitici ita proponuntur, ut ad tribus Iuda, Levi, Beniamin, quippe quae accuratius recenseantur, tota attentio legentium convertatur* (2,1-8,40).

1. — *Licet enim a principio omnes filii Iacob consueto ordine nominentur* (2,1-2), *primus tamen et amplior locus tribui quarti filii, nimirum Iuda, impertitur, quia ad eam domus davidica pertinet* (2,3-4,23).

a.) Neque ipsorum quinque filiorum Iuda, qui ex ordine nativitatis enumerantur (2,3-5), genealogiae eadem cum diligentia proponuntur;

b.) nam Zarae, natu minimi, posteris brevissime indicatis (2,6-8),

c.) magna cura et diligentia posteritati paenultimi, scilicet Phares vel potius Hesronis primogeniti Phares, recensendae impenditur (2,9-4,20);

α. — Hesronis enim genealogia primum directe deducitur usque ad Davidem atque ad eius fratres sororesque (2,9-17);

β. — deinde enumeratis aliis celebrioribus eiusdem stirpis familiis (2,18-55),

γ. — ad Davidem reversus sacer auctor filios omnes (3,1-9) regesque ex eo exortos (3,10-16), ultimique

regis davidici posteros, qui post exsilium vixerunt, enumerat (3,17-24);

δ. — eisque demum supplementa quaedam de domibus iam enumeratis addit (4,1-20).

d.) Filiorum Iuda autem genealogias terminat brevissima posterorum Sela commemoratione, qui solus ex legitimis Iuda filiis stirpem reliquerat (4,21-23).

2. — *Postquam fuse tradidit genealogias Iuda, paucis absolvit duorum fratrum natu maiorum stirpem* (4,24-5,26):

a.) *Simeonis,* qui in media tribu Iuda habitabat (4,24-43),

b.) et *Ruben,* qui ius primogeniturae amiserat (5,1-10),

c.) quibus adiungit *Gad* et *dimidiae Manasse* familias, quae una cum Ruben terram transiordanicam occupaverant, paucis de eorum historia insertis (5,11-26).

3. — *Diligentius vero iterum tribum Levi tractat* (6,1-81);

a.) lineam aaroniticam (summorum pontificum) enim usque ad babylonicum exsilium perducit (6,1-15);

b.) reliquas Levitarum familias enumerat (6,16-30);

c.) cantorum aliorumque officialium a Davide in ministerio tabernaculi constitutorum originem ex filiis Levi explicat (6,31-48);

d.) et summis pontificibus ab Aaron usque ad Achimaas, qui tempore Salomonis supremam dignitatem tenuit, iterum nominatis (6,49-53),

e.) civitates quoque enumerat, quae per Iosuen Aaronitis (6,54-60) aliisque familiis leviticis in reliquarum tribuum terris attributae sunt (6,61-81).

4. — *Demum reliquarum tribuum genealogias eo ordine breviter proponit* (7,1-8,40),

a.) ut paucis recenseat *Issachar* (7,1-5), *Beniamin* (7,6-12), *Nephtali* (7,13), *Manasse* (7,14-19), *Ephraïm* (7,20-29), atque *Aser* (7,30-40);

b.) sed ad *Beniamin* reversus, qui semper regibus davidicis subditus remansit et ad cuius territorium Ierusalem, civitas sancta, pertinebat,

α. — accuratius eius genealogias tradit (8,1-28),

β. — et speciatim Saulis regis quum maiores tum posteros enumerat (8,29-40).

III. *Pro huius introductionis epilogo* (9,1-34)

1. — *familiae enumerantur, quae civitatem Ierusalem incoluerunt* ante exsilium babylonicum, quum ex tribubus Iuda et Beniamin (9,1-9), tum ex sacerdotibus et Levitis (9,10-16),

2. — *variaque ministeria Levitarum indicantur,* quibus eorum fa-

miliae in templo ierosolymitano praeerant aut vacabant (9,17-34).

SECUNDA PARS (I. 9,35-29,30) *historiam Davidis in Ierusalem regnantis tradit, potissimum eorum habita ratione, quibus Ierusalem centrum religiosum Israelitis constituit, cultus splendorem auxit, templi aedificationem praeparavit.*

I. *David sede regni in Ierusalem translata in regno confirmatur* (9,35-12,40).

1. — *Transitus a genealogiis ad hanc partem* (9,35-10,14).

a.) Saulis, qui primus rex Israel divinitus constitutus est, prosapia repetitur (9,35-44 cfr 8,29-40),

b.) infelixque eius mors in memoriam revocatur (10,1-12) causis brevissime indicatis, ob quas regnum in Davidem sit translatum (10,13.14).

2. — *Davidici regni confirmatio* (11,1-12,40).

a.) Saule mortuo David ab omni Israel in Hebron rex salutatus (11,1-3) statim cum eo arcem Sion Iebusaeis eripuit sibique sedem elegit et circa eam aedificavit urbem (11,4-9).

b.) In regno autem occupando et confirmando multos habuit socios fortissimos omnibus ex tribubus, quorum haud pauci ab initio ei adhaeserant (11,10-46), alii in Siceleg et deinceps ante Saulis mortem se ei adiunxerant (12,1-22), alii demum post Saulis mortem ad eum venerant, ut eum regem constituerent in Hebron (12,23-40).

II. *David arca foederis in montem Sion translata Ierusalem facit centrum religiosum populi Israel* (13,1-17,27).

1. — *Translatio arcae in montem Sion* (13,1-16,3).

a.) Ierosolymis vix occupatis David arcam quoque foederis in Sion collocare voluit (13,1-4); subita tamen morte Ozae, qui eam inconsiderate tetigerat, absterritus (13,5-11) eam interea in domo Obededom Gethaei posuit, cui Dominus benedixit (13,12-14).

b.) Quoniam autem Dominum sibi quoque quum in familia sua (14,1-7) tum in suis bellis contra Philisthaeos propitium esse vidit (14,8-17), in monte Sion tabernaculum praeparavit, in quo arca deponeretur, a solisque Levitis eam illuc portari iussit (15,1.2).

c.) Deinde toto populo congregato atque convocatis sanctificatisque sacerdotibus et Levitis (15,3-14) magna cum sollemnitate, ministrantibus Levitis iuxta munera sua (15,15-24) transportata est arca, atque Davide ipso coram illa saltante et psallente (15,25-29) in civitatem allata et in tabernaculo iam praeparato deposita est (16,1-3).

2. — *Ordinatio cultus coram arca* (16,4-43).

a.) Deinde David Levitas cantores constituit, qui coram arca magnalia Domini continuo celebrarent (16,4-7); speciminis gratia autem hymnus additur, qui (ex *Ps.* 104.95.105. ut videtur compositus) probabiliter in ipsa translationis sollemnitate est decantatus (16,8-36);

b.) similiter alios Levitas ad alia ministeria destinavit sacerdotesque, qui antea coram tabernaculo in Gabaon sacrificaverant, deinceps coram arca in Sion holocausta iugeque sacrificium offerre iussit (16,37-43).

3. — *Davidis propositum aedificandi templi* (17,1-27).

a.) Quoniam autem David sibi ipsi domum cedrinam Ierosolymis exstruxerat, etiam Domino templum exstruere voluit (17,1-2); at per Nathan prophetam ei Dominus annuntiavit, sibi gratum quidem esse eius propositum seque ideo etiam eius domum aedificaturum thronumque eius in aeternum stabiliturum esse, nihilominus suam voluntatem esse, ut templum per eius filium aedificetur (17,3-14);

b.) quae quum a propheta audisset, David voluntati Domini acquiescens gratias ei egit de omnibus beneficiis, quibus se populumque Israel cumulasset (17,15-27).

III. *Dominus pietatem Davidis prospero regni statu remuneratur* (18,1-20,7).

1. — *Conspectus felicis regni eius* (18,1-17).

a.) Summatim vicinae gentes enumerantur a Davide devictae (18,1-13);

b.) atque internum quoque regni statum felicem fuisse declaratur iustitiae quam erga omnes exercuit commemoratione virorumque insignium, quibus aulae ministeria commisit, enumeratione (18,14-17).

2. — *Accuratior relatio de bellis contra Ammonitas Syrosque et contra Philisthaeos feliciter gestis* (19,1-20,7).

a.) Quoniam legati sui ab Ammonitis iniuriose erant tractati (19,1-7), David contra eos Ioab cum exercitu misit, qui eos aeque atque Syros eorum in auxilium accurrentes bis devicit (19,8-19); anno insequente autem Ioab regionem eorum vastavit et David civitatem Rabba destruxit (20,1-3).

b.) Tres quoque victorias exercitus eius retulit de Philisthaeis eorumque tribus gigantibus (20,4-7).

IV. *David omnibus ad templum aedificandum praeparatis atque cultu divino regnique administratione ordinatis regnum filio suo Salomoni tradit* (21,1-29,25).

1. — *Praeparationes ad templi exstructionem* (21,1-22,19).

a.) Censu populi instituto David Dominum offenderat (21,1-7);

peste autem triduana, quae multa hominum millia absumsit, punitus (21,8-14) poenitentiam egit (21,15-17); qua Dominus placatus altare sibi exstrui iussit in area Ornan (21,18-29) atque David signo divino (21,30) eum locum electum esse cognovit, in quo domus Domini exsurgeret (22,1).

b.) Itaque statim convocatis operariis omnia praeparare coepit (22,2-5), Salomonem ad hoc opus suscipiendum et perficiendum exhortatus est (22,6-16) reliquosque principes Israel filium suum in hoc opere adiuvare iussit (22,17-19).

2. — *Davidis instituta de cultu divino et de regni administratione* (23,1-27,34).

a.) Cultum divinum, quum in eo iam esset, ut filio regnum traderet (23,1), ita ordinavit, ut Levitarum censu instituto totaque tribu iuxta tres filios Levi in tribus familiis recensita (23,2-24) et eorum ministeriis descriptis (23,25-32)

α. — primum in viginti quatuor classes sacerdotes distingueret (24,1-19);

β. — deinde illorum Levitarum classes designaret, qui sacerdotibus in cultu assisterent (24,20-31);

γ. — porro viginti quatuor quoque classes cantorum leviticorum fecit (25,1-31),

δ. — atque demum classes Levitarum, qui muneribus ianitorum (26,1-19), thesaurariorum (26,20-28), iudicum praefectorumque (26,29-32) fungerentur.

b.) Simili modo regni administrationem ordinavit

α. — exercitu distributo in duodecim turmas (27,1-15),

β. — institutis principibus duodecim tribuum (27,16-24),

γ. — administratoribus thesaurorum regiorum (27,25-31)

δ. — consiliariisque regiis (27,32-34).

3. — *Regni abdicatio et traditio in manus filii* (28,1-29,25).

a.) Magno principum consessu convocato David Salomonem declaravit successorem suum divinitus constitutum, qui templum aedificaret (28,1-10);

b.) deinde templi descriptionem, quam ipse a Deo acceperat, ei tradidit (28,11-21) thesaurisque enumeratis, quos ipse ad templum aedificandum iam collegerat, exhortatus est principes, ut ipsi quoque aliquid conferrent (29,1-5), qui libenter offerentes regem gaudio affecerunt (29,6-9);

c.) qua de re gratias egit Domino simul eum deprecans, ut Salomonem in opere isto adiuvaret (29,10-19).

d.) Deinde Salomoni regnum tradidit, qui regia unctione accepta ab omnibus rex salutatur (29,20-25).

Epilogus huius partis (29,26-30) annis regni Davidis indicatis fontes nominat, in quibus eius res gestae narrantur.

PARS TERTIA (II. 1,1-36,21) *Salomonis successorumque eius historiam auctor narrat eorum res gestas accuratius referens, qui in cultu promovendo sollicitiores fuerunt.*

I. *Salomonis regnum templi aedificatione et inauguratione celeberrimum fuit* (1,1-9,31).

1. — *Salomonis initia* (1,1-17).

a.) Magno sacrificio oblato coram tabernaculo mosaico in Gabaon Salomon regnum suum inauguravit (1,1-6);

b.) Dominus autem nocte ei apparens sapientiam ei tribuit (1, 7-13) effecitque, ut divitiae ei affluerent (1,14-17).

2. — *Templi aedificatio et inauguratio* (2,1-7,22).

a.) Ut templum aedificaret, Salomon ab Hiram Tyri rege architectum petiit et ligna cedrina aliaque, quibus indigebat (2,1-10); atque eius assensu obtento (2,11-16) advenas, qui inter Israelitas habitabant, velut operarios coegit (2,17-18).

b.) Dein templum, cuius descriptio exhibetur, aedificavit (3,1-17), vasaque quum atriorum tum sanctuarii praeparavit (4,1-22).

c.) In templum terminatum (5,1) magna cum pompa ab universo populo arcam foederis, per Levitas transferendam curavit et gloria Domini implevit domum (5,2-14).

d.) Salomon vero gratiis Deo actis, quod promissionem Davidi factam implevisset (6,1-11), supplex coram multitudine precatus est, ut Dominus vota in templo orantium exaudiret (6,12-42); igne autem coelitus super sacrificia misso Deus ratam se habere precationem manifestavit (7,1-3) atque tota consecratione terminata Salomon populum dimisit (7,4-10).

e.) Quibus omnibus absolutis Dominus iterum Salomoni apparuit eique et domui et populo eius auxilium suum promisit, si Legem fideliter essent observaturi, poenas autem minatus est, si eam essent transgressuri (7,11-22).

3. — *Reliquarum rerum Salomonis summarium* (8,1-9, 28).

a.) Primum civitates post exstructum templum ab eo aedificatae et populi ab eo subiecti breviter commemorantur (8,1-10);

b.) postquam deinde monitum est, eum uxorem aegyptiam in patris sui David aedes utpote sanctificatas introducere noluisse (8,11), instituta patris de sacrificiis sacerdotum et de Levitarum ordinibus ministeriisque renovasse refertur (8,12-16);

c.) demum paucis de eius expeditionibus maritimis insertis (8,17.18) universa eius gloria et magnificentia quum reginae Sabae ad eum invisendum itinere relato (9,1-12) tum enumeratis proventibus opibusque eius declaratur (9,13-28).

Epilogus huius sectionis, uti sequentium regnorum omnium, fontes indicat, e quibus narratio hausta est (9,29-31).

II. *Tres primi successores Salomonis, Roboam, Abiam, Asa, decem tribus, quae a domo davidica defecerunt, ad eam reducere non potuerunt* (10,1-16,14).

1. — *Regnum Roboam, filii Salomonis* (10,1-12,16).

a.) Roboam, quum iuvenum amicorum suorum consilium secutus decem tribus laxamentum iugi a patre impositi petentes duro responso ad defectionem temere impulisset (10, 1-19), a Domino prohibitus est, ne eas vi manuque ad obedientiam redigeret (11,1-4).

b.) Ceterum ab initio regnum suum confirmavit quum civitatibus multis in territoriis tribuum Iuda et Beniamin aedificatis et munitis (11,5-12), tum Levitis sacerdotibusque, quos Ieroboam e finibus suis expulit, et omnibus illis Israelitis, qui Domino fideles adhaeserunt in terram suam receptis (11,13-17), tum Abia, filio suo prudentiore, reliquis suis multis filiis omnibusque civitatibus Iuda et Beniamin praefecto (11,18-23).

c.) Quum vero Dei Legem transgressus esset, tradita est terra in manus Sesac, regis Aegypti, et non liberata, nisi postquam Roboam et populus poenitentiam egerant (12,1-16).

2. — *Regnum Abiae* (13,1-22).

a.) Abiam quum bellum suscepisset contra Ieroboam, postquam decem tribus sermone ad Dominum reducere frustra conatus erat (13,1-12),

b.) victoriam quidem de eis retulit civitatesque nonnullas eis eripuit, neque tamen eas ad obedientiam redegit (13,13-22).

3. — *Regnum Asa* (14,1-16,14).

a.) Asa idolorum cultui evertendo, subditis suis ad Legem revocandis, civitatibus muniendis intentus regnum suum haud parum confortavit (14,1-8);

b.) quare etiam Zaram Aethiopem exercitumque eius Deo adiuvante devicit (14,9-15).

c.) Admonitus autem ab Azaria propheta, felicitatem regni a fideli Legis observantia dependere (15,1-7), maiore cum ardore idololatriam impugnare coepit et foedus populi cum Deo renovavit (15,8-19).

d.) Finis tamen regni minus felix; etenim in bello contra Israel Deo solo non confisus imploravit Syrorum auxilium; a quibus adiutus regem Israel devicit quidem (16,1-6), sed vituperatus est a Deo per prophetam Hanani (16,7-9). Qua de re iratus rex, quum prophetam in vincula coniecisset et crudeliter egisset erga populum (16,10), morbo punitus est, quo quum solis medicis confideret periit (16,11-14).

III. *Tres qui secuti sunt reges, Iosaphat, Ioram, Ochozias, propter suam amicitiam cum domo Achab poena a Deo affecti sunt* (17,1-22,12).

1. — *Regnum Iosaphat regis ceterum pii* (17,1-20,37).

a.) Iosaphat ab initio regni sui cultum Domini promovebat et Levitis per terram dimissis populum Legem docebat (17,1-9), quare etiam auctoritas et potestas eius creverunt (17,10-19).

b.) Sed affinitate coniunctus cum Achab, impio rege Israel, seductus est, ut una cum eo bellum inferret Syris, quamvis propheta Michaeas eum esset dehortatus (18,1-27); infelix autem fuit bellum, Achab occisus est et Iosaphati revertenti Ierosolyma propheta Iehu poenam praedixit propter eius cum rege Israel coniunctionem (18,28-19,3).

c.) Redux Iosaphat populum iterum ad Legem revocavit et iustitiam coluit (19,4-11); quare etiam, quum Moabitae, Ammonitae aliaeque gentes ei bellum inferrent et ipse a Domino auxilium petisset (20,1-13), Deus per prophetam Iahaziel splendidam victoriam ei praedixit (20,14-19) et tantam ei largitus est, ut omnes vicinae gentes timore percellerentur (20, 20-30).

d.) Historiam regni huius consueto modo terminans (20,31-34) auctor breviter monet expeditionem maritimam, quam Iosaphat una cum impio Israelis rege Ochozia praeparaverat, navibus secundum prophetae Eliezer vaticinium destructis, a Deo esse impeditam (20,35-37).

2. — *Regnum Ioram, Iosaphat filii impii* (21,1-20).

a.) In throno vix confirmatus Ioram ex avaritia fratres suos cunctos et aliquos principes occidit atque toto regni sui tempore ad uxoris suae Athaliae, filiae impiae impii Achabi, exemplum in viis malis regum Israel ambulavit (21,1-6).

b.) Propter promissiones tamen suas Dominus domum David disperdere noluit; permisit autem, ut Idumaei ab ea deficerent (21,7-11), et regi ipsi per Eliae (Elisei) literas pessimam mortem clademque familiae annuntiavit (21,12-15), quod vaticinium mox impletum est (21,16-20).

3. — *Ochoziae, Athaliae filii, regnum* (22,1-12).

a.) Impiae matris suae consilia secutus impie regnavit ideoque in bello contra Syros, quod cum Ioram rege Israel suscepit, infelix fuit et cum eo et cum filiis fratrum suorum per Iehu occisus est (22,1-9).

b.) Mater eius autem Athalia regnum arripuit omnesque filios eius interfecit, solo excepto Ioa, qui a Iosabeth, sorore Ochoziae et uxore Ioiadae pontificis, in templo absconditus est (22,10-12).

IV. *Varia fuit regni sors sub regibus, qui secuti sunt usque ad Ezechiam* (23,1-28,27).

1. *Regnum Ioae* (23,1-24,27).

a.) Ioiada sacerdos Levitis ex tota terra congregatis rebellionem movit contra Athaliam felici cum successu, ita ut Ioam ungere regem potuerit (23,1-11); deinde Athalia gladio interfecta et Baalis cultu exstirpato foedus populi cum Domino renovavit (23,12-21).

b.) Ioas autem, quamdiu Ioiada vixit, bene regnavit templumque restauravit (24,1-14); sed post Ioiadae mortem principum consilia secutus idololatriam restauravit (24,15-18), frustra renitentibus prophetis, ex quorum numero Zacharias, Ioiadae filius, occisus est (24,19-22).

c.) Quapropter Deus eum populumque punivit infelici exitu belli contra Syros, et Ioas ipse a coniuratis interfectus est (24,23-27).

2. — *Regnum Amasiae, filii Ioae* (25,1-28).

a.) Ab initio bene regnans iuxta Legem (25,1-4) in bello contra Idumaeos, quamvis auxiliares Israelitas conductos monente propheta remisisset, a Deo adiutus felix fuit (25,5-13);

b.) postquam autem deos Idumaeorum, frustra renitente propheta, colere coeperat, in bello contra Ioachaz, regem Israel, devictus et a suis subditis interfectus occubuit (25,14-28).

3. — *Regna Oziae* (*Azariae*) *et Ioatham* (26,1-27,9).

a.) Ozias quoque ab initio bene regnans (26,1-5) a Deo adiutus est in bellis contra Philisthaeos aliasque gentes, confortatoque regno nomen magnum sibi acquisivit (26,6-15);

b.) sed quum superbia elatus ipse sacrificium adolere voluisset, lepra punitus est, ut regnum filio suo Ioatham tradere sit coactus (26,16-23).

c.) Ioatham autem in bona via perseverans auxilium divinum expertus est in bellis suis contra Ammonitas (27,1-9).

4. — *Regnum impiissimi regis Achaz* (28,1-27).

a.) Idololatrico cultu regni Israel non contentus etiam Baali cultum renovavit et idola omnis generis coluit (28,1-4); quare non tantum in Syrorum sed etiam Israelitarum manus traditus est, qui multos eius subditos transtulerunt in Samariam (28,5-8).

b.) Israelitae quidem, monente propheta Osee, captivos remiserunt (28,9-15), at Achaz, quamvis undique ab hostibus premeretur (28,16-21), in mala via obduratus ipsum templum clausit omnibusque in civitatibus Iuda aras idolorum exstruxit (28,22-25); unde post mortem in sepulcra regum Iuda receptus non est (28,26.27).

V. — *Ezechias; restaurator templi et cultus, insignibus honoratur Domini beneficiis* (29,1-32,33).

1. — *Templi restauratio cultusque divini restitutio* (29,1-36).

a.) Ezechias impii patris pius filius statim a regni sui principio templum iterum aperuit convocatosque Levitas et sacerdotes illud mundare iussit (29,1-11).

b.) Qui quum mandatum exsecuti essent (29,12-19), rex cum principibus sacrificia multa pro peccato offerenda curavit (29,20-24);

c.) atque cultu sollemni restituto (29,25-30) populum exhortatus est, ut ipse quoque Domino sacrificia offerret (29,31-36).

2. — *Pascha cum magna pompa celebratum* (30,1-27).

a.) Nuntiis deinde missis per universam Palaestinam cunctos filios Israel ad pascha Domino celebrandum convocavit (30,1-9) invitationique pauci quidem ex Israel, sed multi ex Iuda obsecuti sunt (30,10-12).

b.) Qui congregati pascha celebrarunt iuxta Legem septem diebus (30,13-22), quin etiam illud in alios septem dies protraxerunt (30,23-27).

3. — *Reformationis continuatio* (31,1-21).

a.) Paschate rite celebrato totus populus non solum in Iuda et Beniamin, sed etiam in Ephraim et Manasse cuncta excelsa idolorumque lucos et altaria delevit, rex autem restitutis ministeriis sacerdotalibus et leviticis praecepit, ut ea, quae sacerdotibus et Levitis deberentur, omnes conferrent (31,1-5).

b.) Quod praeceptum tanta cum alacritate et liberalitate exsecutioni est mandatum, ut horrea in domo Domini essent praeparanda et aliqui constituendi, qui omnia servarent et distribuerent (31,6-21).

4. — *Divina beneficia Ezechiae collata* (32,1-33).

a.) Propter fidelitatem suam Ezechias, quum a Sennacherib bellum ei esset illatum, a Deo liberatus est, exercitu assyriaco per angelum destructo (32,1-23).

b.) A morbo etiam mirabiliter est sanatus (32,24), sed in superbiam elatus divinam iram provocavit; quia vero poenitentiam egit, Deus avertit poenam tempore regni eius, ut rex magna cum felicitate regnaret usque ad mortem (32,25-33).

VI. *Regum Manasse et Amon impietas interitum regni adducit, quem Iosiae pietas retardavit quidem, sed non avertit* (33,1-36,21).

1. — *Regna Manasse et Amon* (33,1-25).

a.) Pii regis Ezechiae filius Manasse tanta erat impietate, ut et se ipsum omni cultui illicito dederet et totum populum idolis

in ipsum templum allatis seduceret (33,1-10); quare Deus eum in manus Assyriorum tradidit, qui vinctum abduxerunt in Babyloniam: ubi poenitentia peracta libertatem recuperavit, redux vero idola destruxit (33,11-20).

b.) Filius eius Amon patris peccata, sed non poenitentiam imitatus a servis suis occisus est (33,21-25).

2. — *Regnum Iosiae* (34,1-35,27).

a.) Iosias, qui puer rex est factus, 8. anno regni coepit idololatriam omnibus viribus impugnare (34,1-7).

b.) Anno 18. regni eius, quum templum restauraretur, liber Legis a Moyse conscriptus inventus et regi allatus est (34,8-18); qui verbis Legis auditis admonitus per prophetissam Holda integro populo Legem legit foedusque cum Deo sollemniter renovavit atque cunctas abominationes de universis regionibus filiorum Israel abstulit (34,19-33).

c.) Magna quoque cum sollemnitate pascha celebravit secundum Legem (35,1-19).

d.) In infelici autem proelio contra Nechao, regem Aegypti, occisus est (35,20-24) et ab Ieremia universoque populo planctus (35,25-27).

3. — *Regni Iuda interitus sub Iosiae filiis* (36,1-21).

a.) Iosiae filius natu maximus *Ioachaz* post tres menses iam a Nechao in Aegyptum abductus est (36,1-4) et secundus filius *Ioakim* in fratris locum suffectus, postquam undecim annis male regnavit, a Nabuchodonosor devictus et in Babyloniam translatus est (36,5-8).

b.) Quem secutus est filius eius *Ioachin* (Iechonias); sed iam anno insequente Chaldaei eum una cum pretiosissimis vasis templi Babylonem transportarunt (36,9-10). Regem vero Nabuchodonosor constituit *Sedeciam*, Iechoniae patruum, qui praedecessores suos imitatus non tantum male regnavit, sed etiam cum populo suo Ieremiae aliisque prophetis a Deo missis irrisit (36,11-16).

c.) Hinc Dominus contra eos denuo misit regem Chaldaeorum, qui civitatem Ierusalem destruxerunt, templum incendio deleverunt, reliquias populi in Chaldaeam transportaverunt, usque dum complerentur septuaginta anni (36,17-21).

EPILOGUS TOTIUS OPERIS (36,22. 23)

allato initio decreti, quo Cyrus Iudaeis reditum in Palaestinam et templi restaurationem permisit, septuaginta illos annos terminatos esse declarat.

12. — *Liber primus Esdrae et liber Nehemiae qui et Esdrae secundus dicitur.*

Libros duos, qui in graecis latinisque Bibliis Paralipomena excipiunt atque eodem Cyri decreto, quo illa desinunt, incipientes cum illis arcte connectuntur, multi pro duobus diversis operibus habent, quae titulis pro duobus quos statuunt auctoribus cum iunioribus Hebraeis distinguentes, Vulgata nostra non plane dissentiente, *Esdram* atque *Nehemiam* inscribunt. Utriusque tamen universo argumento totaque indole spectatis cum antiquioribus Hebraeis illa duas partes unius operis dicere malumus, quod Esdras partim solus conscripsit, partim ex publicis privatisque documentis, inter quae Nehemiae commentariolus quidam praecipuum tenuit locum, ita composuit, ut ea integra transumeret et sententiis quibusdam insertis apte coniungeret.

Argumentum porro operis est *restauratio societatis religiosae ac politicae Israelitarum, qui finito exsilio in Palaestinam reversi sunt.* Esdras enim, sicut in Paralipomenis, ut aequales suos reduces ad sollicitam cultus redintegrationem Legisque observantiam diligentem adduceret, historia regum davidicorum narrata sortem regni felicem vel infelicem ab eorum sollicitudine in cultu promovendo et inculcanda Lege dependisse demonstravit, ita in hoc opere narratione eorum, quae a reducibus ipsis in templi civitatisque reaedificatione, restitutione cultus ac morum reformatione praestita sunt, posteros ut videtur exhortari voluit, ut maiorum sollertiam aemulantes ea conservarent et augerent, quae illi Deo adiuvante tot difficultatibus superatis iterum constituerant. Quem in finem a Cyri decreto historiam reducum ultra a. 32. Artaxerxis I. Longimani perducit, iis solis narratis, quae eorum curam de templo, centro religioso, restituendo, de civitate Ierusalem, centro politico, muris iterum munienda, de moribus ad Legis praescripta revocandis manifestant.

Duabus autem partibus opus constat, quae duobus libris, in quos editiones illud distribuunt, et ipsi quoque argumento respondent; nam in *priore* (I. 1,1-10, 44), quae templi cultusque restitutionem narrat, *de religiosa restauratione praecipue agitur;* in *altera* (II. 1,1-12,42) vero, quae murorum reaedificationem fuse describit, *politica restauratio est praecipuum argumentum;* in utraque tamen morum reformatio suum locum tenet atque ad hanc etiam *brevis appendix* (II. 12,43-13,31) pertinet, quae pravas quasdam consuetudines per Nehemiam post a. 32. Artaxerxis Ierosolyma reversum sublatas esse addit.

PARS PRIOR (I. 1,1-10,44) *de templi aedificatione sub Cyro inchoata et sub Dario terminata atque de prima morum reformatione tempore Artaxerxis per Esdram facta agit.*

I. *Iudaei Zorobabele duce ex Babylonia reversi restaurationem templi ierosolymitani inchoant et multis superatis impedimentis post viginti annos terminant* (1,1-6,22).

1. — *Primus exsulum reditus anno 1. Cyri, i. e. a. 536. a. Chr.* (1,1-2,70).

a.) Completis septuaginta annis per Ieremiam prophetam

praedictis (1,1) Cyrus decreto suo permisit, ut Iudaei in patriam reverterentur templumque suum resuscitarent (1, 2-4); quin etiam eis, qui reverti voluerunt (1,5. 6), vasa templi per Nabuchodonosor ablata restitui iussit (1,7-11).

b.) Ducibus igitur Zorobabele et summo sacerdote Iosua plus quam quadraginta millia exsulum, inter quos multi quidem sacerdotes, pauciores autem Levitae et Nathinaei erant, reversi sunt (2,1-67) atque voluntariis donis ad templi reaedificationem magna cum liberalitate collatis varias civitates occuparunt (2,68-70).

2. — *Fundamenta templi anno 2. Cyri iacta* (3,1-13).

a.) Septimo mense eiusdem anni, quo redierunt, altari exstructo magna cum sollemnitate festum tabernaculorum celebrarunt et ab eo die holocausta offerre inceperunt (3,1-6).

b.) Anni autem 2. mense 2. fundamenta novi templi iecerunt aliis laetantibus de opere incepto, aliis, qui prius templum viderant, lacrimantibus (3,7-13).

3. — *Impedimenta templum aedificantibus obiecta* (4,1-6,12).

a.) Samaritani, quum opus coeptum esse audissent, petierunt a Zorobabele et Iosua, ut sibi una cum illis templum aedificare liceret (4,1.2). Quibus abnuentibus a regibus Persarum, consiliariis eorum corruptis, impetrarunt, ut Iudaeis continuatio operis interdiceretur; qui rerum status usque ad Darii regnum duravit (4,3-5).

b.) Qua occasione auctor per parenthesin narrat, quibus machinationibus iidem hostes postea sub Assuero (Xerxe) et Artaxerxe I. *urbis* restaurationem impedierint (4,6. 7), literis accusatoriis hostium (4,8-16) regisque Artaxerxis decreto allatis (4,17-23) [1].

c.) Ad propositum autem reversus (4,24) anno 2. Darii aedificationis opus exhortantibus prophetis Aggaeo et Zacharia resumtum quidem, sed mox novis moris per Persarum satrapas allatis denuo interruptum esse refert (5,1-5); eos quippe literis missis Darium interrogasse, num illud Cyri decretum, ad quod Iudaei provocarent, revera exstaret (5,6-17); regem vero non tantum illud in archivo Ecbatanis reperiri affirmasse, sed etiam satrapis praecepisse, ut Iudaeis aedificantibus auxilium praestarent (6,1-12).

(1) Antiquiores interpretes hac in pericope de impedimentis *templo* aedificando allatis sermonem esse atque chronologicum ordinem ab auctore teneri rati nomine Assueri Cambysem et nomine Artaxerxis Pseudo Smerdin intelligendos esse coniecerunt. At in epistola accusatoria et in regio decreto de sola *urbe* aedificanda agitur, et nomina *Achaschverosch* (Assuerus) et *Arthachschaschtha* esse hebraicas transcriptiones nominum persicorum *Kschajarscha* (Xerxis) et *Artakschatra* (Artaxerxis) hodie ab omnibus admittitur.

4. — *Templum terminatum et consecratum a. 6. Darii, i. e. a. 516 a. Chr.* (6,13-22).

a.) Satrapis igitur decreto regio obsequentibus Iudaei tam alacriter templo exstruendo institerunt, ut illud a. 6. Darii perficerent (6,13-15);

b.) terminatum autem multis victimis oblatis consecrarunt atque sacerdotum ordinibus Levitarumque ministeriis restitutis magna cum laetitia primum pascha per septiduum celebrarunt (6,16-22).

II. *Alii Iudaei duce Esdra tempore Artaxerxis revertentes mores ad Legis praecepta reformare incipiunt* (7,1-10,44).

1. — *Secundus exsulum reditus a. 7. Artaxerxis, i. e. a. 468. a. Chr.* (7,1-8,36).

a.) Esdras genere aaronitico exortus et scriba velox in Lege (7,1-5), facultate ab Artaxerxe obtenta, cum magna exsulum turba a. 7. Artaxerxis revertitur in Palaestinam (7,6-10).

b.) Decreto enim regio non solum cum aliis, quicunque vellent, redeundi facultatem obtinuerat sed simul regis aliorumque dona in templum deferre atque mosaicae Legis observantiam promovere erat iussus (7,11-26).

c.) Qua de re Deo gratiis actis (7,27.28) magnum numerum sacerdotum et laicorum congregaverat (8,1-14), Levitas autem paucos et Nathinaeos, qui secum irent, non sine difficultate invenerat (8,15-20).

d.) Quibuscum postquam ieiunio ad iter sese praeparavit (8,21-23) thesaurosque ac regia dona sacerdotibus nonnullis custodienda tradidit (8,24-30), iter ingressus Ierosolyma feliciter advenit, thesauros in templo consecravit, sacrificio oblato eos sanctificavit, regiumque decretum cum satrapis communicavit (8,31-36).

2. — *Initium reformationis morum, illegitimis connubiis remotis* (9,1-10,44).

a.) Esdras, quum rescivisset Iudaeos multos, Lege despecta, cum gentilibus matrimonia contraxisse, gravissimo dolore afflictus (9,1-5) coram Deo populi peccatum deflevit et misericordiam divinam imploravit (9,6-15).

b.) Iudaeis ierosolymitanis promtitudinem suam ad Esdrae mandata exsequenda promittentibus (10,1-5) universum populum Ierosolymis congregavit eique praecepit, ut uxores alienigenas dimitterent (10,6-17);

c.) cui praecepto obsecuti sacerdotes, Levitae et multi ex populo eas repudiarunt (10,18-44).

Pars altera (II. — 1,1-12,42) *de urbis Ierusalem restauratione agit et de foederis divini redintegratione.*

I. *Nehemias ex Babylonia redux muros civitatis reaedificat multis magnisque difficultatibus superatis* (1,1-7,73).

1. — *Urbis reaedificandae permissio a. 20. Artaxerxis I., i. e. a. 455. a. Chr., per Nehemiam obtenta* (1,1-2,6).

a.) Nehemias, regis Artaxerxis I. Longimani pincerna, misero Iudaeorum in patriam reversorum statu audito (1,1-3) vehementer dolens, quod muri Ierusalem destructi iacerent, supplici oratione primum ad Deum se convertit (1,4-11);

b.) deinde quum coram rege ministerio suo fungeretur, ab eo restituendae urbis permissionem petiit et feliciter impetravit (2,1-6).

2. — *Murorum exstructio coepta* (2,7-3,31).

a.) Regio decreto munitus, quod parum placuit satrapis Persarum (2,7-10), Nehemias statim post suum adventum statu rerum accurate perspecto (2,11-15) Iudaeos adduxit, ut muris restituendis manum admoverent (2,16-18); irridentes autem satrapas ad silentium redegit (2,19.20).

b.) Opus restaurationis diligenter describitur, nominatis quum operariis omnibus tum operis partibus, quas singuli terminandas susceperunt (3,1-31).

3. — *Variis gravibusque difficultatibus superatis opus feliciter terminatum* (4,1-6,19).

a.) Ab initio quidem gentes vicinae Iudaeis laborantibus irriserant (4,1-3); quum vero eos divino auxilio confisos opus diligenter urgere viderent, aperta vi eos impedire conati sunt (4,4-8); at Nehemiae vigilantia eorum conatus ad irritum redegit (4,9-15), atque Iudaei operi institerunt una manu laborantes, alia gladium tenentes (4,16-23).

b.) Alterum impedimentum exortum est ab avaritia divitum, qua pauperes ad tumultum excitati sunt (5,1-5); severa autem usurae prohibitione Nehemias tumultum sedavit, (5,6-13), suoque exemplo divites ad misericordiam erga pauperes adduxit (5,14-19).

c.) Insidiis quoque hostes Nehemiam perdere tentarunt ex urbe eum elicere conati (6,1-9), neque inter urbis incolas defuerunt, qui cum hostibus consentientes ei insidias struerent (6,10-14).

d.) Quibus omnibus machinationibus devictis Nehemias brevi tempore murum complevit non obstante etiam nonnullorum optimatum Iudaeorum cum hoste commercio (6,15-19).

4. — *Census incolarum urbis Ierusalem praeparatus* (7,1-73).

a.) Prima cura, postquam urbem munivit, Nehemiae fuit, ut

ianitoribus custodibusque portarum constitutis eam etiam custodiret (7,1-3);

b.) verum quum animadvertisset eam pro incolarum numero esse spatiosiorem, aliis ex civitatibus cives arcessere cogitavit (*cfr* 11,1), postquam antea incolas urbis ipsos recensuisset (7,4.5); quem censum praeparans catalogum invenit eorum, qui duce Zorobabele reversi sunt, eumque in suum commentarium recepit (7,6-73)[1].

II. *Nehemias et Esdras foedere renovato ordinem religiosum atque etiam politicum restituunt* (8,1-12,42).

1. — *Ordo religiosus redintegratus et foedus cum Deo renovatum* (8,1-10,39).

a.) In festo tabernaculorum populus ab Esdra petiit, ut publice coram omnibus Legem praelegeret; qui eorum votis obsecutus de mane usque ad meridiem legit (8,1-8); quum vero omnes Lege audita lugerent, moniti sunt ab Esdra et Nehemia, ut festum cum gaudio celebrarent (8,9-12).

b.) Porro altero die, quum Dominum praecepisse audirent, ut in tabernaculis die festo habitarent, subito praeceptum exsequi coeperunt (8,13-18).

c.) Festo autem terminato, ab alienigenis separati convenerunt, ut de peccatis poenitentiam agerent (9,1,2.), atque postquam per Levitas in longa oratione Domini misericordias celebrarunt suamque obstinationem accusarunt (9, 3-35), foedus cum Deo renovarunt (9,36,37).

d.) Qua de re confectum est documentum publicum (9,38), cui subscripserunt Nehemias et optimates et reliqui de populo (10,1-29) spondentes se omnia Dei praecepta observaturos, maxime vero illa, quae de vitandis coniugiis illicitis, de sabbatis, annis sabbaticis, oblationibus, primitiis sancte servandis erant statuta (10,30-39).

2. — *Ordinis politici restauratio et dedicatio murorum civitatis* (11,1-12,42).

a.) Quum Ierusalem pro magnitudine sua incolis careret (*cfr* 7,4), providit Nehemias, ut decima populi pars civitatem sanctam incoleret, reliqui alias terrae civitates occuparent (11,1-3);

b.) qua occasione familiae Ierusalem incolentes (11,4-24) et civitates a tribubus Iuda et Beniamin occupatae (11,25-36) enumerantur, uti etiam sacerdotes Levitaeque, qui cum Zorobabele sunt reversi (12,1-9), summi pontifices (12,10. 11), et sacerdotes (12,12-21) Levitaeque qui tempore Esdrae et Nehemiae fuerunt (12,22-26).

(1) Idem Catalogus ab Esdra iam est receptus; *cfr* I. 2,1-70.

c.) Quibus peractis congregati sunt omnes Levitae (12,27-29) et postquam populum ipsum et muros civitatis (victimis) mundarunt (12,30), duo chori gratias agentium circuierunt universum murum (12,31-41) et sacrificiis oblatis dedicationem terminaverunt (12,42).

Appendix brevis (12,43-13,31) *refert, quomodo paucis annis post Nehemias Iudaeos iterum ad legum quarumdam observationem revocare debuerit.*

a.) Esdras et Nehemias iuxta Legis praecepta non tantum rerum ad cultum pertinentium administrationem apte ordinaverant, viris constitutis, qui primitias decimasque et reliquas oblationes rite conservarent et distribuerent (12,43-46), sed etiam populum remotis coniugiis illegitimis ab alienigenis sollicite separaverant (13,1-3).

b.) Attamen quum Nehemias anno 32. Artaxerxis (i. e. a. 443. a. Chr.) a rege in Babyloniam esset revocatus, multi denuo abusus irrepserant; quos Ierusalem reversus abstulit, ordinem restituens in gazophylacio (13,4-9), Levitis aliisque ministris sacris illa, quae eis competebant, distribuens (13,10-14), sabbati violationem quamcumque severe prohibens (13,15-22), viros puniens, qui uxores alienigenas duxerant, neque ipsi filio summi sacerdotis parcens (13,23-29); uno verbo omnia ad Legem redegit (13,30.31).

III. — Libri particularia quaedam facta historiae israeliticae narrantes.

13. — *Liber Tobiae.*

Titulo ipso suo *liber Tobiae* aliqua ex parte argumentum suum nobis prodit; Israelitae, quippe cui nomen Tobias, in captivitatem assyriacam abducti et in regni capite Ninive degentis atque simul filii eius homonymi et nurus Sarae mirabilia fata enarrat; qui mediis in calamitatibus Domino confisi summis ab eo beneficiis cumulari meruerunt. Omnia ergo diligentibus Deum in bonum cooperari docens insigne nobis praebet documentum providentiae, qua Deus piorum suorum servorum res dirigens aerumnis quidem interdum eos probat, nunquam tamen eis, dummodo in ipso uno spem ponant et ad ipsum confugiant, auxilium suum ad res adversas omnes fortiter constanterque perferendas denegat, quin etiam aliquoties miraculis eorum patientiam, fiduciam, perseverantiam remuneratur.

In duas autem partes et epilogum brevem opusculum distribuere licet; *prior pars* (1,1-3,25), quae quasi praeparatoria est, Tobiae senioris et Sarae pietate adumbrata firmam spem describit, qua in acerbitatibus suis a Deo auxilium petierunt; *altera* vero, quae praecipua est (4,1-13,23) iunioris Tobiae itinere narrato Deum per Raphaelem angelum utrique auxilium petitum praebuisse exponit; *epilogus* demum (14,1-17) utriusque Tobiae felicem mortem paucis refert.

Libelli textus primigenius hebraicus periit; quatuor autem recensionibus, una latina et tribus graecis ad nos pervenit, quae omnes eadem quidem facta eodem ordine exhibent, haud paucis tamen in locis quum numeris nominibusque tum sententiis vel additis vel omissis inter se differunt. Analysin, uti patet, iuxta authenticam nostram Vulgatam dabimus; attamen quum tres aliae quoque recensiones longo ecclesiarum catholicarum usu sint probatae, praecipua quaedam in notis indicare iuvabit, quae consentiens aliarum testimonium in antiquioribus, a quibus dependent, exemplaribus defuisse insinuat.

Pars prior (1,1-3,25) *paucis exponit, quomodo Tobias senior et Sara, non obstante sua pietate, calamitatibus a Deo afflicti supplicibus precibus ad eum confugerint ab eoque exauditi sint.*

1. — *Tobiae senioris vita pia, fortuna adversa, precatio ad Deum* (1, 1-3,6).

a.) Tobias e tribu Nephthali ortus, quamquam regnum Israel incolebat, a puero tamen Legem mosaicam fideliter observabat filiumque suum in eadem Lege educabat (1,1-10).

b.) Cum uxore et filio a rege Salmanasar (vel potius Enemessar i. e. Sargon) captivus Niniven abductus a Lege non defecit, sed (regis emtor factus) eundi quocunque vellet facultate usus est, ut concaptivos consolaretur adiuvaretque (1,11-15); uni autem ex eis, Gabelo in Rages civitate Medorum exsulanti magnam pecuniae summam sub chirographo dedit (1,16.17).

c.) Post Salmanasaris (vel potius Sargonis) mortem, quum filius eius Sennacherib Israelitas opprimere coepisset, Tobias eos consolari et adiuvare non cessavit (1,18-20); maximam autem pietatem exhibuit erga contribules suos post cladem, quam in Palaestina Sennacherib accepit; Israelitas enim, quos multos tyrannus occidit, pius vir sepelivit; quare rex eum ad mortem quaesivit atque omnibus spoliatus Tobias cum uxore et filio fugere et latere debuit, donec Sennacherib a filiis suis interfectus est (1,21-24).

d.) Initio regni Asarhaddonis Tobias Niniven in domum suam reversus (1,25) mortuos sepelire non destitit; sed quum semel hac pia occupatione defatigatus iuxta domus parietem obdormisset, hirundinis stercore oculis privatus est (2,1-11). Quam probationem Deus permisit, ut Tobias ad instar Iobi fieret exemplar patientiae invicto animo amicorum et parentum irrisiones perferens (2,12-18) [1].

e.) In summa porro miseria ab omni iniustitia abhorrens ab ipsa sua uxore, quam suspicione quadam irritaverat, ob pietatem misericordiamque suam opprobriis oneratus est (2,19-23); at humili precatione ad Deum confugiebat et iusta esse divina iudicia confitens mortem sibi optabiliorem esse obtestabatur quam vitam (in opprobriis peractam) (3,1-6).

2. — *Sarae aerumnae et precatio supplex* (3,7-23).

a.) Eadem die, qua Tobias ab uxore, Sara, filia Raguelis, Israelitae in Rages (vel potius Ecbatanis) exsulantis, ab ancilla increpata contumeliisque affecta est, eo quod septem viri, quibus data erat uxor, prima nuptiarum nocte a daemonio essent oppressi (3,7-10).

b.) Qua de re contristata ipsa quoque ardenti piissimaque oratione ad Dominum confugiens suppliciter eum obtestata est, ut sibi mortem potius immitteret, quam vitam (continuis in opprobriis sibi agendam) concederet (3,11-23) [2].

(1) Tota haec comparatio Tobiae et Iob (2,12-18) a sola Vulgata exhibetur; reliquis recensionibus deest.

(2) Ultima precationis Sarae pars (3,19-23) iterum ab aliis recensionibus exsulat; contra vero eadem ratione, qua in precatione sua Tobias, Sara quoque iuxta alias recensiones omnes Deum obtestatur, vitam in opprobriis peractam morte sibi esse graviorem; utroque autem in loco Vulgata de opprobriis plane silet.

3. — *Effectus precum Tobiae et Sarae* (3,24-25).
Amborum preces sibi oblatas exaudiens Deus misit angelum Raphaelem, qui ambobus simul auxilium afferret.

ALTERA PARS (4,1-13,23) *itinere descripto, quod Tobias iunior, angelo Raphaele comite, in Mediam suscepit, ostendit, quomodo Deus Tobiam seniorem et Saram calamitatibus per angelum levaverit.*

1. — *Raphael iuniori Tobiae socium itineris sese offert* (4,1-5,28).
a.) Tobias senior, quum se brevi moriturum putaret, filio suo pietatem erga matrem, Legis observantiam, eleemosynae utilitatem commendavit (4,1-20) eumque monuit de pecuniis a Gabelo recuperandis (4,21-23).
b.) Interrogantem filium, quomodo eas recuperare possit, iubet socium itineris quaerere (5,1-4); quaerenti autem sese offert angelus Raphael (5,5-8), qui annuente patre cum filio iter ingreditur (5,9-22), parentibus tristibus remanentibus (5,23-28).
2. — *Raphael iuniorem Tobiam in itinere custodit efficitque, ut Saram uxorem ducat* (6,1-9,12).
a.) In itinere Tobias angelo hortante piscem invadentem in ipsum apprehendit eiusque cor et fel et iecur edoctus ab angelo ad medicamenta reservavit (6,1-9).
b.) (Quum autem Ecbatanis appropinquarent) angelus iuveni suasit, ut Raguelis, viri propinqui ac divitis, apud quem essent deversuri, unicam filiam in matrimonium sibi peteret (6,10-13), reluctantemque edocuit, quo animo matrimonium securus inire et qua ratione iecore piscis incenso daemonium fugare posset (6,14-22) [1].
c.) Cum angelo igitur apud Raguelem deversus et ab eo magno cum gaudio receptus (7,1-9) Tobias statim eum rogavit, ut Saram sibi daret uxorem (7,10-11); cui petitioni Raguel hortante angelo annuit (7,12-14) filiamque adduxit (7,15-20).
d.) Iuxta monitum deinde angeli Tobias cubiculum ingressus incenso piscis iecore daemonium fugavit (8,1-3) et cum sua uxore precatione pia ad matrimonium se praeparavit (8,4-10) [2].
e.) Mane facto parentes Sarae, qui timuerant, ne Tobiae eadem sors, quae septem prioribus maritis, obtingeret (8,11-15), summo gaudio repleti, quod incolumis esset servatus, gratiis Deo actis (8,16-19) magna cum sollemnitate per quindecim

(1) Quae *Vulg.* de causa tradit, qua daemonium potestatem in homines accipit (6,16. 17), in reliquis recensionibus non commemorantur, quae etiam nihil habent de *trium* dierum continentia (6,18. 20. 21).

(2) Similiter a reliquis exsulant, quae 8,4. 5 de modo, quo tres primae noctes peragendae sint, in *Vulg.* leguntur.

dies nuptias celebrant (8,20-24); angelus autem interea, rogatus a Tobia, in Rages profectus a Gabelo pecunias recuperavit (9,1-7) Gabelumque ipsum ad nuptias adduxit (9,8-12) [1].

3. — *Raphael Tobiam ad parentes reducit caecoque seni visum restituit* (10,1-12,22).

a.) Dum haec gerebantur, Tobiae parentes longam eius absentiam lugebant (10,1-7); quod quum filius non ignoraret, a Raguele se retineri non est passus, sed accepta uxore eiusque dote domum reverti properavit (10,8-13).

b.) Quin etiam uxore et familia in via relictis Tobias, ut citius parentes consolaretur, cum angelo domum reversus est (11, 1-4), ab illisque cum gaudio receptus [2] statim oculos patris, sicut a Raphaele edoctus erat, felle piscis sanavit (11,5-17); adveniens autem eius uxor gaudium omnium auxit (11,18-21).

c.) Patri deinde et filio de praemio, quod comiti nondum cognito darent, consultantibus (12,1-4) Raphael se angelum esse manifestavit, quem Deus Tobiae senioris et Sarae precibus exauditis misisset, ut ambos curaret (12,5-15) eosque ad gratias Deo agendas hortatus disparuit (12,16-22).

4. — *Hymno Tobias senior grato animo praedicat Deum* (13,1-23).

a.) A Domino celebrando exorsus, qui flagellat quidem, sed etiam salvat (13,1.2), filios Israel, quos Deus inter gentes dispersit, ut mirabilibus eius narratis eum solum esse verum Deum docerent, invitat, ut opera eius aspicientes secum eius laudes praedicent (13,3-10).

b.) Deinde oculos suos ad Ierusalem convertens, quam Deus propter opera eius castigavit, prophetico spiritu abreptus eius resuscitationem futuramque gloriam vaticinatur, quam omnes gentes cum muneribus ad eam accurentes sint celebraturae (13,11-23).

Epilogus (14,1-17) *ultimas utriusque Tobiae res paucis complectitur.*

1. — Reliquam Tobiae senioris vitam non minus fortunatam quam piam fuisse praefatus (14,1-4) auctor (vel potius editor) libelli narrat, senem moriturum filio nepotibusque convocatis instantem interitum Ninives et futuram gloriam terrae Israel praedixisse (14,5-9) eosque ad piam agendam vitam et civitatem Ninive relinquendam exhortatum esse (14,10-13).

2. — Filium Tobiam deinde post mortem matris cum universa familia sua Ecbatana transmigrasse addit, ibique cum suis in timore Domini usque ad mortem suam perseverasse (14,14-17).

(1) Secundus stichus *v.* 9,12 in aliis recensionibus deest.

(2) Quae *Vulg.* de cane habet, « qui praecucurrit et blandimento suae caudae gaudebat », in aliis omnibus recensionibus desiderantur.

14. — *Liber Iudith.*

A nomine viduae israeliticae, quae prudentia atque fortitudine sua patriam a gravissimo periculo duce hostium interfecto liberavit, libellus qui praeclarum illud facinus narrat, titulum *libri Iudith* traxit. In argumento autem hoc tractando auctor non tantum eximium castitatis et fortitudinis exemplum legentibus ante oculos ponere, sed praeprimis ostendere voluit, Dominum populo suo ne in gravissimis quidem periculis defuturum, dummodo aut diligenti Legis observatione ipsi adhaereat aut sincera peccatorum suorum poenitentia ad ipsum revertatur. Tres porro partes libellus complectitur, quarum *prima* (1,1-7,25) periculum, in quo populus Israel versabatur, eiusque gravitatem describit, *altera* (8,1-15,8) Iudithae facinus accurate narrat, *tertia* (15,9-16,31) paucis populi gratum erga Deum et Iudith animum adumbrat.

Uti libelli Tobiae, ita huius quoque textus primigenius (iuxta plerosque hebraicus) periit; duae autem eius exstant versiones immediatae et inter se non pendentes, una graeca, altera latina, quae easdem quidem res eodem ordine tradunt, sed in paucis tantum sententiis (maxime prioris partis) ad amussim consentiunt et in minutioribus, praesertim in nominibus numerisque, multis distinguuntur varietatibus. Nihilominus utraque versio, utpote longo ecclesiarum catholicarum usu approbata, iure merito habetur authentica et in analysi, in qua minutiores res negligere licet, latinam pro more sequimur, etsi graeca critice praeferenda videatur. Id unum adnotamus, probabiliter in ipso iam textu primigenio nonnulla nomina a librariis, qui nominibus plane incognitis cognita frequenter substituunt, esse alterata; non obstante ergo utriusque versionis consensu cum plerisque modernis interpretibus nomen *Nabuchodonosor*, quod tamquam destructoris templi et civitatis Ierusalem omnibus Iudaeis erat notissimum, substitutum esse nomini *Asurbanipal*, regis Assyriae, censemus, quippe cuius cum annalibus res in libello nostro narratae satis congruunt; eo igitur tempore gestae dicendae sunt, quo Manasse, rex impiissimus Iuda, captivus Babyloniae degit eiusque in loco *Eliacim* (Ioiacim) *filius Helciae* supremam potestatem in Palaestina habuisse creditur.

PRIMA PARS (1,1-7,25) *quomodo factum sit exponit, ut Nabuchodonosor (vel potius Asurbanipal) rex Assyriae, Iudaeis bellum inferret eiusque dux belli Holofernes Bethuliam, patriam Iudithae, obsideret.*

1. — *Occasio et initia belli a Nabuchodonosor (Asurbanipal) per Holofernem toti Asiae occidentali illati* (1,1-3,15).

a.) Medorum rege Arphaxad, qui magnum regnum fundaverat, devicto (1,1-4) Nabuchodonosor totam Asiam occidentalem et Aegyptum (quae medici belli tempore, ut videtur, ab eo defecerant), ut obedientiam sibi praestarent exhortatus est, sed repulsam tulit (1,5-11); quare bellum eis inferre statuit (1,12).

b.) Itaque consilio cum optimatibus habito Holofernem misit, ut omnes illas terras subiugaret (2,1-6).

c.) Qui cum magno exercitu profectus (2,7-11) prima sua expeditione partem Asiae Minoris subiecit (2,12. 13), deinde reversus (altera expeditione) rebellionem in Mesopotamia suppressit (2,14) ac tum (tertia expeditione) primam prosecutus a Cilicia incipiens terras cis Euphratem sitas occupavit et vastavit, ita ut omnes terrore impleret (2,15-18).

d.) Metu igitur perculsae gentes vicinae legatis missis ultro se ei dederunt clementiam eius invocantes (3,1-6), neque tamen devastationem terrarum effugerunt (3,7-13), sed victor Holofernes totam regionem cis Euphratem pertransiit et castrametatus est ad fines Palaestinae (3,14. 15) [1].

2. — *Holofernis expeditio contra Palaestinam et obsidio Bethuliae* (4,1-7,25).

a.) Filii quoque Israel terrore quidem perculsi erant, sed hosti resistere obstinati urbes suas munierunt (4,1-4) atque moniti a summo sacerdote Eliacim vias, quae ex Galilaea ducebant Ierosolyma, obstruxerunt (4,5-7) orationibusque et ieiuniis ad bellum sese pararunt (4,8-17).

b.) Quibus auditis Holofernes interrogavit vicinos principes, quisnam esset iste populus (5,1-4); ex quibus unus, Achior Ammonita, Holoferni singularem Dei erga hunc populum providentiam fatis eius satis accurate narratis demonstravit (5,5-23) eumque exhortatus est, ne illum sibi subiicere conaretur, nisi illum a Deo suo defecisse rescivisset (5,24. 25).

c.) Holofernes autem ab aliis ducibus ad maiorem iram inflammatus (5,26-29) Achiorem Israelitis tradi iussit, ut una cum illis periret (6,1-7). Itaque Achior ductus est versus Bethuliam atque a Bethuliotis benigne receptus eis rem manifestavit (6,8-21).

d.) Postridie Holofernes Bethuliam obsedit (7,1-5 atque aquae ductu praeciso et fontibus diligenter custoditis effecit, ut incolae urbem tradere vellent (7,6-21); Ozias vero, civitatis princeps, iis persuasit, ut ad quinque dies urbis traditionem differrent (7,22-25).

(1) Secundum textum graecum Nabuchodonosor, quum regi Medorum Arphaxad bellum intulisset (1,1-5), ab orientalibus populis adiutus (1,6) frustra auxilium petierat ab occidentalibus (1,7-11); quapropter iuravit se de eis ultionem esse sumturum (1,12). Devicto igitur Arphaxade (1,13-16) convocato consilio Nabuchodonosor occidentales subiugare statuit (2,1-3) et Holoferni bellum gerendum commisit (2,4-13), qui exercitu instructo (2,14-20) in Asiam Minorem (Ciliciam) irrupit (2,21-23), reversus Mesopotamiam subegit (2,24), atque deinde iterum in Ciliciam expeditionem suscepit et fines quoque Iapheth, terram Madianitarum, campumque Damasci devastavit (2,25-27). Quare omnes incolae orae maritimae a Sidone usque ad Ascalon terrore perculsi (2,28) se ei dederunt, sed vastationem non effugerunt (3,1-8). Ipse autem castrametatus est in campo Esdrelon, ut Palaestinam aggrederetur (3,9-10).

SECUNDA PARS (8,1-15,8) *narrat, quomodo Iudith prudentia et fortitudine Bethuliam ac totam Palaestinam duce hostium interfecto liberaverit.*

1. *Iudith ad patriam liberandam sese offert et ad expeditionem se praeparat* (8,1-9,19).

a.) Oziae consilio audito Iudith vidua, qua neque iustior neque formosior fuit in civitate (8,1-8), civitatis principes ad se advocatos gravissime reprehendit, quod tempus miserationi divinae praescribentes Deum tentare essent ausi (8,9-20), eosque monuit, ut propositis patrum exemplis populum ad patientiam exhortarentur (8,21-27).

b.) Principes sese iuste reprehendi confessi mulierem rogaverunt, ut orationibus suis Dei misericordiam imploraret, atque illa vicissim ab eis petiit, ut facultatem ex civitate egrediendi sibi darent non interrogantes, quid esset factura (8,28-34).

c.) Quibus annuentibus Iudith humili ac fervente oratione Deum obtestata est, ut Assyrios sua ipsorum fortitudine confisos eodem modo, quo olim Aegyptios in mare demersos, tractare (9,1-14) atque per feminam eos deiiciens se unum esse verum Deum omnibus gentibus manifestare dignaretur (9,15-19).

2. — *In Assyriorum castra egressa Iudith Holofernem interficit* (10, 1-13,31).

a.) Pulcherrimis vestibus et gemmis ornata Iudith cum ancilla sua, cibis quibus vesci eis licebat assumtis, urbem reliquit felicem rei exitum apprecantibus Israelitis (10,1-10).

b.) Ab Assyriis capta et ad Holofernem adducta (10,11-20) ab eo cur fugam arripuisset interrogata est (11,1-3). Quae respondit se a Deo ad eum esse missam, ut ei splendidam victoriam de Israelitis praediceret, quippe qui peccatis Deum suum offendissent (11,4-13), seque apud eum esse mansuram, ut ipsum victoriae diem, quamprimum sibi oranti a Deo esset revelatus, ei indicaret (11,14-17). Quo responso Holofernes cum suis summopere gavisus se illius deum, si eventus praedictionem esset confirmaturus, pro vero Deo agniturum esse promisit (11,18-21).

c.) Itaque tabernaculum ei assignavit, in quo sola cum ancilla remanens suis cibis vesceretur, atque permisit, ut ambae singulis noctibus castra ad Deum suum adorandum egrederentur; id quod tribus primis noctibus fecerunt (12,1-9).

d.) Quarto autem die, quum Holofernes servis suis magnam coenam praeparasset et Iudith ad eam invitasset, haec quidem pro more consuetis suis cibis usa est, ille vero cupiditate et libidine incensus vino se inebriavit (12,10-20).

e.) Sola deinde cum duce ebrio in tabernaculo relicta caput eius

amputavit, illudque egressa ancillae tradidit in pera abscondendum (13,1-11); quibus peractis ambae castris pro consuetudine quasi ad orandum relictis Bethuliam perrexerunt atque contribules suos Holofernis morte annuntiata et capite monstrato summo gaudio impleverunt (13,12-31).

3. — *Israelitae de Assyriis duce suo privatis magnam reportant victoriam* (14,1-15,8).

a.) Reversa Iudith monuerat Israelitas, ut postridie, capite Holofernis in muris suspenso, magno cum strepitu ex civitate erumpentes terrerent Assyrios (14,1-6).

b.) Cui monito obsecuti Bethulienses in Assyrios irruunt, qui quum ducem suum per mulierem occisum esse comperissent, summo timore perculsi et turbati sunt (14,7-18).

c.) Praecipites igitur omnes in fugam se dederunt et dispersi fugientes a filiis Israel persequentibus ex tota terra sunt eiecti magna relicta praeda (15,1-8).

Tertia pars (15,9-16,31) *refert, quam grato cum animo Israelitae hanc victoriam divino auxilio partam celebraverint.*

1. — *Honores Iudithae exhibiti Bethuliae* (15,9-15.)

a.) Eliacim summus pontifex ipse Ierosolymis venit Bethuliam cum universis sacerdotibus, ut Iudithae gratularetur ac benediceret (15,9-12).

b.) Bethuliae incolae autem ex Assyriorum spoliis ei omnia dederunt, quae Holofernes in suis thesauris possederat (15,13-15).

2. — *Hymno Iudith Deo gratias egit* (16,1-21).

a.) Tribus strophis hymnus constat, quarum in prima Iudith omnes exhortatur, ut secum Deum fortem celebrent, qui Assyrios fortitudinem suam iactitantes omnibusque interitum comminantes in manus feminae dederit (16,1-7);

b.) in altera victoriam sua pulchritudine et fortitudine relatam terroremque hostibus incussum describit (16,8-14);

c.) in tertia Dei magnitudine et potentia celebratis interitum omnibus praedicit, qui populum Dei aggredi ausi fuerint (16,15-21).

3. — *Festa Ierosolymis celebrata* (16,22-31).

a.) Post victoriam totus populus Ierosolyma ascendit ibique victimis oblatis Deo gratias egerunt, Iudith autem omnia, quae ex praeda acceperat, Domino consecravit (16,22.23).

b.) Tres porro menses populus Ierosolymis haec sollemnia cum Iudith celebravit, quam per totam postea eius vitam magno in honore habuit et post mortem amare deflevit (16,24-29).

c.) In perpetuam demum beneficii accepti memoriam institutus est festus dies quotannis sancte peragendus (16,30.31).

14,15. — *Liber Esther.*

Sicuti liber Iudith, ita etiam opusculum, quod illum in nostro canone sequitur, titulum suum *libri Esther* a nomine mulieris traxit, cuius una cum eius patrui Mardochaei opera Deus usus est, ut populum suum ab interitus periculo servaret, quod contra eum Aman, primus minister Xerxis I., molitus erat. Simili quoque ratione, ac praecedentis libri, nostri auctor facto hoc historico narrato docere voluit, Dominum populum, quem sibi in peculium elegit, nunquam derelicturum neque eius interitum, quamvis certus et vicinus esse videatur, unquam permissurum esse, dummodo poenitendo et precando ad ipsum confugerit.

Praeter *prologum* autem et *epilogum* liber tres partes complectitur, quarum *prima* narrat, quomodo periculum sit exortum, *altera*, quomodo Mardochaeus et Esther ad illud avertendum ieiunio et precibus sese praeparaverint, *tertia*, quomodo in hostes ipsos malum, quod illi Iudaeis inferre voluerant, conversum sit. Libri auctor ipse Mardochaeus fuisse haud improbabiliter creditur; sola clausula (9,23 sqq.) terminato libro per Esdram vel per synagogam addita videtur, quando in synagogis (ad festum Purim) legi coeptus est.

Duabus hic quoque liber exstat recensionibus, breviore quadam *hebraica* et longiore *graeca*, quae septem in locis satis longa exhibet additamenta; *Vulgata* nostra autem ab utraque discrepat, quum S. Hieronymus hebraici textus, quem cum Rabbinis suae aetatis solum genuinum habuit, novam adornaret versionem, graeca vero additamenta, quasi ad librum sacrum non pertinerent, e locis suis remota velut disiecta membra pro appendice adiiceret (10,4-16,24). Verumtamen additamenta, licet hodie hebraicus eorum textus non amplius habeatur, omnino pro genuinis libri partibus admittenda sunt, atque synagoga palaestinensis non nisi circa finem saec. 1. p. Chr. ea e locis suis removisse videtur, quando festum Purim, quod semper festum sacrae laetitiae sacrarumque epularum fuerat, in mera saturnalia degenerare coepit. Quapropter additamentorum sua in loca restitutorum rationem in synopsi habebimus.

Prologus (11,2-12,6) *Mardochaei somnium, quo totum narrationis argumentum quodam modo praefiguratur, et factum illud exhibet, in quo narrationis cardo versatur.*

1. — *Somnium Mardochaei* (11,2-12).

Anno 2. Assueri (Xerxis [1]) Mardochaeus Beniaminita, qui Susis, in regni persici capite habitabat, somnium vidit symbolicum (11,2-4), duos nimirum dracones de parvo populo inter se pugnantes, qui servatus est per parvum fontem in magnum flumen excrescentem (11,5-11); quod somnium Mardochaeus non intellexit (11,12).

(1) S. Hieronymus in libri parte ex hebraico versa (1,1-10,3) nomen regis *Achaschverosch* latine transcripsit *Assuerus*, in additamentis vero nomen *Artaxerxis* a graecis interpretibus adoptatum retinuit. At *Xerxem I.* (485-465 a. Chr.), cuius nomen cuneiformi scriptura nobis conservatum (*Kschajarscha*) hebraici nominis (*Achaschverosch*) literis consonantibus, demto Aleph prosthetico, accurate redditur, designari hodie constat. Ceterum per *totam* synopsin, ne confusio exoriatur, *Assueri* nomen retinemus.

2. — *Eunuchorum coniuratio per Mardochaeum detecta* (12,1-6).
Paucis annis postea Mardochaeus in aula regia commorans duos eunuchos contra vitam Assueri coniurasse cognovit idque per Estherem (*cfr* 2,21 sq.) regi manifestavit, qui eunuchis occisis rem in regni annales inferri iussit atque Mardochaeum praemio remuneratus est (12,1-5); at hic delatione eunuchorum odium sibi attraxit Amani, amici eunuchorum (12,6).

PRIMA PARS (1,1-3,15 et 13,1-7) *exponit, quomodo exortum sit periculum interitus, quod Iudaeis imminebat.*

1. — *Esther, uxor regis facta, ei manifestat coniurationem a Mardochaeo detectam* (1,1-2,23).

a.) Anno 3. regni sui Assuerus (Xerxes) primum principibus suis (1,1-3) ac deinde per septem dies omnibus incolis civitatis magnum fecit convivium (1,4-8), cuius ultimo die, quum ebrius esset, reginam Vasthi, ut eam populo ostenderet, ad se venire iussit (1,9-11); quae quum venire renuisset, rex iratus consilio habito cum ministris suis eam repudiavit et edictum promulgavit, ut uxores maritis obedirent (1,12-22).

b.) (Ex bello contra Graecos redux) Assuerus locum Vasthi repudiatae explere voluit; ideo adductae sunt ad eum ex toto regno puellae speciosae, inter quas Edissa (myrtus), quae persico nomine appellabatur Esther, neptis Mardochaei (2,1-8). Quae a patruo Mardochaeo genus et patriam suam celare iussa, tantopere regi (a. 7. regni) placuit, ut eam regnare faceret in loco Vasthi (2,9-18).

c.) Mardochaeus vero, ut nepti suae semper invigilaret, ad ianuam regis morabatur atque ita occasionem habuit coniurationis eunuchorum (quae in prooemio commemoratur) detegendae et per Estherem regi denuntiandae, qui eunuchos occidi iussit (2,19-23).

2. — *Aman contra Mardochaeum iratus regem* impellit, ut universum *populum Iudaeorum destruat* (3,1-15; 13,1-7).

a.) Eo tempore Aman Medus ab Assuero super omnes principes elevatus est, ita ut omnes regii servi coram eo genuflecterent solo Mardochaeo excepto. Quod quum ei delatum esset, Aman maiore ira abreptus non solum Mardochaeum, sed totum eius populum perdere statuit (3,1-6).

b.) Itaque primo mense a. 12. Assueri Aman, postquam sortem (phurim) miserat de die, quo perire deberent Iudaei, regi persuasit, ut populum Iudaeorum destrueret (3,7-9). Annuens rex decretum edidit, ut 13. die ultimi mensis anni istius Iudaei in toto regno occiderentur et bona eorum diriperentur; misitque illud per omnes provincias (3,10-15; 13,1-7).

PARS SECUNDA (4,1-17; 15,1-3; 13,8-14,19) *narrat, quomodo Mardochaeus et Esther ad avertendum populi sui interitum sese praeparaverint.*

1. — *Mardochaeus persuadet Estheri, ut apud regem pro populo suo intercedat* (4,1-16; 15,1-3).

a.) Edictum regis Mardochaeum totumque populum consternavit; Esther autem per eunuchum suum a Mardochaeo causam consternationis sciscitata accepto edicti exemplari monita est, ut regem pro populo suo deprecaretur (4,1-8; 15,1-3);

b.) quae primum quidem abnuit, quia nemini non vocato ad regem accedere liceret (4,9-11), instante autem Mardochaeo pollicita est se regem aditurum, simul rogans, ut Iudaei omnes triduano ieiunio Deum placarent (4,12-16).

2. — *Precibus fusis Mardochaeus et Esther Dei misericordiam implorant* (4,17; 13,8-14,19).

a) Indicto Iudaeis ieiunio (4,17) Mardochaeus ad Deum se convertens eius omnipotentiam celebrat (13,8-11), causam explicat, cur coram Amane genuflectere noluerit (13,12-14), rogat ut populum illum, quem sibi elegerit, tueatur (13,15-17); atque similiter oraverunt reliqui Israelitae (13,18).

b.) Esther quoque in spiritu humilitatis (14,1.2) Deum solum esse suum refugium professa et pristinam exsilii poenam iustam fuisse confessa (14,3-6) maius quod nunc imminet periculum deprecata est (14,7-11) rogavitque Deum, ut se adiuvaret coram rege monens, se ipsam immunem esse ab omni Legis violatione (14,12-19).

TERTIA PARS (15,4-19; 5,1-8,12; 16,1-24; 8,13-10,3), *quomodo malum, quod hostes populo electo inferre voluerant, in eos ipsos reciderit, refert.*

1. *Esther precibus suis a rege Amanis supplicium obtinet* (15,4-19; 5,1-8,2).

a.) Tertio die Esther pulcherrimis vestibus ornata ad regem ingressa ad primum eius aspectum exterrita est (5,1; 15,4-10); verum Deus cor regis ad mansuetudinem inclinavit, ut eam bene reciperet (5,2; 15,11-19). Interrogata, quid peteret, rogavit regem, ut cum Aman apud se coenaret (5,3-5); coena autem finita, ut postridie iterum apud se coenarent, petiit (5,6-8).

b.) Qua invitatione laetus inflatusque Aman abiit, sed quum Mardochaeum sibi iterum non assurgentem videret, odio efferatus uxore amicisque suasoribus altissimam parari iussit trabem, in qua postridie Mardochaeus suspenderetur (5,9-14). At eadem nocte coram rege ex regni annalibus lectum est, eius vitam aliquot ante annis coniuratione per Mardochaeum feliciter de-

tecta servatam esse; quapropter statim Amanem, qui ut permissionem Mardochaei suspendendi obtineret primo mane in aulam venerat, Mardochaeo regios honores deferre iussit (6,1-12); quibus auditis uxor et amici maiorem cladem Amani praesagiverunt (6,13.14).

c.) Quod vaticinium mox est impletum. Ad reginae enim coenam vocatus (6,14) ab Esthere, quae regi genus suum patefecit, accusatus est, quod se et gentem suam perdere vellet (7,1-6), atque rex eum in ea trabe suspendi iussit, quam Mardochaeo paraverat (7,7-10), Mardochaeus vero super domum reginae constitutus est (8,1.2).

2. *Esther completam victoriam populo suo obtinet* (8,3-10,3; 16,1-24).

a.) Priore victoria non contenta Esther rogavit regem, ut novo decreto edictum ab Amane promulgatum corrigeret Iudaeisque salutem concederet (8,3-6). Quibus precibus obsecutus rex novum decretum promulgavit, quo sibi placere declaravit, ut prius exsecutioni non mandaretur, ac simul Iudaeis facultatem concessit, ut 13. die Adar ab hostibus sese defenderent eorumque bona diriperent (8,7-12; 16,1-24). Quod decretum magnam ubique Iudaeorum excitavit laetitiam (8,13-17).

b.) Die statuto igitur Susis et in provinciis hostes suos aggressi sunt et interfecerunt, inter quos etiam decem fuerunt filii Aman (9,1-12); regina vero obtinuit, ut etiam insequente die Iudaeis liceret Susis hostes suos occidere et ut filii Aman in patibulo suspenderentur (9,13-16).

c.) Magno deinde festo celebrato Iudaei statuerunt, ut quotannis hic dies 14. Adar, in quo ab inimicorum caede desierant, summa cum laetitia perageretur (9,17-19), atque Mardochaeus epistola omnibus scripta toti populo novum hoc festum Phurim (sortium) indixit (9,20-32).

d.) In posterum autem Assuerus feliciter regnavit, Mardochaeo secundum regni locum tenente atque populo suo bona providente (10,1-3).

Epilogus (10,4-13) *somnium Mardochaei impletum esse ostendit.*

Recordatus quippe somnii sui Mardochaeus intellexit, duobus draconibus de parvo populo colluctantibus se ipsum atque Amanem esse praefiguratos de populi Israel sorte inter se pugnantes; Estherem autem esse parvum fontem, qui in magnum fluvium crevit populumque suum ab interitu servavit; hac igitur ratione « Deum populi sui recordatum atque hereditatis suae misertum esse ».

Subscriptio libri demum docet, quo tempore versio graeca huius libri in Aegyptum allata sit ex Ierusalem (11,1).

16. *Liber primus Machabaeorum.*

Ultimi duo Veteris Testamenti libri historici de gravissimo agunt periculo, quod Israelitis saec. 2. a Chr. ex parte quum ethnicorum tum nonnullorum fratrum iniquorum subeundum erat, postquam ex babylonico exsilio reversis tota fere persici imperii tempore in sua patria iuxta maiorum instituta quiete degere licuerat. Historiam enim bellorum referunt, quibus Mathathias sacerdos eiusque filii Legem ac patriam contra Seleucidas ab apostatis quibusdam iudaicis excitatos et adiutos fortissime defendebant populoque suo libertatem feliciter recuperabant. Titulum quippe suum *librorum Machabaeorum* a Iuda, tertio Mathathiae filio, traxerunt, qui ob singularem suam fortitudinem *Machabaeus* (i. q. malleator) cognominatus cognomen hoc velut hereditatem non tantum fratribus suis sed cunctis quoque suis eorumque asseclis transmisit. Licet autem communi titulo quasi colligentur atque etiam de iisdem rebus saltem ex parte agant, duo tamen libri omnino diversa sunt opera a diversis auctoribus diversum in finem diversoque modo conscripta; quare eorum synopses diversis paragraphis proponere libet.

Liber primus Machabaeorum conspectum fere completum bellorum exhibet, quae Iudaei vexationibus Antiochi IV. Epiphanis exacerbati ducibus Iuda, Ionathan, Simone, filiis Mathathiae, per quadraginta circiter annos contra Seleucidas[1] gesserunt usque ad mortem Simonis, quem libertate recuperata Iudae sibi praefecerant « summum sacerdotem et ducem in aeternum, donec veniret propheta fidelis ». Libri porro auctor, non obstante poetico quodam dicendi genere ac parallelismo, quo haud raro utitur, singulas res gestas ordine chronologico refert neque quidquam sibi videtur curae habuisse, nisi ut memoriam eorum, quae magni illi viri, Iudas, Ionathan, Simon, pro divina Lege defendenda patriaeque libertate vindicanda fortiter gesserunt, fideli narratione posteris traderet; nihilominus simplici sua ac sincera rerum expositione pios evocat affectus legentium eorumque animos ad veram Dei fiduciam erigit.

Ad libri divisionem autem quod attinet, praeter longiorem *introductionem historicam* (1,1-2,70) pro tribus, quorum alius alium in bellis administrandis excepit, ducibus tres partes aptissime distinguemus, quarum *prima* (3,1-9,22) *Iudae Machabaei*, duae alterae fratrum eius, *Ionathanis* (9,23-12,54) et *Simonis* (13,1-16,24), res fortiter gestas narrant.

(1) Ut Machabaeorum historia facilius intelligatur, iuverit Seleucidarum, de quibus in hoc libro agitur, genealogiam et chronologiam adscripsisse. Duo enim post Antiochum M., qui primus ex Seleucidis (et quidem dumtaxat in transitu) in Scriptura nominatur (1 Mach. 1,10; 8,6 sqq.), fuerunt familiae rami, inter quos multae de throno disceptationes.

Antiochus III. Magnus (223-187).

Seleucus IV. Philopator (187-176). — *Antiochus IV. Epiphanes* (176-163).

Demetrius I. Soter (162-150). — *Antiochus V. Eupator* (163-162). — *Alexander Balas* (152-145).

Antiochus VII Sidetes (139-130). — *Demetrius II. Nicator.* (146-140 et 130-126). — *Antiochus VI* (144-143). — Alexander Zebina (126-122).

Introductio historica (1,1-2,70) *causam et initia exponit bellorum, quae Iudaei, ducibus Mathathia sacerdote eiusque filiis contra Seleucidas gesserunt.*

1. — *Antiochus IV. Epiphanes Iudaeos ab eorum apostatis quibusdam excitatus ob suam religionem vehementer vexat* (1,1-67).

a.) Novo rerum statu, qui post Alexandri M. mortem exortus est, breviter indicato (1,1-10) auctor statim ad res Antiochi Epiphanis, radicis peccatricis, transit (1,11), cuius aetate Iudaei quidam apostatae, potestate ab eo accepta, ethnicos mores ritusque Ierosolymis inter contribules suos propagare coeperunt (1,12-16).

b.) Epiphanes ipse autem victor ex Aegypto revertens (1,17-21) templum ierosolymitanum spoliavit magnamque populi stragem edidit (1,22-29), atque duobus annis post princeps tributorum ab eo missus iterum civitatem sanctam occupavit et vastavit in eaque arcem aedificavit, ut Iudaei fugere sint coacti (1,30-42).

c.) Quibus nondum contentus edicto edito Epiphanes omnes suos subditos idola colere iussit Iudaeosque ritus suos sacros observare vetuit (1,43-56); quin etiam in ipso templo idolum posuit et per universas civitates aras idolis aedificavit atque cunctos, qui Legem sequebantur, trucidari voluit (1,57-67).

2. — *Quibus vexationibus provocati Mathathias cum quinque suis filiis armis captis vim vi repellere coeperunt* (2,1-70).

a.) Mathathias autem, sacerdos ierosolymitanus cum quinque suis filiis, qui habitavit in oppido Modin, non tantum hanc populi sui cladem luxit (2,1-14) et legatorum regiorum, quum Modin venissent, mandatis obedire recusavit (2,15-22), sed etiam sacro zelo abreptus Iudaeum quendam, quem idolis sacrificantem conspexit, in ipso altari una cum regio legato, qui eum seduxerat, occidit (2,23-26).

b.) Quibus peractis ipse et filii eius, multis aliis sequentibus, in montes confugerunt (2,27-30) et quum audissent hostes sabbatis in Iudaeos invadere, ut eos, quibus arma sabbato gerere religio erat, facilius interficerent, sabbatis quoque pugnare statuerunt (2,31-41).

c.) Collecto igitur exercitu magna in terrae parte avitum cultum restituerunt (2,42-48).

d.) Mathathias vero moriens filios suos propositis patrum exemplis exhortatus, ut eadem in via pergerent (2,49-64), Simonem, utpote virum consilii, eis praefecit, sed Iudam principem militiae bellique ducem constituit (2,65-70).

PARS PRIMA (3,1-9,22) DE IUDAE MACHABAEI REBUS PRAECLARE GESTIS (an. 166-161 a. Chr.).

I. *Tempore Antiochi IV. Epiphanis* (3,1-6,16).

1. — *Iudas Machabaeus devictis Epiphanis ducibus civitatem sanctam liberat lustratoque templo cultum restituit* (3,1-4,61).

a.) Adiutus a fratribus cunctisque patris sociis Iudas gloriam populi sui auxit Apollonium devincens et occidens, qui cum Samaritanis filios Israel aggressus erat (3,1-12), ac Seronem fugans, qui tot collegerat copias, ut Iudaei, nisi Iudae divinum auxilium promisisset cum eis pugnare non essent ausi (3,13-24).

b.) Quibus ducum suorum cladibus auditis Epiphanes, quum ipse ad thesaurum suum implendum inPersidem abiret, bellum contra Iudaeos administrandum Lysiae tamquam regni vicario et filii sui tutori reliquit (3,25-37).

c.) Qui Gorgiam cum ingenti exercitu in Palaestinam misit (3, 38-41); at Iudas cum suis, postquam se mutuo sunt cohortat (3,42-45) atque divino auxilio implorato iuxta Legem eos, qui bello minus erant apti, domum miserunt (3,46-60), hostes dolo et virtute in fugam converterunt (4,1-25).

d.) Neque felicior fuit Lysias ipse; anno insequente enim maiore cum exercitu Iudam aggressus, sed eius precibus et virtute devictus et Antiochiam reverti coactus est (4,26-35).

e.) Splendidi autem erant tot victoriarum fructus; nam Iudae Ierusalem ascendere licuit (4,36-41) ibique vetere altari, utpote profanato, destructo novum exstruxit (4,42-48) lustratoque templo encaenia cum populo celebravit (4,49-58) et in posterum quotannis celebranda statuit (4,59-61).

2. — *Restituto sanctuario Iudas vicinas gentes* debellat (5,1-68).

a.) Quum vicinae gentes Israelitas aggredi vellent eosque qui in suo medio habitabant interficere coepissent (5,1.2), Iudas Idumaeis primum et Ammonitis devictis (5,3-8) a contribulibus Galaad et Galilaeam incolentibus, ut se adiuvaret, rogatus Simonem fratrem in Galilaeam misit atque Iosepho Azariaque in Ierusalem relictis ipse in Galaad abiit (5,9-19).

b.) Iam vero Simon Galilaeorum hostes facile fugavit (5,20-23) neque minus felices erant Iudas eiusque frater Ionathan in Galaad (5,24-29); duobus quippe Timothei, Galaaditarum ducis, exercitibus devictis (5,30-44) universos Israelitas trans Iordanem habitantes secum incolumes in Iudaeam adduxerunt (2,45-54). Contra vero Ioseph et Azarias, quum proprio Marte Iamniam aggressi essent, gravem cladem a Gorgia acceperunt, quia non erant de semine virorum, per quos salus facta est in Israel (5,55-62).

c.) Idumaeos quoque meridionales et Samaritanos Iudas cum suis subiecerunt et eorum idola destruxerunt (5,63-68).

3. — *Mors Antiochi Epiphanis* (6,1-16).

Interea Epiphanes, re in Perside infeliciter gesta, quum de Iudae victoriis certior esset factus, in languorem incidit (6,1-8), quo mortuus est, postquam iniustitiam suam contra Iudaeos est confessus ac Philippum constituit regni vicarium (6,9-16).

II. *Antiochi V. Eupatoris et Demetrii I. Soteris temporibus* (6,17-9,22).

1. — *Eupatoris in Iudaeam expeditio anceps* (6,17-63).

a.) Postquam Lysias morte Epiphanis audita eius filium Antiochum Eupatorem regem constituit (6,17), novi belli ansam praebuit praesidium regium in arce ierosolymitana, quod a Iuda obsessum regis expetiit auxilium (6,18-27).

b.) Magno igitur cum exercitu Syri in Palaestinam irruperunt (6,28-31) et post proelium anceps apud Bethzachariam (6,32-47) Bethsuram occuparunt et montem Sion obsederunt (6,48-54); at rex a Lysia revocatus, ne Philippus thronum occuparet, cum Iuda pacem iniit, quam non servavit (6,55-63).

2. — *Iudae praeclara victoria de Nicanore, duce Demetrii* (7,1-50).

a.) Demetrius Soter, throno Eupatoris consobrini sui devicti et occisi occupato (7,1-4), incitatus ab Alcimo summum sacerdotium ambiente Bacchidem misit, ut Palaestinam expugnaret (7,5-10); qui Iudam dolo circumvenire frustra conatus crudeliter saeviit in scribas, qui ei et Alcimo crediderant (7,11-18), at re infecta Antiochiam reversus Alcimo rem terminandam reliquit (7,19-24).

b.) Invalescente autem Iuda cum suis rex Nicanorem misit cum magno exercitu (7,25.26); ille quoque Iudam dolo capere tentavit, sed ab eo primam quandam cladem accepit iuxta Capharsalama (7,27-32); qua nondum eruditus, quum se templum destructurum minatus esset, altero proelio victus et occisus est (7,33-47); cuius in victoriae memoriam institutum est festum (7,48-50).

3. — *Foedere inito cum Romanis* Iudas moritur (8,1-9,22).

a.) Quietis tempus, quod victoriam de Nicanore relatam est secutum, Iudas, qui multa de Romanorum fortitudine et administratione audierat (8,1-16), adhibendum duxit, ut legatis missis foedus cum eis pangeret (8,17-20); id quod illi consenserunt auxilio promisso, si Demetrius iterum Iudaeos esset aggressurus (8,21-32).

b.) At Demetrius morte Nicanoris audita Bacchidem et Alcimum cum novo exercitu misit (9,1-4); Iudas autem, quam-

vis copias suas repellendis hostibus impares esse videret, fugere noluit (9,5-10) et proelio facto victus et occisus est (9,11-18) lugente toto populo (9,19-22).

ALTERA PARS (9,23-12,54) DE IONATHANIS REBUS PRAECLARE GESTIS (an. 161-143 a. Chr.).

I. — *Duo priora bella a Ionathane prospere gesta contra Bacchidem* (9,23-73).

1. — *Ionathanis principatus initia usque ad impii Alcimi mortem* (9,23-57).

a.) Post Iudae mortem Iudaei desperatis fere rebus Ionathanem, fratrem eius, sibi ducem elegerunt (9,23-31).

b.) Quem, quum in desertum Thecuae cum fratribus fugisset ibique ad fratris sui Ioannis mortem ulciscendam contra filios Iambri felicem expeditionem suscepisset (9,32-42), redeuntem Bacchides ad ripam Iordanis aggressus est infelici cum successu (9,43-49);

c.) nam Ierosolyma reverti coactus est et civitates Iudaeae munivit, Alcimo interea partem templi destruente; sed ubi impius pontifex subita morte abreptus est, Bacchides satius duxit Antiochiam reverti et quievit terra duobus annis (9, 50-57).

2. — *Alterum haud minus infaustum bellum Bacchidis contra Ionathan* (9,58-73).

a.) Tertio autem anno post Alcimi mortem Bacchides ab infidelibus quibusdam Iudaeis incitatus iterum Ionathanem inopinatum capere voluit, sed hic cum suis in Bethbessen se recepit (9,58-62);

b.) quare Bacchides eum insecutus est, at devictus pacem cum Iudaeis inire coactus est captivosque quos prius ceperat et praedam omnem restituit (9,63-72).

II. *Ionathan Alexandri Balae eiusque filii, Antiochi VI, socius contra Demetrium I. Soterem eiusque filium Demetrium II. Nicatorem* (10,1-12,54).

1. — *Ionathan et Alexander Balas* (10,1-89).

a.) Quum Alexander Balas, Epiphanis filius, capta Ptolemaide thronum Syriae appetere coepisset, Demetrius Soter Iudaeos sibi socios iungere studuit; sed fausta hac occasione usus Ionathan civitatem Ierusalem restaurandam muniendamque curavit atque alienigenas ex munitionibus a Bacchide exstructis eiecit (10,1-14).

b.) Quae quum rescivisset, Alexander Ionathanem maioribus promissionibus ad foedus secum iungendum permovit (10,15-

21); frustra autem Demetrius novis literis et promissis Iudaeos ad suas partes trahere conatus est (10,22-46).

c.) A Iudaeis igitur adiutus Alexander Demetrium, qui in proelio cecidit, devicit (10,47-50) et throno occupato, quum filiam Ptolemaei Philometoris, regis Aegypti, in matrimonium duxisset (10,51-58), una cum socero suo Ionathanem agnovit summum sacerdotem magnisque honoribus eum ornavit (10, 59-66).

d.) Demetrii Soteris autem filio, Demetrio Nicatore, et Alexandro Balae de throno Syriae concertantibus Ionathan Alexandro fidelis adhaerens cum fratre suo Simone, Apollonium, Demetrii ducem, proelio devicit; unde maiores honores ab Alexandro consecutus est (10,67-89).

2. — *Ionathanis res gestae temporibus Demetrii II. Nicatoris et Antiochi VI.* (11,1-12,54).

a.) Interea Ptolemaeus Philometor Alexandro Balae regnum Syriae eripere studuit, ut illud una cum filia sua Demetrio Nicatori traderet (11,1-13), atque revera Demetrius, Alexandro devicto et occiso atque Philometore mortuo, thronum obtinuit (11,14-19).

b.) Ab initio Demetrius Ionathani, licet in obsidenda arce ierosolymitana occupatus fuisset, totam Iudaeam concessit (11,20-37), quare etiam ab eo adiutus est contra Tryphonem, qui Antiochum (VI.), filium Alexandri Balae, regem constituere voluit (11,38-51).

c.) Quoniam autem Demetrius promissis suis non stetit, Ionathan ad Antiochi VI. partes transiit (11,52-59) et cum fratre suo Simone socios Demetrii devicit (11,60-74).

d.) Eodem tempore, ut potestatem suam confirmaret, renovavit foedera cum Romanis (12,1-4) et cum Spartiatis pridem inita (12,5-23).

e.) Novis deinde bellis duces Demetrii vicit cum fratre suo Simone (12,24-34) atque Ierosolymis quoque novam exstruxit munitionem aliasque Iudaeae civitates munivit (16,35-38), attamen a Tryphone, Antiochi VI. duce et tutore, dolo captus est (16,39-54).

TERTIA PARS (13,1-16,24) DE SIMONIS REBUS GESTIS (an. 143-136. a. Chr.).

I. *Initia principatus Simonis, fratris Iudae et Ionathanis* (13,1-14,49).

1. — *Simon foedere iunctus cum Demetrio Nicatore* (13,1-54).

a.) In Ionathanis locum ab universo populo suffectus est Simon, eius frater, qui statim muros Ierusalem, quos Ionathan exstruere coeperat, terminavit (13,1-10). Frustra autem fra-

trem suum liberare conatus est; nam Tryphon, quum videret se Ierusalem occupare non posse, non obstantibus donis, quae acceperat, Ionathanem eiusque filios occidit (13,11-24), quibus Simon sepulcrum magnificum in civitate Modin exstruxit (13,25-30).

b.) Quum Tryphon etiam Antiochum VI., ut eius loco in Syriae thronum ascenderet, occidisset, Simon ad Demetrii partes transire non dubitavit ab eoque literas foederis et amicitiae accepit (13,31-42);

c.) Gazam quoque expugnavit (13,43-48) Syrisque ex arce ierosolymitana eiectis festum diem constituit quotannis celebrandum et filium suum Ioannem (Hyrcanum) ducem exercitus elegit (13,49-54).

2. — *Foedus cum Spartiatis et Romanis renovatum* (14,1-49).

a.) Demetrio Nicatore autem a Persis, quos aggressus erat, victo et capto Iudaea pace et quiete fruita est, qua Simon usus est ad populi prosperitatem augendam (14,1-15).

b.) Eodem tempore etiam foedus cum Spartiatis renovavit (14, 16-23) legatosque Romam misit, qui suam electionem in summum sacerdotem ducemque hereditarium annuntiarent eiusque confirmationem obtinerent (14,24-49).

II. *Simonis res gestae tempore Antiochi VII. Sidetae ac mors* (15,1-16,24).

1. — *Simon et Antiochus Sidetes* (15,1-16,10).

a.) (Demetrio Nicatore a Persis capto alter Demetrii Soteris filius) Antiochus (Sidetes), antequam regnum patris sui expugnaret, literis amicitiae ad Simonem datis omnia confirmavit, quae praedecessores sui Iudaeis promiserant (15,1-9), ac deinde Tryphone fugato thronum occupavit (15,10-14).

b.) Eodem tempore Simonis legati Roma revertentes decretum Romanorum attulerunt, quo Iudaeos velut socios suos finitimis gentibus commendarunt (15,15-24).

c.) Verum Antiochus, postquam Tryphonem devicit, promissionum suarum immemor a Simone postulavit, ut praeter alias civitates arcem ierosolymitanam sibi restitueret (15,25-31); quam postulationem quum Simon respuisset (15,32-37), rex Cendebaeum ducem exercitus sui contra Iudaeos misit (15,38-41); at hic a Simonis filiis Ioanne (Hyrcano) et Iuda devictus et fugatus est (16,1-10).

2. — *Simonis mors et successor* (16,11-24).

a.) Porro Simon, quum omnes Iudaeae civitates magna cum sollicitudine visitaret, a genero suo Ptolemaeo, Abobi filio, qui praefectus erat in regione Iericho sed summum sacerdo-

tium appetebat, una cum filiis suis Iuda et Mathathia perfide interfectus est (16,11-17).

b.) Spe tamen sua frustratus Ptolemaeus est, licet iam a Syriae rege auxilium petiisset, alium quoque Simonis filium, Ioannem, occidi iussisset, ipsam Ierusalem occupare tentasset (16,18-20); nam Ioannes (Hyrcanus) de Ptolemaei consiliis certior factus ea praevertit patrique suo in summo sacerdotio et principatu populi successit (16,21-24).

17. — *Liber secundus Machabaeorum.*

Quemadmodum in praecedentis operis prooemio iam adnotavimus, idem ex parte argumentum, quod primus, etiam *secundus liber Machabaeorum* habet; similiter enim de bellis agit, quibus Iudaei libertatem ac praesertim Legem religionemque suam contra reges syros iudaicosque apostatas defenderunt. At unius tantum ex Mathathiae sacerdotis filiis, sed praeclarissimi, Iudae nimirum, res praeclare gestas tradit. Paullo quippe altius, ab ultimo videlicet Seleuci IV. Philopatoris, fratris et praedecessoris Antiochi Epiphanis, anno (178. a. Chr.) exorsus eius auctor narrationem suam magna illa victoria iam terminat, qua Judas a. 161., Nicanore, Demetrii Soteris duce, devicto et interfecto civitatem sanctam liberavit; unde maior secundi libri pars (II. 4,7-15,40) septem prioribus capitibus primi respondet (I. 1,11-7,50). In sua autem narratione id sibi potissimum proposuit, ut templum ierosolymitanum, quod « famosissimum » et « sanctissimum in toto orbe » praedicat, velut centrum religiosae ac politicae unitatis omnibus quidem Iudaeis maxime tamen aegyptiacis commendaret, qui circa a. 160. novum templum Leontopoli in Aegypto sibi exstruere coeperant.

Ad operis porro divisionem transituri praemoneamus oportet librum nostrum canonicum duobus vel potius tribus scriptis plane diversis constare, quae solo ultimi, ut videtur, editoris fine ad unitatem sunt redacta. Namque narrationi de nefariis Seleucidarum conatibus contra religionem iudaicam et de bellis a Iuda Machabaeo ad eos repellendos susceptis, quam auctor se ex Iasonis Cyrenaei opere excerpsisse testatur (2,20-15,40), duae epistolae praemissae sunt, quibus Iudaei palaestinenses a. 162. a. Chr. et iterum a. 124. alexandrinos suos contribules invitarunt, ut encaeniarum festum ob templi recuperati lustrationem a Iuda institutum secum celebrarent.

Iam vero recentior epistola (a. 124. conscripta), quae hodierni nostri libri quasi prooemium quoddam est (1,1-10 [a])[1], nudam exhibet invitationem, omni qua explicetur aut urgeatur ratione destitutam; quare omnino probabile est, Palaestinenses a. 124. una cum hac sua invitatione non tantum exemplar longioris illius epistolae, qua Iudas Machabaeus ipse a. 162., primo recurrente anniversario die lustrationis, Aegyptios ad hoc festum celebrandum iam exhortatus erat (1, 10 [b]-2,19), sed etiam narrationem ex Iasonis libris excerptam Aegyptiis trans-

(1) Prima verba *v.* 10. (« anno centesimo octogosimo octavo »), uti *Bellarminus* iam monuit, cum *v.* 9. sunt connectenda, quum Graeci annum diem epistolae scriptae post ponere soliti sint (cfr 11,21. 33. 38). Ceterum annus 188. aerae Seleucidarum respondet anno 124. a. Chr.

misisse, quippe quae tota in templo ierosolymitano commendando versetur encaeniorumque a Iuda institutorum rationem accurate explicet. Duas igitur epistolas, etsi proprie parergon quoddam sint narrationis libroque nostro canonico ab eius editore tamquam documenta historica adiuncta esse videantur, velut aptam tamen totius operis introductionem considerare licet. Narratio autem, si eius prologum (2,20-33) et epilogum (15,38-40) praetermittimus, sua quasi sponte in duas partes distribuitur, quae singulae novi cuiusdam festi instituti relatione terminantur (3,1-10,9 et 10,10-15,37).

Introductio (1,1-2,19) *duas continet epistolas, quibus palaestinenses Iudaei aegyptiacos ad encaenia, quorum institutio in libro ipso narratur, celebranda invitant.*

Prior epistola (1,1-10) *a Palaestinensibus data est a. 124. a. Chr.*

Inscriptione (1,1) et longiore bonorum omnium spiritualium apprecatione praemissis (1,2-6) anteriores quasdam literas tempore persecutionis Demetrii II. Nicatoris (a. 144.) a se iam datas commemorant (1, 7. 8) ac deinde eos monent, ut secum « scenopegiam mensis Caslev », i. e. encaenia celebrent anno datae epistolae adscripto (1,9. 10ª.)

Altera epistola (1,10ᵇ-2,19) *a Iuda Machabaeo cum senioribus et toto populo in Iudaea commorante est data.*

1. — Inscriptione praemissa (1,10ᵇ) gratias agunt Deo de persecutoris sui, Antiochi Epiphanis, morte, quam referunt, sicut eam audierant (1,11-17), atque statim invitationem ad encaeniorum festum addunt, in quo etiam memoria ignis post captivitatem tempore Nehemiae coelitus dati celebrabatur (1,18).
2. — Quam invitationem ut urgeant, de hoc igne coelitus dato fusius agunt (1,19-2,12).
   a.) Accuratius quippe referunt, quomodo Nehemias, quum in puteo, in quo ante exsilium ignis sacer a sacerdotibus, eius custodibus, absconditus fuerat, nihil nisi aqua crassa esset reperta, illa aqua sacrificia et altare aspergi iusserit atque sole relucente ignis magnus sit accensus, quo orantibus et psallentibus Nehemia et sacerdotibus sacrificia sint consummata (1,19-36).
   b.) Ratione deinde indicata, cur arca aliaeque res sacrae per Ieremiam ante templi destructionem absconditae novo templo adhuc desint (2,1-8), ad sacrum ignem reversi simile miraculum in primorum sacerdotum consecratione et in salomonici templi dedicatione accidisse monent (2,9-12).
3. — Demum postquam quasi per parenthesin retulerunt, Iudam etiam ad Nehemiae exemplum libros sacros collegisse ab eoque Alexandrinos Scripturas, quibus forte careant, obtinere posse (2,13-15), literas terminant priore repetita invitatione (2,16-19).

NARRATIO *de Seleucidarum conatibus contra religionem et libertatem Iudaeorum et de Iudae Machabaei bellis contra Syros gestis ex Iasonis opere excerpta* (2,20-15,40).

Prologo brevi auctor libri sui argumentum ac fontem, ex quo hausit indicat (2,20-24) atque methodum suam consiliumque exponit (2,25-33).

PARS PRIOR (3,1-10,9) esse *Iudaeos a Seleuci IV. Philopatoris vexatione liberatos et duce Iuda crudelissimum suum persecutorem Antiochum IV Epiphanem repulisse refert.*

I. *Seleucus IV. Philopator ultimo regni sui anno* (177. a. Chr.) *templum ierosolymitanum frustra diripere conatur* (3,1-4,6).

1. — *Templi direptio tentata* (3,1-22).

a.) Dum Iudaei longa fruebantur pace atque ad praedecessorum suorum exemplum Seleucus IV. quoque eis favebat (3,1-3), Simon, templi praepositus, per Apollonium Coelesyriae praefectum, regi denuntiavit multos in templo thesauros conservari (3,4-6); quare rex Heliodorum misit Ierosolyma, qui eos auferret (3,7-8).

b.) Qui urbem ingressus ab Onia summo sacerdote falsam esse Simonis delationem edoctus est (3,9-12); quum autem nihilominus mandatum regis exsequi vellet (3,13.14), cum Onia sacerdotes et universus populus ieiuniis et precibus Deum rogaverunt, ut templi sui spoliationem impediret (3,15-22).

2. — *Templi direptio divinitus repulsa* (3,23-4,6).

a.) Heliodorus autem cum satellitibus suis, quum in templum intrasset, angelis apparentibus perterrefactus, in terram proiectus ac dire flagellatus est (3,23-28), vitaeque suae conservationem solis precibus debuit ab Onia pro eo ad Deum fusis (3,29-34).

b.) Antiochiam igitur reversus regem re tota accurate relata absterruit, ne alium ad templum spoliandum mitteret (3,35-40).

c.) Simone autem et Apollonio novas calumnias spargentibus Onias ipse ad regem profectus eius iram sedavit (4,1-6).

II. *Antiochus IV. Epiphanes a sacerdotibus de pontificatu litigantibus excitatus Iudaeos Legi adhaerentes dirissime vexat* (4,7-7,42).

1. — *Disceptationes sacerdotum de pontificatu* (4,7-5,10).

a.) Seleuco IV. mortuo ab eius successore Epiphane Iason, Oniae pontificis frater, magnis pecuniis promissis pontificatum emit (4,7-9) statimque moribus gentium introductis populum pervertere coepit (4,10-17), quin etiam pecunias in

sacrificium Herculis Tyrum misit Antiochumque Ierosolymis summo cum honore recepit (4,18-22).

b.) At post triennium iam Menelaus quidam maioribus promissis pecuniis pontifex factus Iasonem expulit et quia ipse summam promissam solvere recusavit, successorem habuit Lysimachum fratrem suum (4,23-29); nihilominus, quum Antiochus in Ciliciam profectus esset, regis vicarium aureis nonnullis vasis ex templo ablatis seduxit, ut Oniam Antiochiae commorantem occideret (4,30-38).

c.) Contra Lysimachum porro, qui Menelai consilia secutus multa sacrilegia in templo committere veritus non erat, exorta est magna populi seditio, in qua interfectus est (4,39-42); Menelaus vero de iisdem criminibus in ius vocatus pro more suo iudicem pecuniis corrupit et absolutus in potestate permanebat (4,43-50).

d.) Eodem tempore tota Ierusalem signis quae in aere videbantur turbata est (5,1-4) et Iason rumore (falso) de Epiphanis morte deceptus Ierosolyma reversus est et civitate occupata Menelaum ut in arcem fugeret coegit, multos cives trucidavit, at mox iterum in fugam se dare debuit et in exsilio misere periit (5,5-10).

2. — *Iudaei Legi fideliter adhaerentes per Epiphanem crudelissime vexati* (5,11-7,42).

a.) Interea Epiphanes expeditionem aegyptiacam susceperat, ex qua revertens, quum Iudaeorum defectionem timeret, Ierusalem occupavit, ingentem stragem populi edidit, a Menelao ductus ipsum templum intravit ac spoliavit, Deo id permittente ob populi peccata (5,11-20).

b.) Quibus nondum contentus, postquam Antiochiam rediit, exercitum misit, qui Apollonio duce quam plurimos Iudaeos sabbato occidit, Iuda cum novem sociis in desertum aufugiente (5,21-27); similiter senem antiochenum ablegavit, qui populum a divina Lege averteret temploque profanato ac legitimo cultu abrogato idololatriam introduceret (6,1-7); simul etiam vicinae gentium civitates religionem iudaicam eadem cum violentia opprimere iussae sunt (6,8-11).

c.) Ad singularia demum facta quaedam transiens auctor, postquam omnia haec ad populi correptionem permissa esse praemonuit (6,12-17),

α. — Eleazari senis constantiam ac fortitudinem in Lege observanda describit (6,18-31),

β. — atque crudelia tormenta, quibus Epiphanes ipse (Antiochiae) septem fratres cum eorum matre ad defectionem seducere frustra conatus est (7,1-42).

III. *Iudas Machabaeus a Deo adiutus exercitibus Syrorum devictis templum et sanctam civitatem lustrat* (8,1-10,9).

1. — *Victoriae a Iuda de Epiphanis ducibus relatae* (8,1-36).

a.) Perdurante Epiphanis persecutione Iudas paullatim multos amicos congregaverat, quibuscum ex improviso Syros aggressus est et vicit (8,1-7).

b.) Quibus auditis Philippus, praefectus Palaestinae, a Ptolemaeo, praefecto Coelesyriae, auxilium contra Iudam petiit. Itaque Nicanor et Gorgias cum magno exercitu advenerunt (8,8-11); at Iudas fervida concione suos exhortatus (8,12-21) splendidam victoriam de Nicanore reportavit magnamque fecit praedam, quam inter pauperes distribuit (8,22-29).

c) Legatis quoque Nicanoris, Bacchide et Timotheo, devictis Iudas quidem epinicia egit Ierosolymis, Nicanor vero, qui sibi certam fore victoriam gloriatus erat, solus Antiochiam reversus est (8,30-36).

2. — *Epiphanis infelix mors; encaeniorum festum a Iuda institutum* (9,1-10,9).

a.) Epiphanes, expeditione infelici in Elymaida suscepta, quum de clade Nicanori illata certior esset factus, primum Iudaeos perdere meditabatur (9,1-4), at gravissimo morbo divinitus afflictus (9,5-10) de iniustitia sua dolens optima quaeque promisit (9,11-17); quin etiam deprecatorias literas ad Iudaeos dare non dubitavit (9,18-27); nihilominus misera morte periit (9,28.29).

b.) Interea Iudas aedes sacras et civitatem sanctam recuperatas sacrificiis oblatis lustravit et cum populo per octo dies encaenia ad modum scenopegiae celebrans quotannis in gratam huius lustrationis memoriam dies istos celebrandos esse constituit (10,1-9).

Pars altera (10,10-15,37) *de bellis agit a Iuda contra Antiochum V. Eupatorem et Demetrium I. Soterem feliciter gestis.*

I. *Iudas a Deo adiutus non tantum Eupatoris duces sed etiam vicinas gentes devincit* (10,10-13,26).

1. — *Iudae primae victoriae de Eupatoris ducibus* (10,10-11,38).

a.) Quum Ptolemaeus, Coelesyriae praefectus, qui Iudaeos liberaliter et iuste tractaverat, veneno exstinctus esset (10,10-13), Eupator Gorgiam ducem constituit, qui una cum vicinis Idumaeis Iudaeos continuo lacessivit (10,14.15); at Iudas nonnullis prius occupatis Idumaeorum munitionibus (10,16-23), Timotheo, uni ex Syrorum ducibus, acerbam cladem intulit eumque oppido Gazara capto interfecit (10,24-38).

b.) Quibus auditis Iudae victoriis Lysias, Eupatoris tutor et pro-

curator, ipse novum exercitum contra eum duxit, at non feliciore cum successu quandoquidem Deus Iudaeos miraculose adiuvit (11,1-12).

c.) Quare pacem cum eis componere consultius duxit (11,13-15), qua templum civitatemque eis restituit liberumque religionis suae usum concessit, id quod quatuor epistolis hac de re datis constat, Lysiae videlicet ad Iudaeos (11,16-21), Eupatoris ipsius quum ad Lysiam (11,22-26) tum ad Iudaeos (11, 27-33) Romanorum demum pacem confirmantium ad Iudaeos (11,34-38).

2. — *Iudae victoriae de vicinis gentibus* (12,1-46).

a.) Attamen quominus Iudaei hac pace fruerentur, continuae vicinarum gentium vexationes impediverunt (12,1-2). Hinc Iudas primum Ioppitas et Iamnitas, qui multos Iudaeos in mare immerserant, castigare debuit (12,3-9); deinde Arabibus ad pacem petendam coactis oppidoque Casphin occupato (12,10-14), Timotheum quendam gentium ducem debellavit (12,17-31).

b.) Demum Gorgiam, Idumaeae praepositum devicit (12,32-37) ac pro suis, qui in hoc praelio ceciderant, Ierosolymis sacrificia offerenda curavit (12,38-44).

3. — *Post alterum cum Eupatore bellum Iudas dux et princeps universae Palaestinae constituitur* (13,1-26).

a.) Quibus victoriis ut videtur exacerbatus Eupator (vel potius Lysias) Iudaeis novum bellum intulit, quamquam impiissimum Menelaum, qui iterum adulationibus pontificatum ab eo obtinere studuerat, velut omnium horum malorum causam diro mortis genere interfici iusserat (13,1-8).

b.) Varia sorte utrimque pugnatum est (13,9-23), usque dum Lysias de Philippi (quem Epiphanes in Perside moriens tutorem filio suo Eupatori constituerat) reditu certior factus, ut ei resisteret, pacem cum Iudaeis componeret Iudamque totius Palaestinae ducem, frustra reclamantibus gentilibus, agnosceret (13,23-26).

II. *Feliciter quoque Iudas iterum contra Nicanorem pugnat, quem Demetrius I. Soter bellum iudaicum administrare iusserat* (14,1-15,38).

1. — *Nicanoris expeditio contra Iudaeos* (14,1-46).

a.) Demetrius Soter, qui Antiocho Eupatore et Lysia devictis throno potitus erat (14,1.2), mox Alcimi, quem Iudaei ob pravos eius mores pontificatu privaverant; calumniis incitatus est, ut Nicanorem cum valido exercitu mitteret, qui Iudam caperet Alcimumque summum sacerdotem restitueret (14,3-14).

b.) Nicanor autem ab initio cum Iuda amice egit (14,16-25); sed a rege, quem Alcimus iterum calumniis suis contra Iudam inflammaverat, eum vinctum Antiochiam mittere iussus dolo eum capere frustra tentavit (14,26-30).

c.) Quo irrito conatu irritatus templi eversionem comminatus est et unum ex senioribus, Raziam, quem Iudaei ob pietatem eius venerabantur, ad occisionem quaesivit; at hic, ne ab hostibus indigne tractaretur, sibi ipse mortem intulit (14,31-46).

2. — *Nicanoris clades et mors* (15,1-37).

a.) Quum Iudam copias suas in Samaria collegisse comperisset, Nicanor, ut Iudaeorum deo se potentiorem ostenderet, adversarium suum die sabbati aggredi voluit, sed impeditus est (15,1-7).

b.) Iudas e contrario, solo Deo confisus, animos militum somnio quod habuerat narrato, quo divinum auxilium praesagiebatur, erexit (15,8-19) humilique precatione sese ad pugnam paravit (15,20-24).

c.) Cum hoste deinde congressus exercitui Nicanoris acerbissimam cladem intulit (15,25-27); et quum Nicanoris ipsius cadaver inter caesos repertum esset, caput eius et brachium abscissa sunt et Ierosolyma deportata (15,28-35).

d.) In perpetuam splendidae victoriae memoriam communi consilio festum pridie Mardochaei diei (13. Adar celebrandum institutum est (15,36.37).

In Epilogo totius narrationis (15,38-40)
auctor legentium veniam rogat, si forte libri forma eis sit displicitura.

II

DIDACTICORUM V. T. LIBRORUM

SYNOPSES.

1. — *Liber Iob.*

In canone tridentino nostrisque Scripturarum editionibus locum quasi medium inter historica et poetica seu didactica opus illud tenet, quod a nomine viri, qui in illo primas partes agit, *liber Iob* appellatur. Patres olim illud historicis accensendum duxerunt, quia non tantum modo plane historico inchoatur ac terminatur, sed etiam veram Iobi historiam tradit; hodie tamen poeticis et didacticis aptius adnumeratur, quia auctor in longe maiore illius parte argumentum suum poetice amplificat et exornat atque per totum librum vix non solum didacticum et paraeneticum finem persequitur. Licet enim in Iobo nobis eximium exemplum obsequii, quo tribulationes hac in terra ex manu Dei suscipiendae, ac patientiae perseverantiaeque, qua tolerandae sunt, ante oculos ponit, id tamen potissimum agit, ut in causas inquirat, ob quas Deus homines omnes ac praesertim iustos calamitatibus hac in terra frequenter afficiat. Tribulationes igitur huius vitae aut poenas vindicativas esse docens, quibus iustitiae ordo peccatis laesus restituitur, aut medicinas salutares, quibus homines a peccatis avertuntur, aut demum probationes quasdam, quibus iusti virtus quasi exploratur et manifestatur, auctor homini ius et facultatem deesse ostendit iudicandi, cuinam ex his classibus calamitates, quibus hic vel ille afflictatur, accenseri debeant, aut de occultis illis normis statuendi, iuxta quas Deus pro sua sapientia providentiaque omnia disponens singulis hominibus, sive iusti sunt sive iniusti, prospera vel adversa attribuit.

Cui tempori liber Iob originem suam debeat et a quo auctore sit compositus, magnus est interpretum dissensus. Alii enim cum Origene eum mosaica aetate dicunt antiquiorem, alii cum Theodoro Mopsuest. ipso exsilio babylonico recentiorem; alii Moysi auctori eum attribuunt, alii Davidi, alii Isaiae etc. Probabilior tamen et communior hodie sententia est, ob singularem ac divinam suam pulchritudinem omnimodamque perfectionem carmen non nisi aureae aetati poeseos hebraicae, i. e. Davidis vel Salomonis tempori, attribui posse; neque improbabiliter nonnulli illud sapientissimo regi ipsi deberi coniiciunt, quippe cum cuius Proverbiorum libro satis magnam habeat in sententiis locutionibusque ac vocibus affinitatem.

Ad divisionem quod attinet, praeter *exordium* (1,1-2,13) quo, auctor prosa oratione historiam Iobi adumbrans calamitates viro iusto a satana Deo permittente ad eius virtutem probandam immissas esse refert, atque *epilogum* (42,7-16), quo iterum prosaico sermone novam Iobi fortunam paucis verbis describit, tres

carminis partes distinguimus. *Pars prima* (3,1-31,40) autem tribus constat disputationibus quibus Iob trium suorum amicorum, qui omnes huius vitae calamitates poenas esse peccatorum statuunt, sententiam refutat; in *altera* (32,1-37,24) quartus amicus, Eliu, accedens quatuor sermonibus Deum iustis hominibus tribulationes etiam velut salutares medicinas mittere monet; demum in *tertia* (38,1-42,6) Deus ipse disceptationi finem imponit Iobo amicisque ad oculos demonstrans, eos vel ipsas res visibiles ignorare, multo minus ergo de occultis normis iudicare eis licere, iuxta quas bona vel mala a se in terris distribuantur.

EXORDIUM HISTORICUM LIBRI (1,1-2,13) disputationum originem narrans veram calamitatum Iobo immissarum causam patefacit, qua cognita de iis, quae a disputantibus ad eas explicandas afferuntur, certius iudicium ferre valeamus.

a.) Primum igitur *sincera pietas Iobi describitur*, qui in rebus secundis, quibus fruebatur, divino servitio tam fideliter inhaesit, ut a Deo ipso coram angelis et satana laudari mereretur (1,1-9).

b.) Verum satanas pietatem illam felici viri fortunae deberi contendit atque a Deo permissionem accepit, ut *omnibus Iobi bonis destructis virtutem eius probaret* (1,10-12 ; neque tamen subita omnium filiorum morte neque omnium opum direptione Iob permoveri potuit, ut Deum relinqueret (1,13-22).

c.) Itaque *nova, ut eum probaret, permissione accepta* 2,1-6) satanas virum ipsum aggressus horrendo morbo afflixit; at nec summis doloribus neque uxoris dicteriis Iob ad Deum offendendum adductus est (2,7-10).

d.) Consolandi causa ad virum afflictissimum *tres amici, Eliphaz, Baldad, Sophar veniunt* atque tribulationum gravitate perculsi septem diebus compatientes cum eo taciti sedent (2,11-13).

PRIMA PARS (3,1-31,40) *a vero eos aberrare docet, qui omnes huius vitae tribulationes, etiam iustorum, pro poenis vindicativis habent tribulationumque gravitate gravitatem culpae metiuntur.*

Constat autem introductione quadam (3,1-26), tribus disputationibus, in quibus singulis tres amici erroneam illam sententiam vindicare conantur, sed a Iob refutantur (4,1-14,22; — 15,1-21,34; — 22,1-26,14), ac duobus sermonibus Iob, quibus quasi summa disceptationibus exhibetur (27,1-31,40).

I. *Prooemium disputationum* (3,1-26).

Ansam quippe ad quaestionem de tribulationum causis tractandam Iob praebet coram amicis ob calamitatum suarum gravitatem diei conceptionis ac nativitatis suae maledicens (3,1-10),

mortemque sibi exoptans, quae omnes homines, iustos et iniustos, pauperes ac divites inter se reddat pares et ab omni malo immunes (3,11-19),

demum queribundus interrogans, cur tandem Deus hominem creaverit, qui tanta pati debeat ac mortem desideret (3,20-26).

II. *Disceptatio prima* (4,1-14,22), in qua tres amici unicam calamitatum Iobi causam esse peccata magis indirecte ostendere conantur, poenitentique pristinae felicitatis restitutionem promittunt, Iob autem singulos ex ordine impugnat.

1. — *Prima Eliphaz et Iobi altercatio* (4,1-7,21).

a.) ELIPHAZ erroneum illud principium de una eademque omnium tribulationum causa etiam in Iobo valere obscure significat (4,1-5,27).

Benevolentiae praemissa captatione, in qua Iob, qui antea omnes afflictos consolatus sit, sibi ipsi nunc de sua miseria conquerenti opponitur (4,1-6),

Eliphaz tamquam principium universale statuit, nunquam innocentes, sed solos impios perire (4,7-11).

Quod ut ad Iobum quoque referri insinuet, ad visionem quandam provocat, qua nullum hominem coram Deo iustum esse edoctus sit (4,12-21).

Quoniam igitur stultus, nisi ad Deum recurrat, pereat necesse sit (5,1-7), Iobum exhortatur, ut ad Deum, iustum piorum et impiorum iudicem, confugiat (5,8-16),

atque orationem terminans beatum praedicat eum, quem Deus ipse corripiat, quia correptus ad novam felicitatem sit reversurus (5,17-27).

b.) Quibus IOB indirecte tantum respondet querelas suas priores quasi excusans et amicos suos reprehendens, quod solatium sibi non afferant (6,1-7,21).

Peccatis suis graviores esse calamitates praefatus (6,1-3) vehementiam querelarum suarum explicat magnitudine dolorum, qui vires suas superent (6,4-12),

praesertim quia ab omnibus iam sit derelictus (6,13-20) iique qui ad ipsum venerint, vanis increpationibus ipsum lacessant (6,21-30).

Unde calamitatum suarum gravitate iterum exposita (7,1-10), quasi omni spe privatus Deum interrogat, cur tam crudeliter tractetur neque sibi peccatum condonetur, quod forte commiserit (7,11-21).

2. — *Baldad et Iobi conflictus* (8,1-10,22).

a.) BALDAD increpatio (8,1-22).

Acrius Baldad in Iobum, quasi ultimis suis verbis Deum iniustitiae arguisset invehens (8,1-3), eius filios iuste periisse asserit, ipsum tamen, si Deum humiliter precetur, exauditum iri donaque prioribus maiora esse accepturum auguratur (8. 4-7).

Eandem deinde erroneam sententiam, cui iam priora eius verba innituntur, Baldad auctoritate antiquorum sapientum demonstrare conatur (8,8-10), qui prosperitatem impiorum fluxam esse parabolis illustrent (8,11-19);

quam doctrinam suis verbis repetens resipiscenti Iobo feliciorem sortem promittit (8,20-22).

b.) *Iob* responso suo erroneam amicorum sententiam directe iam impugnare incipit (9,1-10,22).

Optime quidem se scire ait, hominem coram Deo non esse iustum (9,1-13) neque sese cum Deo utpote potentissimo et iustissimo velle contendere (9,14-21),

at solos impios eosque semper calamitatibus affligi infitiatur (9,22-24).

A qua generali consideratione ad suas ipsius res reversus infelici sua sorte denuo adumbrata (9,25-28), se coram Deo iustissimo utique iustum non esse profitetur, licet in humano iudicio se velut iustum causam suam victurum esse omnino confidat (9,30-35).

Unde Deum interrogat, cur tam duro experimento ab eo subiectus sit (10,1-7)

eumque ad misericordiam flectere conatus (10,8-19) humiliter precatur, ut sibi ante mortem saltem levamen quoddam malorum concedatur (10,20-22).

3. — *Sophar et Iob* (11,1-14,22).

a.) Iracunda *Sophar* criminatio (11,1-20).

Iobi verbis iratus Sophar non tantum eius loquacitatem reprehendit, sed arrogantiae quoque eum accusat, eo quod se iustum asserat, quamvis minora quam quae sit meritus patiatur (11,1-6).

Quam incusationem ut aliquo modo probet, sapientiam scientiamque Dei celebrat, quae omnia perscrutetur (11,7-12),

atque ad poenitentiam eum exhortatur poenitenti felicem sortem, impio autem interitum annuntians (11,13-20).

b.) Cui increpationi *Iob* nihil respondet, sed longiore sermone primam disputationem terminat omnes tres amicos reprehendens Deique misericordiam implorans (12,1-14,22).

Ad amicos ergo primum se convertens (12,1-13,12)

eos carpit, quod arroganter ipsum irrideant (12,1-5) atque

rem notissimam esse dicit, quod impii saepe rebus prosperis fruantur (12,6-10).

Hinc antiquorum sapientum (ad quos amici provocarant) sententiam caece admitti non licere asserit, quum solus Deus perfectam habeat sapientiam (12,11-13) et pro sua sapientia ac potentia non omnia iuxta unam iustitiae vindicativae normam disponat, id quod multis, quae affert, exemplis constare ostendit (12,14-25).

Iamvero quum ipse haec ita se habere experientia edoctus sciat (13,1.2), amicos tacere iubet, ne Dei partes mendaciis tueri conati eius iram excitent (13,3-12).

Tum ad Deum confugiens (13,13-14,22)

omnimodam suam in eum fiduciam profitetur (13,13-19), quum in iudicio se ab eo absolutum iri confidat, dummodo ne obruatur eius maiestate (13,20-22).

Misericordiam deinde divinam implorare incipit ante omnia infelicem conditionem, in quam deiectus sit (13,23-28) communemque humanae naturae debilitatem et impuram hominis originem describens (14,1-6).

Similiter hominem hanc vitam semel tantum degere (14, 7-10) neque ab inferis reditum esse commemorans (14,11-15) Deum obtestatur, ut peccatis suis parcere velit (14,16-22).

III. *Disceptatio altera* (15,1-21,34), in qua amici iam erroneam suam sententiam directe ad Iobum accommodant, quum eius peccata aperte dicant calamitatum causam, Iob vero principium illud, quo nituntur, falsum et fallax esse invicte demonstrat.

1. *Acerbior Eliphaz et Iobi altercatio* (15,1-17,16)

a.) ELIPHAZ Iobum vehementer reprehendit et terrere conatur (15,1-35).

Arrogantiae enim insolentiaeque eum incusat, quoniam blasphemantium modo contra Deum sit locutus (15,1-6),

atque superbiae reum eum habet, quoniam se aliis praeferat, licet eis sit inferior (15,7-13).

Deinde neminem coram Deo purum esse repetens (15,14-16) ad ea quae Iob de multorum impiorum prosperitate dixerat alludens impios semper internis cruciatibus exagitari monet (15,17-24).

Demum ut Iobum terreat, iustitiam magnifice describit, quam Deus erga impios exercet (5,25-35).

b.) Quibus IOB vix minus vehementer respondet (16,1-17,16).

Acerbe enim conqueritur, quod amici eadem semper recoquentes sese molestos exhibeant consolatores (16,1-6).

A qua amicorum increpatione ad miseriam suam iterum

describendam transit, quam ideo esse maiorem dicit, quia in impiorum manus traditus sit et inexspectata subitaque fuerit fortunae suae mutatio (16,7-17).

Quare ardenter exoptans, ne haec suo merito pati credatur, Deum invocat innocentiae suae testem, amicis reiectis, a quibus illudatur (16,18-22).

Quoniam enim paucos sibi superesse vitae dies persuasum habet (16,23-17,1), ad solum Deum plena cum fiducia refugit (17,2.3)

amicosque tamquam iudices recusat, quia vera careant sapientia (17,4-10) sibique vanam tantum consolationem offerant (17,11-16).

2. — *Alter conflictus Baldad et Iobi* (18,1-19,29).

a.) Erroneae suae sententiae obstinate inhaerens *Baldad* denuo impiorum ruinam agitat (18,1-21).

Quia Eliphaz Iobo concessisse videbatur, impios non semper aperte puniri, sed internis tantum conscientiae morsibus saepe vexari (cfr 15,21 sqq.), Baldad ab initio ambos stultitiae et arrogantiae incusat (18,1-3);

mox vero solum Iob respiciens Deum propter illum immutabilia sua consilia immutaturum non esse, sed impium certo et aperto interitui traditurum affirmat (18,4-7);

atque multiplicem hanc ruinam describens (18,8-14) eam impii morte non finiri sed ad totam eius familiam pertinere addit (18,15-21).

b.) Quibus verbis afflictus *Iob*, quum ab amicis tam iniuste tractetur, ad salvatorem suum prospicit, per quem etiam post suam mortem innocentiam suam omnibus manifestatum iri confidit (19,1-29).

De amicorum ergo opprobriis conquestus (19,1-5),

quum non secundum ordinarias leges Deus adversus ipsum agat (19,6-7), id quod ex completa fortunae suae ruina (19, 8-12) et omnimoda sua derelictione appareat (19,13-20), eos rogat et obtestatur, ut ipsi saltem tamquam amici suam miserentur fortunam (19,21. 22).

At frustra se haec petere intelligens firmissimam exprimit spem fore ut redemtor suus, quem vivere sciat, in futura quam certo exspectet resurrectione innocentiam suam manifestet[1] (19,23-27);

(1) « Ab hoc loco, rectissime inquit *Sanctius*, ad finem usque libri aliter se habet Iob quam prius. Neque enim luget aut queritur, quasi aegre ferat torqueri se vehementer, quum tamen non levior esset extrema vexatio, sed est tantum enumeratio malorum, quae pertulerat, ita tamen, ut in athleta fortissimo nullus appareat languor, nulla desperatio

qua spe fretus amicos hortatur, ut ab illius iudicio sibi caveant (19,28.29).

3. — *Sophar et Iob iterum* (20,1-21,34).

a.) Oratio *Sophar* (20,1-29).

Iobi admonitione se ad loquendum impelli praemittens (20,1-3),

haud sine eloquentia, ut Iobum terreat, miseriam impii denuo exponit; impii enim prosperitatem perbrevem fore monet (20,4-10),

ruinam autem eius esse iustam (20,11-23) et completam esse futuram (20,24-29).

b.) Contra quae *Iob* probat, descriptionem illam immerito ad omnes extendi (21,1-34).

Amicos enim precatus, ut ad ea quae dicturus sit diligenter attendant (21,1-6),

experientia constare ostendit, multos impios omni ex parte secundis rebus frui, etsi in Deum blasphemias iactent (21,7-15),

neque omnium peccata statim a Deo puniri (21,16-26),

quin etiam impium saepe non tantum per vitam suam sed etiam post mortem ab hominibus in honore haberi (21, 27-33);

unde consequi addit, ut eorum solatium sit inane atque responsum eorum veritati repugnet (21,34).

IV. Tertia disceptatio (22,1-26,14), in qua Eliphaz quidem Iobo gravissima crimina directe impingere non veretur, principium autem, quo nititur, a Iob ita refutatur, ut Baldad vix amplius habeat quod respondeat, Sophar autem plane taceat.

1. — *Acerba Eliphaz criminatio in Iobum huiusque responsum* (22, 1-24,25).

a.) *Eliphaz* criminatio (22,1-30).

Quoniam non habet, quibus Iobi ultimam conclusionem refutet, Eliphaz quasi a priore statuens, Deum semper solam iustitiae vindicativae normam sequi (22,1-5),

multa enumerat scelera, quibus Iobum sibi calamitates quas experitur attraxisse contendit (22,6-11);

siquidem fieri non possit, ut Deus peccata aut ignoret aut praetermittat, historia potius doceat, eum scelera omnia punire (22,12-20).

aut mortis desiderium. Confortavit enim et exhilaravit patientis animum spes certa resurrectionis, quam eo oraculo, in quo ab amicis urgebatur angustius, ex divina revelatione conceperat. »

Quapropter Iobum cohortatur, ut ad poenitentiam agendam se convertens nova beneficia a Deo accipere mereatur (22,21-30).

b.) *Iobi* responsum (23,1-24,25).

Quia assertionibus eius fidem amici denegant, coram Deo innocentiam suam probare desiderat (23,1-6),

et quia Deus ei suam praesentiam subtrahere videtur (23,7-9), ad illius omniscientiam provocat, utpote quae omnem suam vitam cognitam habeat (23,10-17).

Deum porro ipsum quidem tempora, quibus iudicet, novisse, nos autem ea ignorare asserens (24,1) nobis iudicium non competere declarat, cur hac in terra saepe impiis dominantibus pauperes vexentur (24,2-12), tot quoque scelera in occulto patrentur, quae non puniri videantur (24, 13-17), neque impii debitas semper luant poenas (24,19-25).

2. — *Baldad et Iob* (25,1-26,14).

a.) Ultima *Baldad* verba (25,1-6).

Quae Iob contra iniustam Eliphaz accusationem regessit, Baldad silentio suo videtur approbare, quum breviter tantum et satis vage Dei maiestatem delineans (25,1-3) hominem abiectum cum Deo contendere non posse repetat (25, 4-6).

b.) Ad quae *Iob* magis ironice respondet (26,1-14).

Verba quippe eius ad rem non esse neque se eius doctrina indigere obiicit (26,1-4),

ut deinde magnitudinem divinam in inferis, in terra et in coelo manifestatam celebrans se de ea rectius sentire ostendat (26,5-14).

V. *Duobus monologiis* (27,1-31,40), quorum prius epinicion quoddam, alterum vero iusta elegia est, Iob disputationibus amicorum quaestionem de calamitatum suarum causa non esse solutam demonstrat.

1. — *Quasi triumphans in priore innocentiam suam frustra ab amicis in dubium esse vocatam eisque ad quaestionem propositam solvendam deesse veram sapientiam docet* (27,1-28,28).

a.) Ab innocentia sua praedicanda exorditur (27,1-10).

Per Deum quippe se non mentiri protestatus (27,1-4) conscientiam sibi non obiicere culpam asseverat (27,5-6);

atque innocentiam suam comprobari ait continua sua ac firma spe et fiducia in Deum, qua impii gaudere nequeant (27,7-10).

b.) Amicis veram sapientiam deesse ostendit (27,11-28).

Ipsi enim fateri iam coguntur, vanam esse doctrinam, quam decantarunt de omnium et solorum impiorum infelicitate quamque nunc ipsis quodammodo eorum verbis quasi per ironiam eis obtrudit (27,11-23).

Multum quidem homines valent naturali sua scientia et arte (28,1-11),

ad veram autem sapientiam supernaturalem, quae omni naturali longe sit praestantior, eos pertingere non posse (28,12-22);

sed hanc a solo Dei concedi et quidem iis qui ipsum timent (28,23-28).

Quibus verbis Iob simul insinuat, intimam problematis propositi rationem ex Dei sapientia esse repetendam hominibusque, qui eam naturalibus suis viribus investigant, manere absconditam.

2. — *Carmine elegiaco Iob felicitatem suam pristinam cum praesente sua miseria comparat seque calamitates quas patitur sua culpa sibi contraxisse negat* (29,1-31,40).

a.) Quanta fuerit prior sua prosperitas (29,1-25).

Magno cum animi dolore cursum vitae suae perlustrans commemorat, omnibus externis bonis per divinam gratiam se frui potuisse (29,1-10),

propter misericordiam, qua omnes egenos pauperesque sublevasset, se ab omnibus beatificatum et benedictum esse (29,11-17),

quasi certum de continua huius prosperitatis duratione se ubique velut regem esse honoratum (29,18-25).

b.) Quam afflicta sit praesens sua conditio (30,1-31).

Tam calamitosam nunc suam esse conditionem luget, ut a vilissimis quibusque despiciatur et irrideatur (30,1-10) neque, quamvis undequaque vexetur, inveniat a quo adiuvetur (30,11-15);

immo vero gravissimis malis oppressus a Deo quoque relinqui videtur, quamvis ipse antea cunctos afflictos consolari studuerit (30,16-25);

itaque spe destitutus nunc moerore miser tabescit (30, 26-31).

c.) Quam parum tantam rerum mutationem meruerit (31, 1-40).

Immunem quippe se ab illis esse peccatis asserit, quae tantis poenis sint digna; neque enim se libidinibus indulsisse (31,1-8),

neque proximis malum intulisse (31,9-15) aut pauperes

vel viduas vel orphanos dereliquisse aut despexisse (31, 16-23),

neque in divitiis fiduciam suam posuisse aut idololatriam occulte exercuisse aut inimicos odio habuisse aut hypocritam egisse (31,24-34);

Deum ipsum autem huius asseverationis testem invocans elegiam terminat (31,35-40).

Pars altera (32,1-37,24) *quatuor constat sermonibus, quibus Eliu Deum piis calamitates tanquam medicinas salutares interdum immittere docet atque non tantum trium amicorum errorem sed etiam Iobi dicta quaedam reprehendit et corrigit.*

Amicorum sententiam, qua cunctas huius vitae tribulationes pro vindicativis tantum poenis habebant et ex tribulationum alicuius gravitate gravitatem culpae eiusdem colligebant, neque cum ratione neque cum experientia consentire Iob superioribus disputationibus evicit; unde in monologiis quaestionem de suarum ipsius tribulationum causa non esse solutam merito declaravit. At alteram ipse causam non indicaverat et in sua defensione iustos limites transgressus reverentiam Deo debitam nonnullis suis dictis laeserat. Ne igitur haec approbare neve quaestionem pro incerta, quae nullam admittat solutionem probabilem, habere videatur, auctor novum interlocutorem introducit, qui alteram tribulationum causam indicans Iobique audaciam carpens adventum Dei praeparat, qui in tertia parte totam quaestionem dirimet.

Introductio historica (32,1-6), genere et conditione Eliu indicatis, causam aperit, cur iuvenis ille ex auditorum corona surgens se in illas interposuerit.

1. — *Primo sermone* (32,6-33,33) *Eliu tres Iobi amicos insipientiae, Iobum irreverentiae adversus Deum accusans calamitates interdum ad erudiendos quoque et emendandos pios divinitus infligi docet.*

a.) Exordio satis turgido tres amicos alloquitur seque eorum insipientia ad dicendum impulsum esse dicit (32,6-22).

Hucusque tacuit, ut iuvenis senum sapientiam audiret; verum hanc non ab annis sed a divina inspiratione pendere cernens, nunc ipse suam prodere impellitur (32,6-10).

Attentus quippe eorum disputationes audivit, sed eos neque Iobum convincere neque eius interrogationibus satisfacere potuisse perspexit (32,11-13);

alia igitur ipse nunc via, quia illi ad silentium sint redacti, Iobum impugnare vult solo veritatis studio ductus et quasi abreptus (32,14-22).

b.) Deinde ad Iobum se convertens eius audaciam carpit (33,1-13).

Eum enim exhortatus, ut verbis suis si possit respondeat, neve se velut adversarium imparem despiciat (33,1-7),

eum reprehendit, quod male egerit, quum sese plane innocentem declarans se a Deo pro inimico haberi diceret, quasi Deus homine non esset maior (33,8-13).

c.) Cui exprobrationi expositionem doctrinae adiungit (33,14-30).

Diversis videlicet modis Deum homines erudire, homines autem non attendere praefatus (33,14 [1]) Deum interdum visionibus nocturnis eos a pravis viis retrahere docet (33,15-18),

interdum doloribus quoque eos admonere (33,19-22) et per internuntios eis qui tribulantur misericordiam suam manifestare, ut eos ad se attrahat (33,23-30).

d.) Pro epilogo autem Iobum rogat, ut respondeat si possit, quia secus ipse suam doctrinam continuaturus sit (33,31-33).

2. — *Secundo sermone* (34,1-37) *Eliu, Iobo in silentio suo perseverante, divinam iustitiam, quam Iob audacioribus nonnullis dictis addubitare visus erat, egregie vindicat.*

a.) In exordio Iobum blasphemiae incusat (34,1-9).

Omnes quippe sapientes ut de sua doctrina iudicent exhortatus (34,1-4)

nonnulla verba, quibus Iob, si nuda spectantur, utique Deum sibi iniustum fuisse iudicem asseruerat, tamquam blasphema severius carpit (34,5-9).

b.) Contra illa igitur iustitiam Dei demonstrat (34,10-30).

Thesin suam, nullam plane esse apud Deum iniustitiam cum emphasi quadam praemittit (34,10-12),

eamque primum ex amore probat, quo Deus sui immemor totum orbem, quem si vellet facillime destrueret, solus gubernet (34,13-15),

tum ex iudiciis, quae sine ullo partium studio ad pauperes defendendos contra principes et populos exerceat (34,16-20),

demum ex omniscientia, qua omnia perspiciens decipi nequeat, et ex potentia, cui nemo se subtrahere valeat (34,21-30).

c.) Pro epilogo iterum Iobum, ut respondeat si possit, rogat atque durius eum tractans desiderat, ut propter audacia sua verba a Deo vexetur (34,31-37).

3. — *Tertio sermone* (35,1-16) *Eliu, Iobo iterum tacente, pietatem iustitiamque homini non esse inutilem demonstrat.*

(1) Erroneae lectioni inniti videtur *Vulgatae* versio *v.* 14 : « Semel loquitur Deus *et secundo id ipsum non repetit* »; legi potius omnino debet : « *Semel loquitur Deus et iterum;* (at homo) *non attendit.* Cfr *Knabenbauer* Comment. in l. Iob. p. 378 sq.

a.) Exordium denuo sumit ex verbis Iobi nonnullis minus accuratis :

Quoniam enim Iob saepe assuerat, Deum iustos affligere et iniustos bene tractare, quin etiam iustos oppressos frustra a Deo auxilium petere, facile aliquis concludere potuit, virtutis exercitium homini hac in terra inutilem esse. Ad haec igitur, quae amici non reprehenderant, Eliu nunc respondere vult (35,1-4).

b.) Itaque bonas vel malas hominis actiones utique Deo non prodesse aut nocere, quoniam earum sequelis non attingatur, homini autem ipsi utiles vel nocivas esse declarat (35,5-8).

c.) Si quis vero se ab hominibus opprimi et a Deo non adiuvari conqueratur (35,9),

id aut ex eo provenire docet, quod oppressus vel ad Deum non refugiat, vel ad eum recurrens nihilominus in sua superbia permaneat (35,10-13),

aut ex eo, quod Deus iudicium nunc differendum censeat, ut suo tempore illud exerceat (35,14-16).

4. — *Quarto sermone* (36,1-37,24) *Eliu medicinalem calamitatum vim accuratius exponens divinamque iustitiam et sapientiam celebrans Iobum adducere studet, ut tribulationes suas patienter et humiliter perferat neque de iis cum Deo expostulet.*

a.) Sibi non deesse rationes praefatus, quibus contra Iobum iustitiam et sapientiam Dei vindicet (36,1-4)

b.) vi medicinali tribulationum accuratius exposita ad explicandam rationem transit, qua Deus cum Iobo egerit (36,5-21).

Deum quippe provide agere neque iustos afflictos derelinquere praemonens (36,5-7),

eum vel ipsos impios saepe tribulationibus ad peccatorum suorum agnitionem adducere ostendit (36,8-10), ut deinde eos pro eorum agendi ratione tractet (36,11-14);

iam vero eandem quoque viam eum tenere cum iustis (36,15), eandem eum tenere cum Iobo, qui ex tribulationibus suis sit evasurus, si eas patienter et humiliter perferat, neque ad peccandum se abripi sinat (36,16-21).

c.) Ad quam animi dispositionem ut eum adducat atque simul ut eum a divina agendi ratione temere diiudicanda avertat, Dei sapientiam, iustitiam, maiestatem celebrat (36,22-37,13).

Thesin enim statuit, tam magnum esse Deum, ut nemo vias eius investigare aut opera eius vel aeternam eius scientiam cognoscere possit (36,22-26),

eamque probat praeprimis potentiam sapientiamque eius iam ex meteoris elucere monens, quibus quum ad castigandos homines tum ad beneficia eis tribuenda utatur (36,27-33):

porro eandem apparere addens in turbinibus quoque, fulguribus, tonitribusque (37,1-5) uti in nivium, imbrium frigorisque munere et utilitate (37,6-13).

d.) Denique haec eum accurate considerare iubens (37,14) ironicis interrogationibus de rerum natura et mundi dispositione eum exagitat, ut Deo eiusque operibus prorsus imparem se cognoscat eique se humiliter subiiciat (37,15-24).

TERTIA PARS (38,1-42,6) *duobus Dei ipsius sermonibus duobusque brevibus Iobi responsis constat, quibus Deus quidem mirabilibus potentiae sapientiaeque suae operibus descriptis hominis impotentiam et ignorantiam arguit, Iob autem se inconsiderate egisse fatetur, quando cum Deo contendere auderet.*

Eliphaz eiusque socii calamitates, quibus Iob opprimebatur, poenas peccatorum ab eo patratorum esse voluerant; quare Iob, quum talium criminum conscientiam non haberet, iure contra eos sese defendit; iuveni Eliu autem, qui tribulationes etiam eum in finem piis hominibus mitti docuit, ut accuratius se ipsos considerent, cautius se abstineant a malo, neve inconsideratius et audacius de divina gubernatione iudicent, nihil respondere potuit. At ne ipse quidem Eliu veram calamitatum, quibus Iob afflictus erat, causam in prologo iam expressam ullo modo attigerat, ita ut quaestio tota nondum plene esset soluta. Ideo apparet Deus, minime quidem, ut modum explicet aut vindicet, quo erga Iobum egerit, sed ut sapientiam potentiamque suam hominis intellectum superare ex ipsis rebus visibilibus demonstrans ad silentium redigat eos, qui divinae providentiae mysteria curiosius scrutantur sibique ius arrogant de divina agendi ratione expostulandi.

Porro quoniam Deus argumentationem, quam Eliu in ultima parte quarti sui sermonis inchoaverat, quodam modo continuat et complet, recte concludimus iuvenem illum, quamvis turgido dicendi genere utatur, ex Dei auctoritate et inspiratione esse locutum, quum Iobi verba quaedam velut audaciora et minus accurata reprehenderet, neque ad eum ullo modo, sed ad solum Iob prima Dei verba (38,2) pertinere.

I. *Primus sermo Dei ac Iobi responsum* (38,1-39,35).

1. — *Deus Iobi, qui ne visibilibus quidem creationis operibus diiudicandis idoneus sit, arrogantiam castigat, qua cum ipso contendere voluerit* (38,1-39,32).

a.) Deus in turbine apparens Iobum ab expostulationibus conquiescere et ad suas interrogationes respondere iubet (38,1-3).

b.) Ante omnia autem, ut eius superbiam deprimat, de prima rerum creatione eum interrogat, num ipse forte, quando posita sint terrae fundamenta, adfuerit aut ipse terram fundaverit marique terminos assignaverit (38,4-11).

c.) Ad ordinariam deinde rerum creatarum gubernationem transiens interrogat,

num forte ipse continuae dierum noctiumque mutationi praesit (38,12-16),

num mysteria terrae, quam inhabitet, viresque naturae cognoscat, quas Deus cunctas gubernat et ad fines eis praestitutos dirigit (38,17-23);

num ea sciat, quae in aere fieri cernantur (38,24-30), aut astrorum cursum intelligat (38,31-38).

d.) Ad animantia porro veniens eum interrogat de vivendi ratione, de natura ac generatione leaenae, corvi (38,39-41), ibicis (39,1-4), cervi onagri (39,5-8), rhinocerotis (vel potius : bubali) (39,9-12), struthionis (39,13-18), equi (39,19-25), accipitris et aquilae (39,26-30).

e.) Brevissimo demum epilogo Deus Iobum ad haec respondere iubet, antequam secum contendere incipiat (39,31.32).

2. — Ad quae *Iob se inconsiderate esse locutum humiliter confitetur* (39,33-35).

II. *Alter sermo Dei Iobique responsum* (40,1-42,6).

1. — *Deus homini se ita iustificare, ut Deum condemnet, non licere docet idque eo minus licere, quo debilius ens homo sit* (40,1-41,25).

a.) In exordio Iob increpatur, qui sese ipsum iustum declarans vix non Deum condemnaverit (40,1-3), quamvis ens tam debile sit (40,4-9).

b.) Verum ut Iob suam debilitatem melius perspiciat, Deus duo animalia describit, quae ipse quidem creavit, homo autem gubernare nequit,

behemoth i. e. hippopotamum (40,10-19),

et leviathan i. e. crocodilum (40,20-41,25).

2. — Quibus Iob respondens *Dei potentiam et sapientiam, suam autem ignorantiam profitetur* humiliterque veniam precatur (42,1-6).

Epilogus libri historicus (42,7-16) rei exitum narrat.

a.) Deus tres amicos Iobi vituperat eo quod non recte sint locuti, et ad Iobi innocentiam magis declarandam, praecipit, ut sibi per Iobum amici sacrificium offerant (42,7-9);

b.) Iobo autem maiorem quam qua antea fruitus erat felicitatem restituit (42,10-16).

2. — *Liber Psalmorum.*

Secundum locum inter poeticos et didacticos libros Vulgata *libro Psalmorum* seu *Psalterio davidico*, i. e. collectioni cuidam minorum carminum attribuit, quae etsi non omnia a suis auctoribus in usum liturgicum sint composita, ei tamen in secundo templo iam omnia inservierunt, ac hodie quoque nostrae liturgiae magnam partem constituunt. Quia in templi sollemnitatibus ad cytharae et psalterii pulsum decantabantur, ab Alexandrinis *Psalmorum* nomen acceperunt, ab Hebraeis autem ad eorum argumentum et finem magis attendentibus *Thehillim* (hymni) vel *Thephilloth* (preces) appellantur, quoniam omnia saltem indirecte Dei magnalia celebrant animumque ad Deum transferunt.

Centum quinquaginta Psalmi in omnibus editionibus numerantur, neque tamen eodem modo; cum Alexandrinis enim Vulgata hebraicos *Ps.* 9. et 10. in unum *Ps.* 9. ac similiter hebr. *Ps.* 114. 115. in *Ps.* 113. contrahit; e contrario hebraicum *Ps.* 116. in duos *Ps.* 114. 115. et iterum hebr. *Ps.* 147. in *Ps.* 146. 147. diducit; utrum recte necne, suis in locis dicemus. Apud Hebraeos totum Psalterium in quinque libros est divisum, quorum fines doxologia ultimo singulorum carmini addita indicat (cfr *Ps.* 40,14; 71,18-20; 88,53; 105,48); sed hanc divisionem nobis praetermittere licet, quia quinque isti libri non sunt nisi totidem carminum collectiones vario tempore adornatae et tandem ab Esdra, ut videtur, in unum Psalterii corpus adunatae. Neque opus est, ut de singulorum Psalmorum auctoribus dicamus; ad eos enim intelligendos satis est, ut tempus vel occasionem cognoscamus, cui singuli originem debent; haec igitur, quatenus cum aliqua saltem verisimilitudine definiri possunt, diligenter indicabimus; de auctoribus autem id unum adnotamus, Davidem, cui olim totum Psalterium attribuebatur, maiorem quidem carminum partem (plus octoginta) composuisse, reliqua autem a variis poetis inspiratis decursu saeculorum usque ad Esdrae aetatem esse conscripta.

Perbene S. Basilius totum Psalterium « commune quoddam bonarum doctrinarum promtuarium » vocat, quoniam alii Psalmi « futura vaticinentur, alii praeterita in memoriam revocent, alii salutares doctrinas exponant, alii ea quae sint agenda suggerant » etc. Ut brevitati consulamus, plerorumque carminum summam argumenti eiusque partitionem paucis tantum indicabimus, messianicorum tamen atque difficiliorum et longiorum argumentum et divisionem diligentius describemus. Ob idem brevitatis studium varietates massorethicas plerasque praetermitte-

mus; licet autem Vulgatam sequamur, ad hebraicum textum semper attendemus, quo in genuino sententiarum nexu et sensu eruendo iuvemur; Alexandrini enim, a quibus Vulgata dependet, multis in locis sacrum textum obscurarunt, quum hebraicis semper verbi formis serviliter redditis in sua versione graecis temporibus praeteritis uterentur, ubi de rebus praesentibus vel futuris agitur, aut futura tempora adhiberent, ubi praeterita narrantur aut praesentia describuntur.

PSALM. 1. — *De contraria pii hominis et peccatoris sorte.*

Primum hoc carmen didacticum toti Psalterio ad morale eius argumentum commendandum velut prooemium quoddam praemittitur.

Pii enim hominis, qui omni vitato peccato Legem toto pectore amplectitur, omnimodae beatitudini, quae frugiferae arboris imagine illustratur (1-3), David futurum impiorum, qui sicut palea dispergentur, interitum certum et iustum opponit (4-6).

PSALM. 2. — *De regno Messiae omnibus agnoscendo.*

Primus hic psalmus messianicus (*Act.* 4,25 sq.; 13,33; *Hebr.* 1,5; 5,5) velut alter Psalterii prologus summam argumenti prophetici complectitur. Quatuor enim strophis aequalibus David, quem auctorem esse testimonio Apostolorum (cfr *Act.* 4,25) constat, totidem nobis scenas vel imagines dramaticas proponit, quibus eos solos salvos fieri monemur, qui Christi, Dei Filii, imperio humiliter se subiiciunt.

1.) Populos quippe cum suis ducibus contra Dominum eiusque Messiam insurgentes seseque mutuo, ut eorum iugum deiiciant, exhortantes cum stupore contemplatus (1-3),

2.) sacer poeta oculos in coelum attollens Dominum conspicit vanis rebellium conatibus irridentem eosque, ut quiescant, increpantem, quia ipse hunc regem sibi super Sion montem suum sanctum constituerit (4-6) [1],

3.) ac statim Messiam audit Domini decretum explanantem, sese videlicet, utpote Dei Filium unigenitum, a Patre regnum universale accepisse atque sibi proinde ius potestatemque coercendorum rebellium competere (7-9).

4.) Unde demum poeta suo quasi nomine seditiosos admonet, ut Domino serviant eiusque Filium revereantur, quippe qui contumaces sit deperditurus, beatos autem redditurus quicumque in ipso spem suam collocaverint (10-12).

PSALM. 3. — *Davidis a filio ex urbe fugere coacti precatio.*

Occasio carminis ex 2 *Reg.* 16,14 (cfr 17,1-22) apte colligitur (cfr *v.* 1).

(1) Verba *v.* 6., quae iam Messiae loquenti ab Alex. et Vulg. attribuuntur, cum Massorethis et S. Hieronymo Patri aptius attribuemus; legimus igitur *v.* 6 : *at ego constitui regem meum super Sion montem sanctum meum;* ac dein *v.* 7. Messias absolute incipit : *Narrabo de decreto* (i. e. explanabo decretum) : *Dixit Dominus* etc. — Similiter *v.* 12. cum Massorethis legere malumus : *Osculamini Filium* loco illius : *Apprehendite disciplinam.*

Tanto in periculo constitutus, ut a Deo derelictus putaretur (2.3), David non desperat, sed pristinorum Dei beneficiorum memor (4.5) et ad primam fugae noctem, quam a Deo protectus quiete peregit, respiciens (6.7) fidenti animo novum auxilium sibi et populo expetit (8.9).

PSALM. 4. — *Altera Davidis fugientis precatio.*

Ad idem tempus cum praecedente carmen probabiliter pertinet.

Divino auxilio, quod saepe iam obtinuit, denuo implorato (v. 2) poeta adversarios suos, quum eorum conatus contra ipsum, utpote regem a Deo electum, irriti sint futuri, exhortatur, ut poenitentiam agant Deoque iusta sacrificia offerant (3-6ª); timidis autem amicis suum exemplum proponit, qui Domino confisus nunc magis laetetur quam ii qui bonis temporalibus ditati sint (6ᵇ-8); hinc carmen (vespertinum) etiam nova fiduciae suae assertione terminat (9.10).

PSALM. 5. — *David divinum auxilium contra adversarios suos implorat.*

Ad initium forte coniurationis absalomicae (cfr 2 *Reg.* 15,12 sq.) carmen hoc matutinum pertinet.

Dominum rogans, ut preces quas primo mane ad ipsum fundat, mane quoque exaudiat (2-4) David pro ratione, cur se exauditum iri confidat, divina allata sanctitate, quae peccatores odio habeat (5-7), fidenti animo sanctuarium ingressus Domino supplicat primum quidem, ut ab eo adiutus rectam tenere viam valeat, ne adversarii quidquam sibi obiiciendum habeant (8-10), deinde vero, ut adversariis punitis et deperditis ipse cum reliquis piis de obtento auxilio glorientur (11-13).

PSALM. 6. — *Davidis poenitentis supplicatio.*

Ad absalomicam rebellionem, qua utpote adulterii poena David corpore et animo graviter afflictatus est, carmen apte refertur.

Itaque Deum precatus, ne iuxta iustitiae rigorem puniatur (*v.* 2), ut ad misericordiam eum permoveat, ei aerumnarum quibus premitur gravitatem proponit (3.4), monet se divinam misericordiam, nisi sibi parcatur, ad aliorum utilitatem non amplius celebrare posse (5.6), magnitudinemque doloris sui de peccato admisso describit (7.8). Suam autem precationem exauditum iri confisus adversarios ut a se recedant hortatur (9.10) et fiduciae plenus eorum interitum praedicit (*v.* 11).

PSALM. 7. — *David ad Deum iudicem confugit contra calumniatorem.*

Ex Saulis probabiliter asseclis fuit Chusi, Davidis calumniator (*v.* 1).

Falsi criminis accusatus et ab omnibus derelictus psalmista a solo Deo auxilium sperat (2.3) et, quia Deus causam iniustam tueri nequit, animo commotissimo innocentiam suam asserit maxima mala, nisi verum dicat, in se detestans (4-6).

Pacatius deinde rogat, ut Deus tribunali suo in mediis populis

constituto inter ipsum et calumniatores iudicans nequitiae eorum tamquam iudex iustus finem faciat (7-10) atque iustitiae divinae confisus eis, nisi resipiscant, poenas minitatur (11-14); in ea quippe mala, quae adversario suo paraverint, eos irruituros praedicens carmen iterum fiduciae assertione terminat (15-18).

PSALM. 8. — *Divina bonitas in homine ac maxime in Christo manifestata.*

Davidi carmen debetur, illius tamen occasio ignota neque ad illius intelligentiam necessaria; duabus strophis aequalibus constans epiphonemate clauditur.

1.) Gloriam maiestatemque Dei in toto creationis opere tam clare manifestatam, ut vel ipsi pueri eam celebrantes confundant atheos, admiratus psalmista cum stupore quodam interrogat, quid tandem homo esse debeat, cuius licet tam vilis esse videatur, Deus specialem curam habere dignetur (2-5).

2.) Rationem vero specialis huius curae tribus hominis praerogativis nominatis indicat : scilicet dumtaxat paullum minor angelis, homo supranaturali Dei similitudine est ornatus atque rex constitutus omnium creaturarum hac in terra (6-9).

3.) Unde psalmista hymnum eadem exclamatione, claudit, qua eum inchoavit (*v.* 10).

Carmen est messianicum (cfr *Hebr.* 2,6 sqq.; 1 *Cor.* 15,27 sq.), neque tamen sensu suo tam literali quam eminente ad Messiam pertinet; verba enim poetae, quamvis suo modo de homine in genere valeant, plene et perfecte vera non sunt nisi in Christo. Qui utique tempore exinanitionis suae, quum passioni et morti se subiiceret, infra angelos minoratus est; nunc autem, utpote a Deo exaltatus in gloria est Dei Patris atque pro imperfecto dominio, quo homines in creaturas inferiores potiuntur, universalissimum et perfectissimum habet, omnia sibi subiecta tenens praeter eum, qui subiecit ei omnia (cfr *Phil.* 2,9 sqq.; 1 *Cor.* 15,25 sqq.).

PSALM. 9. (hebr. 9.10). — *Gratiarum actio et precatio* [1].

Carmen hoc ad idem fere tempus atque Ps. 59. recte refertur (cfr 2 *Reg.* 8). Multis vicinis gentibus iam devictis David de victoriis sibi concessis gratias agens simul auxilium petit ad reliquos hostes ex terra eiiciendos; unde duae carminis partes.

Priore rex Deum celebrat, qui suam causam hostibus contritis egerit (2-5) et hostium clade accuratius descripta (6-9) suos hor-

(1) Cum textu massorethico multi hunc Psalmum in duos (9. 10.) discerpunt atque Vulg. Clem. ipsa, quae post *v.* 21. novam versuum seriem incipit, hanc divisionem velut probabilem habet. Attamen cum Alexandrinis unum carmen continuum admittendum esse ex eo solo iam satis apparet, quod omnibus modernis fatentibus illud olim alphabeticum fuerit, licet alphabetismus hodierni textus hebraici inde a. 9,20 disparuerit et solae ultimae alphabeti literae (9^{b},12 sqq.) iterum sint conservatae. Ceterum eam argumenti unitatem, quae in carmine requiritur, non deesse, analysis tradita docet.

tatur, ut divini vindicis magnalia praedicent (10-13). Miseriae tamen ex parte perdurantis recordatione adducitur, ut brevem auxilii petitionem inserat, antequam hanc partem nova laudatione Dei terminet, qui in hostes ipsos mala quae aliis inferre voluerunt convertens iustitiam suam manifestaverit (14-17).

Altera pars tota est precatoria. Rogans enim, ut Deus gentes (vicinas), a quibus non agnoscatur, coerceat (18-21), petitionem suam primum superbia eorum fulcit, qui suis viribus confisi Deum non curent (9ᵇ,1-4) ac deinde violentia qua illi contra Dei servos agere soleant (9ᵇ,5-8). Quia autem illi sibi persuaserint Deum suorum servorum curam non habere, eum ut exsurgat precatur (9ᵇ,9-12) ac se pauperum memorem esse oppressoribus eorum e terra eiectis ostendat (9ᵇ,13-16).

Demum totum augumentum duobus ultimis versibus quasi complexus exauditione priorum precum spem completae victoriae praeberi monet (9ᵇ, 17.18).

PSALM. 10. (11). — *Davidis animus firmus.*

Ad initia insidiarum saulicarum carmen recte referri videtur; cfr 1 *Reg.* 18,9 sqq.

David fiduciam suam non amittit, etiamsi amici eum exhortentur, ut fuga sibi consulat, quia omnia ad eum perdendum sint parata neque iusto spes auxilii reliqua sit (2-4); omniscio enim et iusto iudici confidit, qui innocentes tuiturus sit, peccatores coerciturus (5-8).

PSALM. 11. (12). *Solatium Davidis calumniis oppressi.*

Apud Saulem et apud Absalomem David calumniis oppugnabatur; hinc carminis origo incerta.

Mundum calumniatorum plenum esse sua experientia edoctus (2.3) Dominum precatur, ut viros illos superbos, qui linguae suae iudicem non agnoscant, disperdat (4.5.). Attamen voce Domini auxilium promittentis, cuius verba non fallunt, audita (6.7) ab impiae istius generationis superbia sibi nihil amplius timet (8.9).

PSALM. 12. (13). — *David a desperatione ad spem erectus.*

Ad ultimos Saulis annos carmen referre licet.

Eo enim tempore David perdiu iam in exsilio vagatus et ex ipsis deserti latebris deturbatus procul dubio interrogare potuit, quamdiu a Deo in hac miseria relinqueretur, in qua continuis curis cruciabatur et ab adversariis despiciebatur (2.3). At subito ad Deum confugiens, ut ab eo confortetur et adiuvetur (4.5) fiduciae iam plenus carmen, quod maestus incepit, iubilans terminat (*v.* 6).

PSALM. 13. (14). — *Querela Davidis de pravitate morum populi sui.*

Ad absalomicae rebellionis tempus, quo totus fere populus rege, qui divinitus ei datus erat, reiecto simul etiam Dominum ipsum quodam modo deseruisse ac negasse videbatur, carmen pertinere verisimile est (de origine vicini Ps. 52 cfr infra).

Atheismum igitur (practicum) una cum summa morum perversitate tam pervagatum in populo suo esse conqueritur, ut ne Deus quidem iustum amplius in eo inveniat (1-3)[1]; hinc indignabundus interrogans, annon corruptores populi sui tandem ad sanitatem mentis sint reversuri, quasi divinitus illustratus eos inexspectato terrore a Domino in medio iustorum semper habitante percelli videt (4-6), atque summo desiderio iam expetit, ut populo suo salus restituatur (*v.* 7).

Psalm. 14. (15). — *Cui contubernalem Dei fieri contingat.*

Quum carmen hoc nihil nisi amplificatio quaedam esse videatur *Ps.* 23,3.4, eidem occasioni, translationi scilicet arcae foederis (cfr 2 *Reg.* 4), illud attribuere licet.

Deum percontatus, cui in eius tabernaculo, i. e. sub eius protectione, degere contingat (*v.* 1), David sibi ipse respondet duabus strophis (2.3 et 4.5) vere iustum ita describens, ut in utraque prius virtutes iusto colendas, tum vitia absolute vitanda enumeret.

Psalm. 15 (16). — *Vaticinium Davidis de Messiae resurrectione.*

Carmen a Davide esse compositum testimoniis SS. Petri et Pauli constat (*Act.* 2,25 sqq.; 13,35); ex iisdem autem etiam elucet, saltem in ultimis eius versibus Davidem non sua ipsius sensa exprimere neque de se ipso loqui, sed quodammodo in ecstasin abreptum personam Messiae induisse et ex illius mente loqui; quoniam autem per totum carmen eadem semper persona loquitur, totum quoque messianicum dici oportet, ita ut eius origo ex Davidis historia explicari nequeat. Nobis igitur Psalmus hic est precatio Christi ante passionem Patrem, ut in passione sibi adsit, rogantis atque certa exspectatione quum passionis suae fructuum tum resurrectionis suae iam confortati. Praeter *vv.* 1, et 11 tres strophas aequales distinguimus; sequimur autem Vulgatam, omissis hebraicis varietatibus.

Protectione Patris, in quo spem suam ponit, implorata (*v.* 1)

1.) Messias passionis fructus in fidelibus considerat : Pater, licet Messiae bonis (meritis passionis) non indigeat, ad ea tamen respiciens desideria eius in sanctis (fidelibus vocatis) mirabiliter iam implere coepit, quum multis infirmitatibus (peccatis) suis depositis ad eum accurrant, quamvis ad cruenta, quae abominetur, sacrificia eos non convocaverit (2-4).

2.) Deinde ad fructum sibi ex passione provenientem transit : Patrem ipsum enim praeclaram suam hereditatem fore sibique gloriam (in exinanitione quasi depositam) redditurum esse glorians continuo se impelli ait, ut Patrem celebret, a quo hic fructus clare sibi sit manifestatus (5-7).

(1) Sententiae, quae v. 3. inde a *Sepulcrum patens* usque ad v. 4. leguntur, ex *Rom.* 3,13-18 in latinam Psalterii editionem parum apte esse transumta S. Hieronymus iam monuit.

3.) Quibus considerationibus iam confortatus Patrem sibi (in passione) adfuturum esse praevidens laetatur idque eo magis, quia etiam se mox resurrecturum confidit, quia animus suus apud inferos non remansurus neque corpus suum corruptionem visurum sit (8-10).

Itaque precationem terminat grato animo agnoscens viam passionis sibi a Patre tamquam viam vitae ac beatitudinis esse ostensam (*v.* 11).

Psalm. 16. (17). — *Oratio Davidis contra iniustos suos hostes.*

Saulis tempore et illo quidem in periculo, quod 1 *Reg.* 23,25 sqq. describitur, Psalmus exortus videtur.

Undique ab asseclis Saulis cinctus David precatione praemissa, ut verba sua exaudiantur, utpote viri iusti, cuius innocentia divino iudicio sit probata (1-4), Deum rogat, ut in eadem iustitiae via conservetur et ob suam fiduciam contra suos hostes, qui Dei quoque sint hostes, protegatur (5-8).

Eorum deinde perversitate et periculi, in quo versatur, gravitate adumbratis (9-12), Deo supplicat, ut exsurgens illos quidem de bonis, quibus abundanter fruantur, deturbet, sibi autem divinam gloriam manifestet (13-15).

Psalm. 17. (18). — *Davidis ultima gratiarum actio.*

Ultimum appellamus hunc Davidis hymnum, quia ab auctore 2 *Reg.* (23,1 sqq.) ultimo vaticinio eius messianico praemittitur et quia in eo gratias agit de Saule omnibusque hostibus devictis (*v.* 1). Sedecim stropharum trinorum versuum constans in duas partes aequales apte distribuitur, quum duo ultimi versus conclusionem ut ita dicam practicam, quae simul praeclarum est *vaticinium messianicum* (cfr *Rom.* 15,9), velut epilogum addant[1] »

In exordio intimum suum Domini, fortitudinis suae, amorem professus multis congestis divinis nominibus beneficia divinitus accepta recolit eaque carminis thema esse innuit (2-4).

In priore parte auxilium divinum celebrat, quo a Saulis insidiis liberatus est (5-25).

Ingens enim fuisse periculum seque in eo haud frustra Deum invocasse praefatus (5-7) praeprimis iudicium, quo Deus hostes eius fregit, magnifica imagine tempestatis atrocissimae a longinquo appropinquantis (8-10), tum furere incipientis (11-13), tandem omnia devastantis delineat (14-16). Huic autem descriptioni pulchre opponit, quomodo ipse ex inundatione exorta servatus (17-19) et in locum securum translatus sit propter suam iustitiam (20-22). Dominus enim, quia eius mandata semper servavit, par pari referens eum adiuvit (23-25).

(1) Recensionis psalmi, quae 2 *Reg.* 23 legitur, varietates praetermittere licet, qui a universum carminis sensum eiusque analysin non attingunt.

Transitum ad secundam partem facit monens eum Domini semper esse modum agendi, ut par pari referens erga homines agat, sicut illi erga ipsum (26-28).

In secunda parte hanc sententiam ex eo probat, quod non nisi a Deo adiutus hostes omnes suos vincere potuerit (29-49).

In genere quippe ab initio Dominum celebrans, qui vitam dignitatemque ipsius pro sua fidelitate servaverit (29-31), duabus strophis describit, qua ratione ad bellum gerendum divinitus sit instructus (32-34;35-37) et duabus aliis, qua ratione ita instructus et a Deo adiutus omnes suos hostes devicerit (38-40;41-43), ut una deinde stropha fructum victoriae fuisse quietum suum regnum glorietur (44-46) atque in ultima laudes Domini, a quo omnia bona accepit, grato animo praedicet (47-49).

Pro epilogo demum omnium beneficiorum consideratione quasi abreptus sese inter gentes quoque Dominum celebrare velle addit, a quo ipse cum semine suo benedictionem acceperit in aeternum duraturam (50.51).

Psalm. 18. (19). — *Laus duplicis revelationis divinae.*

Occasio carminis incerta est.

A coelorum pulchritudine ac solis maiestate, quae creatoris gloriam per totam terram continuo manifestent, celebrandis (2-7) David ad Legis divinae virtutes et utilitates, quas experientia ipse agnovit, praedicandas assurgit (8-12) transgressionumque suarum veniam et auxilium contra idololatrarum seductionem precatus desiderium suum exprimit, ut verba cogitataque sua Deo semper placeant (13-15).

Psalm. 19. (20). — *Populi precatio pro rege ad bellum profecturo.*

Ante ammoniticum bellum (cfr 2 *Reg.* 12,27 sqq.) David carmen composuisse creditur, forte ut inter sacrificia (cfr *v.* 4) ab alternis choris caneretur.

Unius quippe chori votum, ut Deus regem protegat (*v.* 2), alter distinctius persequitur (3-5),

atque priore de prospero belli eventu, velut iam obtento, iubilante petitionemque iterante (*v.* 6) alter huius fiduciae fundamentum explicat copiis, quibus hostes confidunt, auxilium Dei opponens (7-9);

prior autem chorus canticum petitione tertium repetita terminat (*v.* 10).

Psalm. 20.(21). — *Populi actio gratiarum post victoriam obtentam.*

A plerisque hic Psalmus hodie ita explicatur, ut David de victoria, quam in priore expetebat, in hoc gratias agat (cfr *v.* 3 cum *Ps.* 19,5.7, atque *vv.* 4.10 sq. cum 2 *Reg.* 12,30 sq.). Similis quoque eius structura recte dicitur.

Prior quippe chorus Deum ob desideria regis expleta celebrat

(2.3) et alter beneficia a Deo ei collata enucleatius enumerat (4-7);
tunc prior fiduciam regis esse causam victoriae declarans sperat fore, ut rex a Deo adiutus reliquos quoque hostes similiter devincat (8.9), et alter ad victoriam iam relatam alludens describit, quomodo Deus hostes reliquos tractaturus sit (10-13);
demum prior Dominum precatur, ut virtutem suam manifestet (*v.* 14).

Antiquiores Iudaei non minus quam SS. Patres et plerique interpretes cath. hunc Psalmum inter *messianicos* habuerunt, et recte quidem. Licet enim explicari de Davide possit et propter allusiones ad *Ps.* 19. et 2 *Reg.* 12. etiam debeat, nonnullae tamen locutiones (cfr *vv.* 5.7) ad Davidem non sine magna exaggeratione accommodantur. Quare eum eadem ratione, ac *Ps.* 8., ad Messiam referendum censemus; epinicium ergo a Davide in suam victoriam compositum eminente et perfecto suo sensu est carmen triumphale, quo Ecclesia de Messiae exaltatione et coronatione iubilat.

PSALM. 21. (22). — *Messiae in cruce pendentis precatio.*

Messiam esse personam in Psalmo loquentem ex *Matth.* 27,35. (43). 46; *Ioan.* 19,24; *Hebr.* 2,12 clare elucet. Similiter ergo ac in *Ps.* 15. David in ecstasin abreptus et Messiae patienti quasi unitus eius personam sustinuisse et ex eius animo hanc precationem fudisse dicendus est, qua eius dolores non minus quam fructus passionis eius tam aperte vaticinatur. Carmen praeter exordium sex strophas quinorum versuum habet, quae in tres partes aequales apte distribuuntur.

In exordio sese plane derelictum conquestus (*v.* 2) Messias
in prima parte (3-12) hanc derelictionem suam describit;
a.) a Deo quippe, quum preces suae ab eo, qui patrum preces semper exaudivit, non exaudiantur, iam repulsus videtur, ut velut vermis aestimetur (3-7),
b.) ab hominibus autem in sua miseria irridetur et ludibrio habetur; nihilominus in Deo ponit spem suam, quia non sit alius a quo iuvari possit (8-12).
In altera parte (13-22) ad crucifixionem suam describendam transgreditur
a.) atque primum quidem personas in scena agentes delineat, una ex parte hostes suos multos violentos, crudeles, petulantes, altera ex parte se ipsum solum viribusque plane exhaustum (13-17^{b}).
b.) deinde manus pedesque suos perforatos, corpus in cruce distentum, ipsas vestes inter hostes divisas depingens partem hanc, sicut priorem, precatione terminat (17^{c}-22) [1].

(1) Tertius stichus *v.* 17 (« foderunt manus meas et pedes meos ») omnino ad *v.* 18. trahamus oportet, nisi perversam lectionem massorethicam (« sicut leo manus meas et pedes meos » sc. circumdabit) stulte sequi velimus.

In tertia parte (23-32) demum querela et precatio in iubilum gratiarumque actionem transit. Mediis enim in tormentis suis Messias splendidos passionis fructus spectavit; hinc

a.) in priore stropha et se ipsum Deo laudes sacrificiaque oblaturum esse asserit atque omnes ad Deum celebrandum exhortatur (23-27),

b.) in altera autem rationes indicat actionis gratiarum : omnes gentes ad Dominum se convertent participesque fient benedictionum regni sui; ipse autem glorificabitur atque generatio nova, quae ex suo semine exorietur, iustitiam Dei in aeternum annuntiabit (28-32).

Psalm. 22. (23). — *Dominus bonus pastor et convivator liberalis.*

Quo tempore hostibus devictis pace et quiete fruebatur, David his versiculis Dominum benefactorem suum celebravit.

Eum quippe suum esse pastorem neque quidquam sibi deesse praefatus (*v.* 1) imaginem boni pastoris, per quem in pascua pinguia et ad puras aquas ducatur atque ab hostibus protegatur, prius excolit (2-4), altera autem imagine se a Domino ad splendidum convivium, quo semper in eius domo fruiturus sit, vocatum esse grato animo declarat (5.6).

Psalm. 23. (24). — *Dominus montem Sion sollemniter occupat.*

Carmen a Davide, ut in sollemni pompa, qua arca foederis in montem Sion transferebatur (cfr 1 *Reg.* 6,12 sqq.; 1 *Par.* 15.16.), a Levitis caneretur, compositum censetur, et propter illius dialogismum probabile est, illud alternis choris esse dictum.

A Domino tamquam possessore et creatore universi orbis celebrando exorsi (1.2) cantores ad montem, quem Dominus tam potens occupaturus sit, nemini ascendere licere declarant nisi puris iustisque eius cultoribus (3-6).

Appropinquantes deinde arcem sioniticam portas eius exhortantur, ut sese dilatent ad regem gloriae recipiendum, qui idem Dominus fortis, Dominus exercituum sit (7-10).

Psalm. 24. (25). — *Davidis poenitentis precatio.*

Probabiliter tempore rebellionis absalomicae David hoc carmine veniam peccati sui et auxilium contra inimicos suos imploravit. Psalmus est alphabeticus, eius sententiarum igitur nexus laxior.

Ab initio fiduciam suam protestatus et in genere precatus, ne coram inimicis suis confundatur (1-3), statim ut in recta via ducatur peccatorumque veniam obtineat, Deum rogat (4-7) idque propter eius bonitatem clementiamque quam celebrat (8-11).

Quia autem Deus clementiam suam erga iustos maxime manifestat (12-15), iterum peccatorum veniam implorat sua miseria et hostium iniquitate propositis (16-19) eademque precatione generali carmen terminat, qua illud inchoavit (20.21).

Ultima sententia (*v.* 22), qua divinum auxilium pro toto Israel petitur, extra alphabeti rationem est addita neque immerito pro additamento liturgico habetur.

PSALM. 25. (26). — *Davidis ab iniustis hostibus vexati precatio.*

Ad Saulis potius quam ad Absalomis tempus carmen referendum videtur, quia tanta cum vi David innocentiam suam omnimodam asseverat.

Iudicio enim divino magna cum fiducia invocato (*v.* 1) primum quidem ut severe in se inquirat Deum rogat, quia sibi conscius est, se et antea divinae Legi adhaesisse et a peccato se abstinuisse (2-5) et nunc innocentem esse, ita ut ad altare accedere valeat, quum semper cultum divinum dilexerit (6-8); deinde vero petit, ut Deus sententiam suam ferat contra iniustos suos hostes, ut ab eorum vexationibus liberatus deinceps eum in fidelium coetibus celebrare possit (9-12).

PSALM. 26. (27). — *Davidis mediis in periculis fortitudo.*

Ante (publicam) Davidis unctionem (*v.* 1; cfr 2 *Reg.* 2,4) compositum carmen ad 1 *Reg.* 21,1 sqq. apte refertur.

A Saule igitur fugiens, postquam se divinae protectioni tantopere fidere asseruit, ut ne summis quidem periculis terreatur (1-3), ardens suum desiderium semper prope sanctuarium commorandi exprimit, ut ibi ab hostibus securus Domino continuas laudis hostias offerre valeat (4-6). Unde sua sponte exoritur petitio, ne a Domino, quem semper quaesivit, derelinquatur (7-9), praesertim quum ab ipsis parentibus derelictus solum Dominum habeat protectorem contra iniquos ac mendaces suos inimicos (10-12).

Carmen autem terminat, sicut illud inchoavit, fiduciam suam asserens et se ipse ad fortitudinem exhortans (13.14).

PSALM. 27. (28). *Precatio et gratiarum actio.*

Ad absalomicam rebellionem forte pertinet.

Versus sanctuarium, a quo disiunctus est, manus attollens David, precatione ut exaudiatur praemissa (1.2), Deum ne se ipsum cum peccatoribus perire sinat, rogat, et ut iniustos inimicos iuxta talionis legem puniat (3-5); de exauditione autem sua certus statim in gratiarum actionem prorumpens Deum ob auxilium populo et sibi praestitum iam celebrat (6-8); carmen tamen nova precatione pro populo terminat (*v.* 9).

PSALM. 28. (29). — *Dei maiestas adoranda.*

Occasio Psalmi est incerta; inscriptio enim non est historica, sed liturgica (i. e. « in ultimo die festi tabernaculorum »).

Principes suos (fortasse post victoriam quandam) exhortatus, ut Dominum sacrificiis hymnisque celebrent et adorent (1.2), David maiestatem potentiamque divinam, quam tonitrua (ac fulgura) manifestant, magnifice depingit (3-9) Dominoque velut mundi

iudice Israelisque protectore laudato carmen terminat (10.11).

Psalm. 29. (30). — *Davidis actio gratiarum de fine pestis.*

Iuxta inscriptionem (*v.* 1) Psalmus ad loci futuro templo destinati consecrationem recte refertur (cfr ergo 2 *Reg.* 24).

Peste videlicet, quae ob regis superbiam populo immissa erat, finita David grato animo Dominum celebrat et ab aliis celebrari vult, quia suis precibus auditis per eum quasi a morte sit resuscitatus (2-5). Porro a Domino sortem hominis dependere praemonens refert, se ipsum, quum superbia elatus sibi ipsi confideret, e felici suo statu esse deiectum (6.8), postea vero, quum ad Dominum supplex recurrisset, eum iterum adiutorem habuisse (9-11) ab eoque planctum suum in laetitiam esse mutatum (12.13).

Psalm. 30. (31). — *Davidis in summo salutis discrimine fiducia summa.*

Carmen una cum *Ps.* 16. ad 1 *Reg.* 23,25 sqq. apte refertur.

A Saulis ergo copiis cinctus David fiduciae plenus ad Dominum protectorem suum refugiens (2-4) ab eius, in cuius manus se totum tradit, misericordia liberationem exspectat (5-9);

hinc eum descripta periculi sui gravitate (10-14) rogat, ut ipse liberetur destructis hostibus (15-19).

Subito autem, quasi preces suas exauditas iam esse videat, in divinae bonitatis laudes erumpens Dominum laudat, a quo sicut in civitate munita protectus sit (20-23) omnesque ad eius, qui suos adiuvet et superbos confundat, dilectionem et ad animi fortitudinem exhortatur (24.25).

Psalm. 31. (32). — *Beatus qui peccatorum veniam obtinuit.*

Post adulterii veniam impetratam (2 *Reg.* 12,13 sqq.) Psalmus scriptus recte censetur.

Hominem enim, cui peccata sint remissa, David beatum praedicat angoribus descriptis, quibus ipse in statu peccati fuerit exagitatus (1-4). Quia autem ipse aperta criminis confessione veniam obtinuit, desiderat, ut omnes pii (post lapsum) ad Dominum revertantur et a poenarum timore liberati secum in Deo laetentur (5-7). Itaque viam, quam post peccatum ingredi debeant, ostensurus eos exhortatur, ut non sicut bruta animalia, quae nonnisi flagellis coacta ad herum accedant, sed volentes atque misericordiae eius fidentes ad Dominum se convertant (8-11).

Psalm. 32. (33). — *Laus divinae potentiae et providentiae.*

Insignis alicuius victoriae occasione hymnum dictum multi putant.

Iustos enim, ut Dominum fidelem et benignum praedicent, exhortatus (1-5) David ab initio Domini creatoris potentiam, quae omnibus sit timenda, quia gentium consilia destruat (6-10), et fidelitatem adumbrat, qua populo suo electo et dilecto invigilet (11-15). Quoniam autem humanae opes nihil valeant, Dominus vero suos tueatur, ad eum, utpote ad protectorem suum, populo sem-

per esse recurrendum monet, ut in eo laetitiam inveniat (16-21); hymnum autem claudit misericordiam divinam implorans suamque fiduciam asserens (*v.* 22).

PSALM. 33. (34). — *Domini iustorum protectoris laudatio.*

Carminis occasio narratur 1 *Reg.* 21,10 sqq.; eius autem alphabetismo laxior sententiarum nexus debetur.

Praeter exordium, quo David alios ad Dominum secum laudandum invitat (2-4), duae adsunt partes.

In priore rationes, cur Dominus sit laudandus, exponit, precum videlicet suarum exauditionem (5-7) et specialem protectionem, quam iusti apud Dominum inveniunt (8-11);

in altera quis sit iustus docet (12-15), ut deinde iustitiam commendet illius fructibus poenas impietatis opponens (16-22).

PSALM. 34. (35). — *Davidis precatio contra iniustos hostes.*

Ad 1 *Reg.* 24,10-16 carmen referre licet; tres autem haud incongrue distinguuntur partes, quae singulae gratiarum actione promissa terminantur (*vv.* 9.10; 18; 27.28).

In prima David rogat, ut Dominus arreptis armis hostes dissipet et conterat in eosque mala convertat, quae aliis inferre velint (1-10);

in altera conqueritur, quod ab hostibus iniuste accusetur suaque amicitia subsannationibus et irrisionibus rependatur (11-18);

in tertia iterum Dominum vehementer precatur, ne permittat, ut ab hostibus suis iniustis et mendacibus vincatur (19-28).

PSALM. 35. (36). — *Iniustorum malitiam misericordia Dei erga iustos superat.*

Ad idem forte tempus cum *Ps.* 13, i. e. ad Absalomis rebellionem pertinet hoc carmen.

Summam quippe impiorum depingit malitiam, qui bene agere nolunt et a nullo peccato abhorrent (2-5); ex adverso autem misericordiam describit, et fidelitatem, qua Dominus iustos protegit et beatificat (6-10), eique supplicat, ut misericordiam semper in iustos extendat eosque a manibus impiorum protegat, qui cito sint interituri (11-13).

PSALM. 36. (37). — *Vana impiorum felicitas, vera iustorum prosperitas.*

Vicinum hoc carmen est praecedenti ac forte eidem tempori debetur; alphabeticum autem est multisque gnomis constat, quae certo ac definito ordine, ut videtur, non retento omnes variis modis illam repetunt, illustrant, inculcant sententiam, quae ab initio (1-4) proponitur, impiorum scilicet felicitatem, utpote vanam et perbrevem, non esse aemulandam, colendam autem esse virtutem, quam Deus vera prosperitate sit remuneraturus. Unde accurata eius dispositio (uti similiter *Ps.* 118) tradi nequit.

PSALM. 37. (38). — *Davidis poenitentis supplicatio.*

Iisdem quibus *Ps.* 6. verbis incipiens ad idem fere tempus pertinet.

Dominum precatus, ne iuxta rigorem iustitiae puniatur neve manu eius opprimatur (2.3), David se misericordia divina indigere ostendit gravitate dolorum descripta, quibus ob peccata quum corpore affligatur (4-8), tum animo, utpote a Deo amicisque derelictus et ab hostibus iniuste vexatus (9-13).

At dignus quoque est misericordiae, quia inimicis nihil respondens sed Domino confidens id unum desideret, ut illi de suo interitu iam vicino non gaudeant (14-18); peccata igitur confitens contra illorum iniustitiam auxilium divinum fidenter implorat (19-23).

PSALM. 38. (39). — *Davidis graviter afflicti deprecatio.*

Ad occasionem similem cum *Ps.* 12. carmen recte refertur, quia in utroque David a desperatione ad novam spem assurgit.

Consilio capto non murmurandi de impiorum felicitate David maiore dolore affectus est (2-4), ita ut quasi desperans mortem expeteret, de vitae humanae brevitate ac vanitate simul conquestus (5-7). At subito animum spe excitans remissionem peccatorum implorat et de inimicorum opprobriis non murmurat, quia id a Domino esse ordinatum cognovit (8-10); unde humiliter, ut a tribulationibus, quas utique meruerit, liberetur eum rogat se totum ab eo pendere profitens (11-14).

PSALM. 39. (40). — *Gratiarum actio et precatio.*

Ad Absalomis rebellionem, cuius tempore David multis gravibusque periculis expositus erat, carmen referri potest; duabus autem, similiter ac *Ps.* 9., partibus constat, gratiarum nimirum quadam actione et novi auxilii petitione [1].

Auxilio, quod sibi expetierat et exspectavit, feliciter obtento magno e periculo ereptus Dominum celebrat omnesque qui in eo confidunt beatos praedicat, quia Dominus suos semper beneficiis cumulet (2-6); ut autem ipse etiam opere gratias agat, sacrificia quidem, quae Dominus (nunc saltem ab eo fugitivo) non postulet, non offeret, at paratus ad illius faciendam voluntatem Legem illius implebit iustitiamque illius praedicabit (7-11).

Hinc etiam fidenter Dominum rogat, ut se ab aliis malis, quae innumeris peccatis sibi attraxit, eripiat hostesque suos confundat (12-16). Carmen demum terminat omnes pios ad Deum celebrandum exhortans sibique misero auxilium praesentissimum expetens (17.18).

Quoniam S. Paulus (*Hebr.* 10,5 sqq.) *vv.* 7-9 de Christo in mundum ingrediente interpretatus est, antiquiores plerique totum carmen *literali*

(1) Antiqui Iudaei, sicut in *Ps.* 9. probabiliter ob liturgicas rationes maiorem precationis partem, ac si completum esset carmen, separarunt (hebr. *Ps.* 10), ita huius quoque *Ps.* 39. precationem (*vv.* 14-18) ob similes rationes velut completum carmen in secundo Psalterii sui libro (*Ps.* 70. [69.]) repetierunt.

sensu de Messia explicant; quia autem totum aegerrime de eo solo intelligitur, recentiores illud *typice* de Messia interpretari malunt.

PSALM. 40. (41). — *David ab hominibus derelictus Domini auxilium implorat.*

Ad Absalomis iterum coniurationem Psalmus pertinet; *v.* 10 enim Achitophel (Iudae Iscariotae typus cfr *Ioan.* 13,18) designatur, qui Davidis consiliarius ad filium eius defecerat (cfr 2 *Reg.* 15,12;16,23), sed Absalome devicto se laqueo suspendit (l. c. 17,23).

A misericordia, quia misericordes in adversa fortuna misericordiam sint inventuri, praedicanda exorsus (2-4), David Dominum precatur, ut in calamitate, quam peccato suo in se attraxit, sibi adsit et pro ratione affert, quod interitus suus ab inimicis avide exspectetur (5-7) et quod non tantum ab inimicis sed etiam a pristino suo amico hostiliter tractetur (8-10). Quare vehementer auxilium Domini implorat, ut hostes suos punire possit et in throno iterum confirmatus se ei placere cognoscat (11-13).

Doxologia (*v.* 14) finem primi libri Psalterii indicat.

PSALM. 41.42. (42.43). — *Exsulis ardens invisendi sanctuarii desiderium.*

Tristicho ter repetito (41,6.12;42,5), argumento dictioneque aeque ac multorum codicum hebr. testimonio duos hos Psalmos primitus unum carmen fuisse apparet. Uni autem ex filiis Core debetur (41,1), qui probabiliter cum David tempore rebellionis absalomicae ex urbe expulsus quasi ex regis mente illud composuit. Tres strophae tristicho intercalato recte distinguuntur.

A sanctuario longe remotus poeta, quod coram Domino, ad quem suspirat, apparere sibi non liceat, amare deflet, sollemnium pomparum recordatus, quibus antea cum iubilo ad sanctuarium ascendit; at subito ad novam spem se ipse excitat (2-6).

Qua exhortatione aliquantulum confortatus se Domini etiam ex longinquo memorem esse promittens et, quamvis summa sit in tribulatione, meliorem sortem sperans ad precationem se convertit Deoque crudelitatem ac superbiam hostium suorum proponit, ut deinde iterum se ipsum ad fiduciam excitet (7-12).

Deum demum precatur, ut causam suam contra hostes agat sibique auxilium ferat, quo ad sanctuarium reductus eum denuo cum gaudio celebret atque carmen eadem exhortatione ac priores strophas terminat (42,1-5).

PSALM. 43. (44). — *Auxilium maioribus praestitum rex implorat.*

Ad illud tempus, quo Sennacherib multis iam regni Iuda civitatibus captis arma contra Ierusalem ferre intendit (cfr 4 *Reg.* 18.19; *Is.* 36.37) Psalmus omnino referendus videtur.

Magno illo in periculo unus ex Core posteris (et quidem ex mente, ut videtur, pii regis Ezechiae), postquam solum Deum

armis maiorum victorias dedisse professus est (2-5) spemque expressit se eodem cum auxilio hostes contriturum esse (6-9), ad praesentem conditionem oculos convertens conqueritur, quod populus a Deo derelictus gravissime per hostes opprimatur (10-13) et vicinis gentibus ludibrio sit factus (14-17), et id quidem quamvis a Deo non defecerit (18-22ª). Itaque quoniam propter Deum (cfr *4 Reg.* 18,29 sqq.; 19,10 sqq.) rex cum populo haec patiantur, eum rogat, ut exsurgens propter suum nomen populum salvet (22ᵇ-26).

Psalm. 44. (45). — *De Christi unione cum Ecclesia*[1].

Carmen esse messianicum ex *Hebr.* 1,8 constat; illud literali (utique figurato s. allegorico) sensu de Christo Deo-homine glorificato et de Ecclesia eius sponsa intelligendum esse ipsa verba produnt et unanimis Patrum plurimorumque catholicorum interpretum explicatio confirmat, qui ad summum concedunt, Salomonis filiaeque Pharaonis matrimonium ansam Coraitae auctori dedisse ad unionem Christi et Ecclesiae epithalamio allegorico celebrandam. Praeter exordium quatuor habemus strophas aequales, quae duas in partes distribui possunt.

Exordio sollemni praemisso, quo carmen suum divinitus inspiratum regi dedicat (*v.* 2),

priore in parte (3-10) vates regem sponsum celebrat,

a.) et primum quidem ob singularem eius pulchritudinem gratiamque (spiritualem), qua a Deo glorificari meruit, atque ob fortitudinem, quam poetice describit eum invitans, ut coelestibus armis indutus ad veritatem iustitiamque stabiliendam contra hostes progrediatur, eique plenam populorum subiectionem hostiumque cladem praedicens (3-6),

b.) deinde vero eum diserte Deum appellans ob thronum aeternum, quem occupat, sceptrum iustissimum, quod gerit, ob laetitiam gloriamque ineffabilem, quam sibi meruit, ac praesertim ob gentium (filiarum regum), quae sese ei subiicient, multitudinem, quam sibi velut reginam pulcherrimam desponsat (7-10).

Secunda in parte (11-18) vates sponsam fecundamque eius unionem cum rege celebrat.

a.) Quasi paranymphus enim sponsam ad sponsum adducturus admonet eam, ut eorum quae antea amavit oblita se totam regi tradat, quippe qui idem sit eius Deus, quem omnes adorent; tunc enim regem eam dilecturum et potentissimas gentes eius favorem quaesituras esse; totam autem eius

(1) Psalmi argumentum idem fere est quod Cantici Canticorum atque idem quoque in utroque dicendi genus allegoricum; unde facile intelligitur, cur in multis sublimis huius Psalmi sententiis explicandis etiam catholici interpretes inter se dissentiant.

magnificentiam in interiore palatio (coram rege) esse appariturum (11-15ª).

b.) Neque tamen solam reginam sed cum ea proximas eius (i. e. gentes iam conversas) ad regem adducit eique numerosam praedicit posteritatem ex hac unione oriundam, quae in tota terra regnatura et cum omnibus populis in aeternum eum celebratura sit (15ᵇ-18).

Psalm. 45.46.47. (46.47.48). — *Deus protector populi sui.*

Tria haec carmina eodem titulo complectimur, quia simile est argumentum, quod tractant, et eadem occasione ab eodem Coraita composita videntur; ad cladem enim, quam Deus hostibus contra regem Iosaphat foederatis miraculose inflixit (cfr 2 *Par*. 20,1-30) quamque filii Core carminibus suis exornarunt (l. c. 20,19), recte referuntur. Eo autem ordine, quo in Psalterio sunt disposita, illa exorta censemus, quia *Ps*. 45. ad precationem regis et vaticinium prophetae Iahaziel (l. c. 20,6 sqq. 14 sqq.), *Ps*. 46 ad regis exhortationem primumque mirabilis stragis conspectum (l. c. 20,20.24.), *Ps*. 47. ad sollemnem exercitus redeuntis triumphum (l. c. 20,27 sq.) respicere iure merito dicuntur.

Psalm. 45. — tres strophas versu intercalari (*vv*. 8.12 qui probabiliter olim etiam inter *vv*. 4.5. legebatur) distinguere licet.

Precatione igitur regis Iosaphat et vaticinio prophetae auditis poeta *primum* in genere commemorat, Deum in praeteritis tribulationibus populo semper adfuisse, ita ut nihil ei nunc sit timendum, etsi periculum videatur maximum (2-4); *deinde* quasi causam securitatis huius declaraturus monet, Deum medio in populo habitare et ex suo sanctuario sola voce sua gentes ac totam terram subito conturbare (5-8); *demum* contribules suos invitat, ut mirabilia illa considerent, quibus Deus confractis hostium armis bella ex terra ablegavit, et hostes exhortatur, ut a bellis cessantes verum Deum, protectorem populi sui, agnoscant (9-12).

Psalm. 46. — duabus strophis additoque epiphonemate divinam, quam inexspectata hostium strages manifestavit, maiestatem praedicat.

Ingentem enim hostium stragem contemplatus vates gentes invitat, ut Dominum cum iubilo celebrent, qui dilecti populi sui hereditatem hostibus deletis confirmavit (2-5), atque Deum velut triumphatorem in coelum revertentem conspiciens eas iterum ad iubilum excitat, quia idem in eas quoque sanctum suum dominium sit exerciturus (6-9); iam enim gentium principes cum Deo Abraham reconciliatos videt (*v*. 10).

Cum Patribus multi carmen ascensionem Christi celebrare tenent, idque recte, si non tam literali ac proximo, quam remotiore et eminente sensu explicatur.

Psalm. 47. — Dominum celebrat, quia mirabili strage hostibus inflicta sese Sionis fundatorem ac perpetuum protectorem probavit.

Ierosolymam, quam hostes destruere voluerant, cum victoribus reversus poeta Deum praedicat, qui civitatem suam cum universae terrae exsultatione quasi denuo fundaverit (2.3); eius enim protectorem se probavit, quum reges contra eam coniuratos conturbans et subito conterens se eam in aeternum fundasse manifestaret (4-9). Hanc ob causam eius incolae in templo misericordiam Dei laudant, qui nomen suum per totam terram glorificavit iustoque iudicio Sionem laetificavit; atque intactam esse civitatem videntes id Deo aeterno regi suo deberi posteris narrabunt (10-15).

Psalm. 48. (49). — *Impiorum prosperitas vana est.*

Psalmi huius coraitici idem fere est argumentum ac davidici *Ps.* 36. et asaphici *Ps.* 72.

Invitatione praemissa, ut omnes ad suam doctrinam attendant (2-5), poeta duabus strophis aequalibus, quae eodem versu intercalari terminantur (6-13; 14-21), homini iusto ab oppressoribus divitibus nihil esse timendum docet, quia impiorum opes ac potentia vanae sint et morte desiturae, ipsique post mortem in aeternum sint passuri, pio autem post mortem spes reliqua sit (cfr *vv.* 9. 15 sq. 20.).

Psalm. 49. (50). — *Quomodo Deus sit colendus.*

Asapho auctori carmen attribuitur ac probabiliter davidica iam aetate compositum est.

In exordio poeta Deum simili modo, quo olim ad Legem dandam in monte Sinai apparuit, in monte Sion apparentem facit, ut Legem suam explicet iudiciumque de eius violatoribus agat (1-6).

Duas autem peccatorum classes Deus arguit, eorum nimirum, qui totam suam spem in externis sacrificiis, ac si Deus iis indigeret, ponentes internum sacrificium laudis et subiectionis non curant (7-15),

eorumque, qui Legem divinumque foedus semper in ore gerentes Legem opere non implent (16-21),

et utrisque, nisi corrigantur, gravissimam poenam praedicens salutem non inveniri monet, nisi ab iis qui interna laudis et obedientiae sacrificia offerant (22.23).

Psalm. 50. (51). — *David criminum suorum remissionem precatur.*

Divinitus per Nathan prophetam de criminibus suis increpatus (*vv.* 1. 2 cfr 2 *Reg.* 12) David humiliter respondit : « Domino peccavi » atque hoc verbum in nostro Psalmo quasi amplificat.

Ad Domini enim misericordiam appellans veniam peccatorum rogat, utque eam obtineat, sinceram suam peccati agnitionem et confessionem, debilitatem suam ex originali peccato exortam, desiderium suum, ut divinae promissiones sibi datae impleantur, Deo proponit (3-8).

Quibus motivis nixus precatur, ut crimina sua plane deleantur sibique pristina laetitia et pax animi restituatur (9-14),

atque se in gratiarum actionem alios peccatores divinis iudiciis

annuntiatis ad Deum adducturum eique continuum laudis ac subiectionis sacrificium oblaturum esse promittit (15-19).

Ultima precatio (20. 21) tempore exsilii a sacro poeta addita videtur, ut carmen privatum publico exsulum usui liturgico adaptaretur.

PSALM. 51. (52). — *Peccatoris de suo crimine gloriantis interitus.*

Carminis occasio, si ulla est fides inscriptioni (1. 2), ex 1 *Reg.* 21,8 et 22,9-23 definiatur oportet.

Doeg Idumaeum igitur de sua sacerdotum delatione et occisione gloriantem David vehementer increpat descriptaque criminum eius malitia completum interitum ei praenuntiat (3-7); ad poenam autem eius aggravandam iustos interitui iactatoris irrisuros esse addit atque proditori, cuius ipsae radices evellentur, se ipsum opponit, qui, quamvis sit proditus, velut oliva frugifera in domo Dei prosperaturus sit (8-11).

PSALM. 52. (53). — *Regni Iuda hostes ob suam impietatem puniti.*

Ad Ezechiae regis tempus, quando Sennacherib regis Assyriae, qui Domini potentiam negare ausus erat, exercitus una nocte per angelum destructus est (4 *Reg.* 18. 19; *Is.* 36. 37), Psalmus recte refertur. Neque tamen plane novus est; sed poeta carmen illud, quo David de Absalomis eiusque asseclarum impietate conquestus erat (*Ps.* 13), uno versu (*Ps.* 13, 6) omisso, aliaque sententia eius in locum inserta (*Ps.* 52,6[b]) ita mutavit, ut nunc iam *prior* stropha de Assyriorum impietate (1-4), *altera* de subita clade eis inflicta agat, qua nimirum eo ipso tempore, quo nihil sibi timendum esse putarant, fugere coacti sint (5. 6), *epilogus* completam assyriacae invasionis cessationem expetat (*v.* 7).

Davidi auctori carmen ab inscriptione attribuitur, quia uno illo versu excepto totum illius est.

PSALM. 53. (54). *Davidis proditi precatio.*

Iuxta inscriptionem (1. 2) occasio carminis legitur 1 *Reg.* 23,19 vel 26,1.

David a Ziphaeis Sauli proditus Deum rogat, ut causam suam contra alienigenas cum inimico suo confoederatos agat (3-5) et exauditionis certus interitum inimicorum simul petit et Deo de obtento auxilio se gratias acturum esse promittit (6-9).

PSALM. 54. (55). — *Precatio Davidis ab inimicis et perfido amico conturbati.*

Carmen eadem occasione cum *Ps.* 40. exortum est; clare enim *vv.* 13-15.22. Achitophel designatur (cfr *Ps.* 40,10).

Antequam Absalome appropinquante ex civitate seditiosa fugeret, David commoto animo precum suarum exauditionem petens tribulationem ab iniquis inimicis sibi excitatam describit, a qua quam citissime in deserto requiem quaerere desideret (2-8);

sese autem ex illo periculo ereptum iri confidens Deum rogat, ut hostes perdat, qui totam civitatem perturbarunt et inter quos unus ex suis amicis primas partes agat (9-15).

Quibus iterum interitum precatus se exauditis suis precibus servatum iri sperat, quia Deus peccatores illos, qui eum non timent eiusque foedere violato amicitiam simulant, non humiliare non potest (16-22), atque se ipsum ad fiduciam excitans certus de eorum interitu carmen terminat (23. 24).

PSALM. 55. (56). — *Davidis fiducia.*

Ad idem tempus cum *Ps.* 33 (cfr 1 *Reg.* 21,10 sqq.) inscriptio carmen apte refert (*v.* 1).

Summo in vitae discrimine David *in prima stropha*, divina misericordia contra inimicorum suorum multitudinem invocata, persuasionem suam asserit, sibi utpote divina promissione confidenti homines nocere non posse (2-5);

in altera deinde (in cuius fine versus intercalaris 5. 11. supplendus videtur) ob malitiam inimicorum, qui omnia ad suum ipsius interitum adhibeant, Deum rogat, ut eos confringat (6-8);

in tertia autem preces suas a Deo iuxta eius promissionem exauditum iri pro certo habens denuo fiduciam suam asserit (9-11)

et *in epilogo* se ideo laudis subiectionisque sacrificia Deo oblaturum promittit (12.13).

PSALM. 56. (57). — *Animus quietus Davidis in periculo.*

Utrum ad 1 *Reg.* 22,1 sqq. an ad 24,1 sqq., in quibus de simili periculo agitur, Psalmus sua inscriptione (*v.* 1) referatur, parum interest; duae strophae versu intercalari (6. 12) distinguuntur.

In priore David, misericordiae divinae, quam sibi non defuturam praeteritis beneficiis edoctus sperat, imploratione praemissa, auxilium petitum quieto animo exspectat contra hostium perversitatem manifestationem divinae gloriae expetens (2-6);

in altera hostium insidiis suam fiduciam opponens se ipsum ad Dei laudes canendas excitat, quasi divinae misericordiae et gloriae manifestationem iam videat (7-12).

PSALM. 57. (58). — *David iniustitiam adversariorum increpat.*

Alii ad Saulis, alii ad Absalomis tempus Psalmum referunt.

Ab accusatorum et iudicum suorum, qui contra ipsum semper inique agant et a pueris peccato dediti serpentum in modum iusto insidientur, iniustitia carpenda exorsus (2-6) David gravissimam poenam eis minatur, qua Deus eos sit contriturus cum gaudio iustorum, qui Deum visuri sint iustum iudicem (7-12).

PSALM. 58. (59). — *Davidis ab inimicis circumdati precatio.*

Inscriptio (*v.* 1) Psalmum ad initia saulicae vexationis (cfr 1 *Reg.* 19, 11) apte, ni fallor, refert.

David quum eius domus a Saulis ministris undique cincta esset, multis precibus Deum obsecrat, ut se a saevis illis satellitibus tueatur, a quibus quamvis innocens sit tam avide quaeratur (2-6);

postquam deinde illos descripsit velut homines, qui canibus si-

miles civitatem nocte pervagantes ipsum calumnientur, fiduciamque expressit, illos a Deo protectore suo coercitum iri (7-10),

eum rogat, ut illos non tam (subita) morte puniat, quam dispergat et humiliet eoque adducat, ut Deum esse dominatorem Israelis et terrae universae cognoscant (11-14)

atque canes istos praedam suam non esse capturos confisus fortitudinem Dei protectoris sui laudibus exornat (15-18).

PSALM. 59. (60). — *Davidis precatio post cladem (ab Idumaeis) acceptam.*

Iuxta inscriptionem (1. 2) carmen tempore intermedio inter duo bella aramaica (cfr 2 *Reg.* 8,3 sqq.; 10,7 sqq.) scriptum recte dicitur.

Priore quippe saeviente, Idumaei terram ab exercitu vacuam invadentes magnam stragem populi videntur fecisse atque ad eam, antequam Ioab Idumaeos in valle Salinarum castigavit, respiciens David conqueritur, quod Deus eo ipso tempore, quo victoria de Aramaeis data sese populo propitium exhibebat, eundem repulerit et tam dure tractare permiserit (3-6);

deinde ut Deum ad misericordiam flectat, ad eius promissionem quasi appellat, qua sibi non tantum tota Palaestina sed vicinarum quoque gentium terrae attributae sint (7-10),

atque in eo solo, quamvis populum ad tempus repulisse videatur, spem suam ponens eius auxilium implorat (11-14).

PSALM. 60. (61). — *Davidis precatio ante reditum in civitatem.*

Ad illud tempus, quod David, rebellione Absalomis iam devicta, in terra transiordanica peregit, carmen pertinere iure asseritur.

Precum enim suarum exauditione a Deo petita, qui prioribus quoque, quas a sanctuario remotus velut a finibus terrae effudit, exauditis sibi factus sit turris fortitudinis, desiderium exprimit in tabernaculo Dei in aeternum commorandi (2-5),

et quoniam nunc hereditas sibi iuxta suam petitionem iam sit restituta, rogat ut Deus etiam vitam suam in aeternum proroget, continuasque gratiarum actiones promittit (6-9).

Procul dubio David *vv.* 7. 8. ad aeternum thronum sibi promissum (2 *Reg.* 7,13) alludit; ceterum verba eius ita sunt comparata, ut totum carmen, saltem remotiore et eminente suo sensu, ad Messiam cum multis Patribus recte referamus, ita ut velut precatio quaedam sit Christi resuscitati ante eius ascensionem.

PSALM. 61. (62). — *In Deo solo fiducia ponenda est.*

Incertum est, num ad Saulis potius quam ad Absalomis tempus Psalmus pertineat.

Totum se David in manus Dei protectoris sui tradit, tot inimicis eius vitae ac dignitati insidiantibus (2-5); ab eo enim se adiutum iri confidit suosque exhortatur, ut ad eum confugiant (6-9), ab hominum autem malis artibus et divitiis nihil exspectent, quia Deo soli est potestas ac voluntas adiuvandi (10-13).

Psalm. 62. (63). — *Davidis fugientis precatio matutina.*

Ad eandem occasionem cum Ps. 3. et 5., videlicet ad primam fugae noctem in deserto quiete peractam, carmen referre licet.

Summo mane evigilans ad Deum suum animo et corpore David medio in deserto sitit, sicut eum antea in sanctuario quaesivit, eiusque misericordiam vita ipsa esse meliorem sciens eum laudibus celebrat (2-4). Eadem ratione eum semper, utpote optimis eius donis ditatus, celebrare vult eiusque continuo memoriam retinere, quia suus sit adiutor, a quo, si ei adhaereat, non deseratur (5-9); adversarios igitur frustra insidiari suae vitae plenus fiduciae addit, illos enim esse perituros, se autem Deum cum omnibus eius fidelibus servis esse praedicaturum (10-12).

Psalm. 63. (64). — *Contra calumniatores.*

Cum Ps. 11. et 57., qui etiam de calumniatoribus agunt, carmen non minus apte ad Saulis quam ad Absalomis tempus referri potest.

A divino auxilio contra calumniatorum multitudinem implorando, exorsus, qui linguas suas acuant, sagittas in occulto in iustum mittant, laqueos ei tendant, quos a nullo detegi putent (2-6), David statim ipsum auxilium velut iam obtentum describit; quando enim calumniatores consilia sua callide excogitata superbientes exsecutioni mandant, tunc Deus exaltabitur et arma eorum infirma velut parvulorum sagittas reddet, ita ut omnes id videntes stupeant atque iusti in Domino laetentur (7-11).

Psalm. 64. (65). — *Dei benignitas et potestas praedicanda.*

Non est, cur carmen Davidi, cui inscribitur, auctori deberi negemus (altera quippe inscriptio iunioris est originis); qua autem occasione et quem in finem sit compositum, ignoramus.

Gratiarum actioni de praeteritis beneficiis novorum petitionem continuo intermiscens poeta a principio Deum in Sione laudes mereri profitetur precationisque exauditionem petit (2-3), ac statim ad misericordiam Dei peccata remittentis suosque in sanctuario multis donis ditantis celebrandam transit novam precationem addens (4-6); postquam deinde potestatem descripsit, qua Deus montes fundavit, maris fluctus regit, populos mirabilibus suis terret, terram fertilem reddit (7-10), eum rogat, ut nunc quoque terram aquis irriget annumque fecundum praestet, de quo omnes gratias sint acturi (11-14).

Psalm. 65. (66). — *Gratiarum actio de populi liberatione.*

A quo et qua occasione Psalmus sit compositus, non constat; admitti tamen potest, regem Ezechiam post invasionem assyriacam divinitus repulsam hoc carmine nomine suo populique Domino gratias egisse.

Postquam ab initio universam terram ad Dei laudes celebrandas invitavit, qui terribilibus suis operibus hostes ad invitam subiectionem coegit (1-4),

praeprimis pristina Dei magnalia commemorat, quibus populum per mare rubrum et per Iordanem traducens se eius protectorem contra hostes esse manifestavit (5-7), atque denuo gentes ad Deum celebrandum exhortans se populumque ex gravissima tribulatione a Deo liberatum esse grato animo profitetur (8-12);

quapropter nunc ei sacrificia, quae tempore tribulationis vovit, oblaturus (13-15) iustis convocatis preces suas, quia puro corde effusae erant, statim exauditas esse annuntiat Deumque simul ob misericordiae suae manifestationem praedicat (16-20).

PSALM. 66. (67). — *Gentium ad Deum conversio expetitur.*

Versiculos Davidi auctori cum Vulg. attribui nihil vetat; ex *v.* 7ª forte concludere licet, illos festo primitiarum (pentecostes) destinatos fuisse.

Tantam divinae gratiae manifestationem populo suo precatus, ut gentes quoque in Deo esse salutem cognoscant (2.3), vates ardenter exoptat, ut omnes populi Deum Dominum celebrent in eoque tamquam iusto suo iudice et rege laetentur (4-6), gratoque animo datam messem commemorans veram benedictionem pro Israele et universa terra implorat (7.8).

PSALM. 67. (68). — *Canticum triumphale.*

Sublimissimum hunc hymnum, qui Davidi auctori debetur (*v.* 1), una cum *Ps.* 19.20. ad victoriam de Ammonitis reportatam (cf 2 *Reg.* 12,27 sqq.) referimus et occasione sollemnis pompae, qua victor exercitus arcam foederis ex castris (l. c. 11,11) in montem Sion reduxit, compositum esse censemus.

Hymnum esse messianicum ex *Eph.* 4,8 sqq. constat, ubi S. Paulus *v.* 19. de Christi ascensione explicat; at eum simili modo, quo *Ps.* 46., eminente vel forte etiam typico potius quam literali suo sensu de hoc mysterio agere, cum plerisque recentioribus concedimus.

Sex distinguere licet strophas.

a.) Moysi verbis (*Num.* 10,35) poeta Deum (supra arcam inter Cherubim residentem) invitat, ut exsurgens iter ingrediatur, hostium terror et laetitia iustorum, Levitasque cantibus illum laudare iubet, qui in sanctuario suo adiutor sit pauperum populi sui ipsosque hostes ad se adducat (2-7);

b.) Atque statim ipse eum celebrat magnis miraculis, quibus Israelem in deserto gubernarit et protexerit, multisque victoriis commemoratis, quas ei sub Iudicibus concesserit (8-13);

c.) unde ad felicitatem venit, qua nunc suo quisque in agro sorte acquisito degentes et divitem praedam accipientes fruantur, et ad singularem praerogativam eis concessam, quod Deus montem Sion prae aliis velut sedem potentiae suae elegerit, in quam cum hostibus captis et donis hostium (utique ad ea distribuenda) acceptis reverti soleat (14-19).

d.) Doxologia quadam deinde, qua Deus benedicitur eo quod po-

pulum suum semper ex omnibus periculis eripit hostesque eius destruit, inserta (20-24),

e.) poeta ipsam pompam describit : Multitudine quippe ingressum Dei regis sui spectante, arcam praecedunt principes, sequuntur cantores cum tympanistriis Deum celebrantes, agmen claudunt tribus omnes meridionales et septemtrionales. Quae admirans vates Deum rogat, ut opus inceptum confirmans gentium quoque reges ad sanctuarium adducat (25-30),

f.) atque precationem continuans exoptat, ut Deus Aegyptum aliaque regna hostilia poenis ad subiectionem cogat, gentesque omnes exhortatus, ut Dominum in sedem suam revertentem glorificent, hymnum terminat Deum benedicens, qui in sanctuario suo mirabiliter virtutem suam manifestat (31-36).

Psalm. 68. (69). — *Davidis gravissime vexati querela et precatio.*

Carmen a Davide compositum est (*v.* 1 cfr *Rom.* 11,9), sed a iuniore sacro poeta ultimis versibus (35-37) adiectis publico reducum usui post exsilium adaptatum videtur. Utrum David saulicas insidias solas respiciat, an potius in universum hominis iusti ob iustitiam vexati tormenta ita describat, ut ad ea quae ipse per totam vitam perpessus est continuo attendat, incertum est; certum autem est, S. Spiritum calamo scribentis ita esse moderatum, ut quae figurato sensu de se ipso dixit, literali iis respondeant, quae Christus passurus erat. Unde Psalmus, quum in iusto κατ' ἐξοχήν plenum et perfectum suum sensum consequatur, inter messianicos est referendus, licet proxime de Davide vel de iusto homine quocumque iniuste vexato aliquatenus explicari possit; velut messianicum autem eum etiam a Christo ipso (*Ioan.* 15,25) eiusque Apostolis Petro (*Act.* 1,20), Ioanne (*Ioan.* 2,17 et 19,28), Paulo (*Rom.* 11,9; 15,3 adhibitum esse nemo ignorat.

Deficiente, ut videtur, accurata aequalium stropharum ratione praeter conclusionem duas partes distinguimus, in quarum priore praevalet querela, in altera autem precatio.

a.) Brevi imploratione praemissa vates conqueritur, quod in tribulationum mare demersus frustra in auxilio contra multos et potentes inimicos petendo se defatiget, quamvis sua innocentia Deo sit nota (2-6), et exoptat ne sua sorte alii iusti turbentur, quum propter Deum et propter zelum domus eius ac pietatem suam a proximis sit derelictus, opprobriis oneratus et ludibrio habitus (7-13).

b.) Porro ad precationem se convertens rogat primum, ut ex tribulationum abysso cito eripiatur et ad misericordiam Dei appellans ei omnimodam suam derelictionem gravitatemque ac varietatem tormentorum suorum proponit (14-22), ac deinde iustam Dei poenam in caput inimicorum detestatur (23-29).

c.) In conclusione demum exauditionem praesentiens Deo gratiarum actionem promittit ob auxilium praestitum, de quo omnes pau-

peres sint gavisuri (30-34); quae conclusio a iuniore scriptore inspirato exsulibus adaptata est (35-37).

PSALM. 69. (70). — *Auxilii divini petitio.*

Carmen est ultimae partis *Ps.* 39. (*vv.* 15-18) repetitio cum invocatione (*v.* 2) praemissa (cfr *p.* 142).

PSALM. 70. (71). — *Davidis senescentis precatio fiduciae plena.*

Psalmum Davidi cum Vulg. attribuimus et ad Sebae rebellionem (cfr 2 *Reg.* 20,1 sqq.) referimus, quae regi senescenti gravem creavit tribulationem (l. c. *v.* 6).

A fiduciae professione (eadem qua *Ps.* 30,2-4) exorsus Deum, quippe quem a puero semper habuerit protectorem, rogat, ut ex impii hostis manu eripiatur (1-6); ex tot enim periculis iam servatus, ut id multis portento simile videatur, se nunc senem ab eo non derelictum iri confidit, licet suus interitus ab inimicis vicinus putetur (7-12).

Itaque a Deo petit, ut hostes potius confundantur, ipse vero novas laudes prioribus addat et senex potentiam futuris generationibus annuntiet (13-18); similiter se iustitiam Dei, per quam semper servatus sit, celebraturum promittit, quamprimum inimici repulsi fuerint (19-24).

PSALM. 71. (72). — *De Messiae regno glorioso.*

A Salomone in Messiam (non vero in Salomonem a Davide) Psalmum esse compositum, plerique catholici recte censent; neque enim salomonico regno congruit descriptio, atque ipsi antiqui Iudaei non minus quam Patres regem, de quo agitur, Messiam esse tenuerunt. Tres strophae cum brevi epilogo distingui possunt; doxologia autem (*vv.* 18.19) una cum *v.* 20. ad carmen non pertinent, sed clausulam secundi libri Psalterii constituunt.

a.) Sub precationis figura poeta Deum iudicia sua (i. e. iudiciariam regiamque suam potestatem) Messiae traditurum esse vaticinatus iustitiam pacemque regni (messianici) adumbrat illudque semper esse duraturum annuntiat (2-5);

b.) adventum deinde regis beneficum fore secumque iustitiam felicitatemque allaturum repetens regnum eius in totam terram sese extensurum esse praedicit, atque longinquas quoque nationes cum omnibus regibus se ei subiecturas (6-11);

c.) rationes vero huius liberae subiectionis significat esse regis iustitiam ac misericordiam erga pauperes una cum omnimoda regni felicitate (12-16).

d.) Epilogo demum regni felicitas, aeterna duratio, universalis extensio comprehenduntur (*v.* 17).

PSALM. 72. (73). — *Impiorum felicitas vana.*

Carminis huius ab Asaph, cantore Davidis, compositi idem fere est argumentum, quod *Ps.* 36. et 48., diversa tamen forma, quum duabus

eius partibus poeta ostendat, quomodo impiorum felicitate conspecta ad pietatem abiiciendam tentatus tentationem fine eorum considerato vicerit.

In priore quippe parte Asaph Deum erga pios vere bonum esse praefatus felicitatem apparentem impiorum describit, quae tanta sit, ut non tantum ipsi superbiant, sed pii quoque eam videntes de divina providentia dubitare possint (1-14).

In altera porro se hanc dubitationem utpote illicitam reiecisse dicit, et quum per se hanc quaestionem solvere non posset, a Deo illustratum cognovisse, eorum prosperitatem fallacem esse et cito transituram, se igitur stultum fuisse quum illam admiraretur; unde cum Deo semper manere proponit, quia impii peribunt, Deo autem adhaerere bonum est (15-28).

Psalm. 73. (74). — *Pii Israelitae templum destructum lugentis precatio.*

Ab uno ex Asaphi, cantoris davidici, posteris brevi postquam Nabuchodonosor templum delevit, Psalmus probabiliter est compositus.

Deum precatus, ut gregis sui iterum memor manum suam in eius hostes intentet (1-3), insolentiam atrocitatemque depingit, qua templum vastarint et incenderint (4-8),

ac deinde de populi derelictione conquestus (9-11) Deum, aeternum eius regem, qui potentiam suam miraculis in exitu ex Aegypto patratis et in creationis operibus manifestavit (12-17) multis precibus obtestatur, ut suorum foederisque cum eis pacti recordatus suam ipsius causam agat crescentemque hostium superbiam retundat (18-23).

Psalm. 74. (75). — *Deus iudex hostium populi sui.*

Ab alio ex Asaphi posteris, qui Ezechiae tempore vixit, carmen hoc occasione assyriacae invasionis, postquam Isaias Deum Assyrios destructurum esse annuntiavit (cfr 4 *Reg.* 19,20 sqq.; *Is.* 37,21 sqq.), compositum censemus.

Deo laudes pollicitus (*v.* 2) eius oraculo, quo se suo tempore iudicem venturum ordinemque turbatum restabiliturum promulgat, praemisso (3.4), poeta (quasi ex mente Israelis) hostes monet, ut ab iniquis et superbis conatibus suis desistant, quia Deus utpote solus iudex mox eos sit humiliaturus calicemque irae suae eis propinaturus (5-9), atque carmen terminat iterum Deo laudes promittens, at se quoque peccatorum potentiam cum piorum gaudio confracturum denuntians (10.11).

Psalm. 75. (76). — *Dei laudes post victoriam reportatam.*

Simili modo, quo *Ps.* 19. et 20. aut etiam *Ps.* 45.46.47. inter se sunt connexi, hic quoque cum praecedente arcte cohaeret, quum illam victoriam de Assyriis celebret, quam praecedens praedixit.

Magnum Dei in Sion habitantis nomen praedicans (2.3) vates clademibi (ante Ierusalem portas Assyriis) inflictam (4-7) terribilisque

illius iudicii fructus, populi pacem et gloriam Dei, adumbrat (8-11) et exhortatione ad gratias Deo agendas epinicion terminat (12.13).

PSALM. 76. (77). — *Solatium ex magnalium Dei memoria.*

Quando asaphicus hic Psalmus sit exortus, definiri nequit; gravi tamen et diutinae calamitati populi eum originem debere certum est.

Nam ab initio sacer poeta refert, se antea in suis tribulationibus semper apud Deum solatium invenisse (2-4ª), nunc vero se tanta calamitate esse oppressum, ut nihil consolationis inveniens iam dubitet, annon Deus populum suum plane reiecerit misericordiamque ei denegaturus sit (4ᵇ-10).

Subito tamen calamitatem illam a Deo missam intelligens miracula considerat, quibus Deus antiquitus populum adiuvit (11-16), et transitu per mare celebrato ad novam spem se erigit (17-21).

PSALM. 77. (78). — *Patrum historia magistra filiorum.*

Asaph, aequalis Davidis, probabiliter post Sebae occisionem sedatamque septemtrionalium tribuum seditionem (cfr 2 *Reg.* 20) carmen composuit, ut poenis, quas Deus Israelitis in deserto inflixit, narratis, non tantum omnes ad Legem observandam exhortaretur, sed praeprimis Ephraimitas eorumque socios doceret, iusto Dei iudicio sanctuarium ex eorum territorio esse remotum et tribum Iudam eis esse praelatam, quia ipsi contumaciam patrum essent imitati. Praeter exordium duae adsunt partes.

In exordio (1-12) poeta omnes ad doctrinam suam attendere iubens eius finem indicat (1-8) atque thema suum proponit, filios Ephraim (quo nomine Israelitas aetate Iudicum degentes complectitur, quippe qui duce Iosua Ephraimita in Palaestinam erant ingressi et inter quos tribus Ephraim principatum quendam sibi arrogavit) foedus violasse atque beneficiorum divinorum immemores fuisse simili modo atque eorum patres ex Aegypto egressos (9-12).

In priore parte patrum contumaciam et poenam exponit (13-40).

Non obstantibus divinis beneficiis (13-16) peccaverunt Deum tentantes (17-20), unde Dominus, quamvis eorum petitioni acquiescens eis manna et coturnices mitteret (21-28), tamen simul eos punivit (29-31);

immo vero quia hac poena non correcti peccare pergebant et ore tantum eum diligebant solo poenae tempore se convertentes, eos omnes in deserto interire voluit, at in hac ipsa poena suam misericordiam manifestavit (32-40).

In altera parte Ephraimitarum contumaciam punitam docet (41-72).

Nam Ephraimitae quoque oblivioni mandarunt tum mirabilia, quae Deus in Aegypto egerat (41-52) tum magnum beneficium, quo eis terram promissam dedit (53-56), et a Deo se avertentes et idola colentes eum ad iram provocaverunt gravemque poenam sibi attraxerunt (57-64);

tandem tamen Deus, quasi ex somno expergefactus, iterum populi sui misertus est eiusque hostes contrivit, at simul priore sanctuario reprobato elegit montem Sion et reiecta tribu Ephraim elegit tribum Iuda et David servum suum (65-72).

Quoniam Christus, utpote prophetarum caput, omnia prophetae munera perfectissime implevit, iure *Matth.* 13,34 sq. in Asaphi verbis (*Ps.* 77,2) parabolicum eius genus dicendi (typice) praedictum vidit.

PSALM. 78. (79). — *Israelitae interitum regni Iuda lugentis precatio.*

Ab eodem auctore et circa idem tempus, atque *Ps.* 73, hoc carmen conscriptum est.

Atrocissimo dirutae civitatis spectaculo descripto (1-4) vates Deum rogat, ut iram iam in hostes vertat, peccatorum populi pristinorum oblitus (5-8), et propter suum ipsius nomen gemitus populi exaudiat (9-12); promissa autem gratiarum actione carmen claudit (*v.* 13).

PSALM. 79. (80). — *Querela et precatio.*

Ad illud tempus, quo Salmanassar, rex Assyriorum, regnum septemtrionale invasit atque etiam meridionale impugnare conatus est (4 *Reg.* 17,3 sqq.; 18,7), Psalmus referri potest; eidem igitur forte Asaph, cui *Ps.* 74. et 75., debetur. Quinque strophas distinguere licet, quum versus intercalaris (4.8.20.) post *vv.* 12. et 16. apte suppleatur.

A precatione exorsus, ut Deus, pastor Israelis, potentiam suam contra hostes manifestans populum salvet (2-4), poeta conqueritur, quod populus quasi a Deo derelictus a vicinis irrideatur (5-8).

Pulcherrima deinde allegoria Israelem antea laetam fuisse vineam declarat, quae ex Aegypto transplantata totam terram palmitibus suis obumbrasset (9-12), at nunc aprum silvestrem eam velle exterminare, nisi Deus plantationem suam protegat (13-16).

Unde rursus divinum auxilium implorat promittens populum Deo fideliter esse adhaesurum (17-20).

PSALM. 80. (81). — *In festo tubarum monitum Domini.*

Asaphicus est hic psalmus, sed quo tempore compositus sit, ignoratur; nihil tamen obstat, quominus Asapho, aequali Davidis, attribuatur.

Ex Lege (cfr *Num.* 29,1 sqq.) primus dies anni civilis incipientis magna cum sollemnitate erat celebrandus, utpote sabbatum memoriale (*Lev.* 23,24), quo praeparabatur festum tabernaculorum ad peregrinationis per desertum memoriam conservandam institutum (*Lev.* 23,41 sqq.).

Iam vero poetam omnes invitantem, ut magna cum laetitia in festo illo praecepto exitum ex Aegypto et liberationem ex servitute celebrent (2-7),

Deus quodammodo interrumpit gravi monito : se populum tribulatum ex Aegypto eduxisse ac protexisse eique in deserto praecepisse, ut se solum coleret, atque hac conditione ei bona cuncta

promisisse (8-11), at populum voci suae non obedivisse ideoque a se esse derelictum (12.13); utinam nunc sibi adhaereret; tunc se eius inimicos esse humiliaturum eique subiecturum atque omnia bona ei praestiturum (14-17).

PSALM. 81. (82). — *Contra iniustos iudices.*

Quoniam iniusti iudices omni fere tempore inveniuntur, versiculos hos Asapho, Davidis aequali, deberi haud est improbabile.

Poeta Deum, supremum iudicem, medios inter iudices iniustos apparentem eisque praecipientem, ut pauperibus ius ne denegent, fingit (1-4); quia autem id non intelligunt, Deus eis poenam minitatur (5-7) atque poeta eum rogat, ut sententiam hanc exsecutioni mandet (*v.* 8).

PSALM. 82. (83). — *Auxilium contra hostes foederatos expetitur.*

Eadem occasione, qua Coraitarum *Ps.* 45.46.47., etiam hic exortus videtur; ad bellum enim probabiliter pertinet, quod gentes foederatae contra regem Iosaphat moliebantur, ut Israelitas ex Palaestina expellerent (cfr 2 *Paral.* 20, 1 sqq.), eiusque auctor forte est idem ille propheta Iahaziel « ex filiis Asaph », qui divinum auxilium promisit (l. c. 20,14).

Deo potentissimo, cuius auxilium implorat, ante omnia consilium hostium exponit (2-5) enumeratisque gentibus, quae viribus unitis populum aggrediuntur, periculi gravitatem adumbrat (6-9);

deinde eum precatur, ut illos disperdat, sicut olim Madianitas (a Gedeone) et Chananaeos (a Barac devictos), et principes illorum interimat, uti olim Madianitarum duces (10-13), illosque igne irae suae plane delens ad sui nominis gloriam agnoscendam adducat (14-17);

epilogo autem illis iterum interitum imprecatur, ut Dominus solus esse Altissimus cognoscatur (18.19).

PSALM. 83. (84). — *Beati, qui habitant in domo Domini.*

Cum *Ps.* 41.42. hic ad idem tempus pertinere eidemque ex filiis Core deberi videtur.

Absalomicae igitur rebellionis tempore poeta cum rege ex civitate fugere coactus suum exprimit desiderium sanctuarii, quippe in quo, sicut aviculae in nido, requiem et protectionem sit inventurus (2-5);

auxilio Dei deinde confisus sibi facultatem eo redeundi concessum iri sperat (6-9), ardenterque a Deo id petit, quia habitationem in domo Dei reliquis bonis praeferat et Deus bona sua iustis non sit denegaturus (10-13).

PSALM. 84. (85). — *Reducum ex exsilio precatio.*

Carmen ad illud tempus apte refertur, quo reduces, postquam templi fundamenta iecerunt, vicinarum gentium machinationibus ab aedificatione continuanda multis annis impediebantur (cfr 1 *Esdr.* 4,4 sq.)

Tristi igitur illa populi conditione permotus unus ex posteris Core primum quidem Deo gratias agit, quod populum ex exsilio reduxe-

rit eique pristina peccata condonarit (2-4), tunc vero ad precationem se convertens eum rogat, ut ei non amplius irascatur sed totam suam misericordiam ei ostendat (5-8).

Qua precatione confortatus audire vult, quam consolationem a Deo sit accepturus (*v.* 9) responsumque divinum enarrans populo Deum timenti novam gloriam praedicit, quum misericors Deus promissiones sit impleturus (10-14).

Psalm. 85. (86). — *David magno in periculo divinum auxilium implorat.*

Qua occasione David hanc precationem composuerit, ignoramus.

In sua miseria, pietate et fiducia sua nixus, ad Deum confugit, cuius magna sit misericordia (1-5), ab eoque ut in sua tribulatione adiuvetur precatur, quum ob potentiam facile possit iuvare (6-10); laudes deinde gratiarumque actionem, si ex tanto periculo eripiatur, pollicitus (11-13) nova precatione carmen terminat (16.17).

Psalm. 86. (87). — *Sion centrum regni messianici.*

Ab uno ex filiis Core probabiliter Ezechiae tempore carmen compositum est; etenim vaticinium Isaiae de gentibus ad Sionem confluentibus (*Is.* 2,2 sqq.) supponit et ex *Is.* 44,5 explicetur oportet, quod fore praedicitur, ut ethnici, qui ad Dominum pertinere velint, Israeli adscribantur. Duae autem adsunt strophae cum epiphonemate.

Poeta Dominum Sionem prae aliis civitatibus diligere et de ea gloriosa annuntiasse asserit (1-3);

deinde Domini dictum affert, quo omnes suos amicos in Sione natos esse declarat, illudque quasi explanans addit, de Sione dictum iri, omnes (electos) in Sione esse natos, atque Dominum etiam in die, quo iudicium sit acturus, cunctos qui Sionis cives facti sint, suis esse adnumeraturum (4-6).

Epiphonemate demum gaudium civium Sionis praedicat (*v.*7).

Psalm. 87. (88). — *Gravissime afflicti querela.*

Nihil obstat, quominus davidico tempore unus ex filiis Core Psalmum scripsisse dicatur, licet alii eum Ethani Ezrahitae, qui Salomonis tempore vixit (3 *Reg.* 4,31), adscribere malint. Poeta autem non tam de publica regni, quam de privata sua tribulatione loquitur; sed quae illa fuerit, haud satis dignoscitur. Duae sunt carminis partes :

in priore auctor brevi precatione praemissa et calamitate sua universe indicata (2-4) conqueritur, quod morti vicinus iam mortuis quasi assimiletur (5-7) quodque Dei ira onustus et ab hominibus reiectus frustra ad Deum clamet (8-10).

In altera precatio praevalet : Deum enim a mortuis, qui eius mirabilia ignorent, glorificari non posse praemonens (11-13), se non intelligere declarat, cur multae suae preces non exaudiantur et ipse continuo novis tribulationibus vexetur (14-16) eoque iam nunc sit perductus, ut a Deo non minus, quam ab hominibus, reiectus esse videatur (17-19).

PSALM. 88. (89). — *Utinam Deus promissionis Davidi factae memor sit.*

Ethani Ezrahitae, Salomonis aequali (3 *Reg.* 4,31), carmen hoc adscribitur (*v.* 1), quod quodammodo repetitio quaedam et explanatio est magnifici illius vaticinii, quo Davidi per Nathan prophetam aeternus thronus promittebatur (cfr 2 *Reg.* 7,4 sqq.). Messianicus igitur est Psalmus; scriptus autem videtur sub initiis regni Roboam, quando decem tribus a domo davidica defecerant et Sesac, rex Aegypti, regnum Iuda et ipsam Ierusalem diripiebat (cfr 2 *Par.* 10,16 sqq.; 12,1 sqq.). — Tres distinguimus partes :

a.) Tristi illa in domus davidicae conditione Ethan a misericordia divina, cui David promissionem istam debebat, praedicanda exorsus (2-5), Deum suis promissis etiam stare posse ac velle demonstrat eius fidelitate ac maiestate (6-8), potestate (9-11), dominio universali (12-14), iustitia ac benignitate celebratis (15-19).

b.) Quo fundamento posito vaticinium explanat : Deus ipse Davidem elegit et virtute sua unxit auxilium ei promittens (20-22), quo confortatus hostibus devictis regnum vastissimum sit acquisiturus (23-26); quin etiam arctissime eum sibi coniunxit eumque in aeternum cum semine eius se servaturum promisit (27-30), ita ut filios eius, si deliquerint, puniturus quidem sed misericordiam suam eis non denegaturus sit (31-34); quam promissionem iuramento sollemni confirmavit (35-38).

c.) Iamvero quia huic promissioni parum consonat praesens regni status, quum David in suo successore reiectus videatur et corona eius violata (39-41), hostes autem ubique sint victoriosi (42-46), poeta Deum rogat, ut auxilium acceleret pristinae misericordiae ac iuramenti memor (47-52).

Doxologia (*v.*53) finem tertii libri Psalmorum denotat.

PSALM. 89. (90). — *Reliquiarum populi ex Aegypto egressi precatio.*

Inscriptione (*v.* 1.) carmen Moysi auctori adscribitur, neque est cur ei abiudicetur. Versus peregrinationis autem finem, quum adultorum ex Aegypto egressorum maior pars ob suam contumaciam iusto Dei iudicio (cfr *Num.* 14,26 sqq.) iam periisset, Moyses ex reliquiarum quasi mente, ut videtur, hoc Psalmo mortem denuntiatam deprecari conatus est.

Deum enim populi refugium semper fuisse professus (*v.* 1) eius aeternitati caducam brevemque hominis vitam opponens (2-6) conqueritur, quod (in deserto peregrinantibus) ob divinam iram exiguum illud vitae curriculum velut praecidatur (7-12) Deumque rogat, ut reliquiis misericordiam iterum exhibeat pristinamque restituat laetitiam (13-17).

PSALM. 90. (91). — *Deus iustorum protector.*

Cum Alex. Syr. Vulg. carmen davidicis adnumeramus; occasio autem, cui originem debet, incerta est. Meditatio enim quaedam est, qua David magno in periculo (forte tempore pestis cfr 2 *Reg.* 24,15 sqq.) se ipsum

ad fiduciam in Deo collocandam exhortatur et meditantium more mox Deum, mox se ipsum alloquitur, mox sua ipsius, mox Dei in ipso loquentis verba refert; unde frequentes personarum enallagae satis explicantur.

Postquam eum, qui apud Deum semper habitat, ab omnibus periculis tutum fore asseruit (1-3),

hanc sententiam quasi explanans praeprimis veritatem (i. e. fidelitatem) divinam esse causam sibi proponit, cur nihil sibi sit timendum, licet peccatores perire videat (4-8)

ac deinde fiduciam suam professus, sibi nihil nocere posse confidit, quia protectioni angelorum a Deo sit commendatus (9-13);

in epilogo demum sibi propter suam fiduciam protectionem a Deo promitti audit (14-16).

PSALM. 91. (92). — *Laus Dei iusti gubernatoris.*

Ab incerto auctore Psalmus iuxta inscriptionem (*v.* 1) in usum liturgiae diei sabbati conscriptus est, ita ut totus populus hoc carmine Deum celebret.

Dulce est divinam bonitatem et fidelitatem sollemnissime celebrare (2-4), quia Deus suis operibus nos tantopere laetificat, id quod solus insipiens non intelligit (5-7).

Utique peccatores interdum florent, at brevi tantum tempore, quia a Deo qui semper manet destruentur (8-10); iusti vero continuo crescent et inimicos suos despicient (11-13), atque Deo adhaerentes et in eo florentes eius iustitiam semper annuntiabunt (14-16).

PSALM. 92. (93). — *Laus maiestatis divinae.*

Davidi auctori Psalmum cum Alex. Syr. Vulg. attribuere licet; destinatus erat liturgiae prosabbati, « quando fundata est terra », et opere creationis terminato Deus ut ita dicam in homines regnare coepit.

Ad illum igitur creationis diem respiciens populus Dominum celebrat tamquam regem ipsa creatione manifestatum et regno quod ab aeterno ei competat potitum (1. 2); et quia in mundo creato sese revelat creatoris maiestas, eum celebrat velut omnibus, quae in terris stupemus, mirabiliorem (3. 4); unde sua sponte sequitur, etiam minis promissionibusque eius esse habendam fidem eiusque domum sancte colendam (*v.* 5).

PSALM. 93. (94). — *Deus iniquorum ultor, iustorum adiutor.*

Quia descriptio conditionis populi (4-6. 15. 21) davidicae aetati non congruit, carmen, non obstante graeca et latina inscriptione, recentiori regum tempori attribuimus, quamvis illud accurate definire nequeamus.

Deum iudicem iustum et integrum precatus, ut contra peccatores exsurgat (1-3), statim superborum populi oppressorum et iniquorum iudicum exceptionem, quod suae machinationes Deo sint ignotae (4-7)velut stultam ac vanam refutat (8-11) beatumque praedicat iustum, qui in diebus malis confidit Deo, utpote qui suos non sit

derelicturus et iniquos iudicaturus (12-15). Ac profecto solus Deus iustos contra iniustos tueri potest ac tuetur (16-19), quia ei non est societas cum iniustis, sed iustos adiuvat et iniquos perdit (20-23).

PSALM. 94. (95). — *Invitatio ad Dei laudes celebrandas.*

Cum Alex. Syr. Vulg. et cum ipso (ut videtur) S. Paulo (*Hebr.* 4,7) carmen a Davide compositum censemus, et quidem in usum liturgicum.

Generalem invitationem ad Deum laudandum praemissam (1. 2) David ex eo confirmat, quod Dominus sit omnibus diis maior, universi mundi creator et dominus populique sui pastor (3-7),

graviterque omnes admonet, ne Domino loquenti resistant, sicut ei restiterunt eorum patres ob inobedientiam suam ab ingressu terrae promissae exclusi (8-11).

S. Paulus *vv.* 8-11 allegat et fuse explanat (*Hebr.* 3,7-4,11) lectores exhortaturus, ut Christo fidem et obedientiam exhibentes in requiem sibi promissam, in aeternam sc. beatitudinem, ingrediantur.

PSALM. 95. (96). — *Invitatio ad Dei laudem inter gentes propagandam.*

Psalmus hic altera pars est maioris carminis a Davide in arcae translationem compositi (cfr 1 *Par.* 16,23-33), quam iunior poeta paucis mutationibus sollemnitati adaptavit, qua restitutum templum post exsilium inaugurabatur (*v.* 1).

Postquam omnes invitavit, ut Dominum, a quo est salus, novo cantico laudent (1. 2), poeta laudes eius utpote Dei augustissimi et potentissimi inter gentes annuntiare iubet (3-6), gentesque ipsas invitat, ut Dominum in templo adorent et colant, quum ipsorum quoque sit rex potens et iudex iustus (7-10); demum ipsas quoque creaturas ratione carentes secum laetari vult coram Domino, qui venturus sit, ut orbem terrarum iuste iudicet (11-13).

PSALM. 96. (97). — *Deus iudex hostes terret, suos laetificat.*

Iuxta Alex. Vulg. Psalmus a Davide compositus est, « quando terra eius restituta (i. e. regni status finitis bellis iterum ordinatus) est », eodem igitur fere tempore, quo *Ps.* 17.

In priore stropha psalmista totam terram, ut Deo regi laetis vocibus acclamet, exhortatus (*v.* 1) iudicium Dei sub imagine tempestatis advenientis hostesque conterentis et gloriam divinam omnibus manifestantis describit (2-6).

In altera porro iudicii effectus, gentium confusionem, angelorum laudationes, laetitiam populi adumbrat servosque Dei ad eum diligendum invitat (7-11); carmen autem terminat nova exhortatione ad laetitiam (*v.* 12).

Iudicium, quo Deus Israel olim hostes populi sui confregit et populum suum laetificavit, typus est iudicii finalis, quo Christus Dominus peccatores puniturus, iustos beatificaturus est; unde S. Paulus (*Hebr.* 1,6) iure merito ex *v.* 7[c] Christum angelis superiorem esse demonstravit.

PSALM. 97. (98). — *Invitatio ad Dei laudem ubique praedicandam.*

Hic Psalmus, quum vicinus sit *Ps.* 95., cum Alex. Vulg. Syr. Davidi attribui potest. Forte occasione alicuius insignis victoriae de vicinis gentibus reportatae exortus est.

Ad illam quippe, qua Deus se populi sui protectorem et hostium eius iudicem esse manifestavit, respiciens David omnes invitat, ut novo cantico eum celebrent (1-3) eique in templo iubilent (4-6); quin etiam creaturas ratione carentes ad iustum iudicem laudandum exhortatur (7-9).

PSALM. 98. (99). — *Deus in monte Sion colendus.*

Nihil obstat, quominus cum Alex. Syr. Vulg. carmen davidicis adnumeremus; haud diu autem post arcae translationem in montem Sion exortum videtur.

Nihil amplius enim, postquam Dominus rex thronum suum in Sion erexit, populo timendum esse praefatus (1. 2) David Israelitas ad Dominum, a quo protegatur, celebrandum eiusque sanctuarium venerandum exhortatur (3-5), velut exempla eis proponens Moysen Aaronem Samuelem, qui a Domino semper sint exauditi (6-8); atque exhortatione repetita carmen terminat (*v.* 9).

PSALM. 99. (100). — *Exhortatio ad gratias Deo agendas.*

Cui auctori et cui occasioni haec invitatio debeatur, ignoramus.

Cunctos autem vates invitat, ut cum iubilo coram Domino appareant eique serviant, quia eorum creator sit et pastor (2. 3), utque in sanctuario laudes eius canant, quia eius misericordia et fidelitas in aeternum maneat (4. 5).

PSALM. 100. (101). — *Speculum regum.*

David (*v.* 1), quum ab omnibus tribubus rex agnitus Ierusalem occupasset arcamque in montem Sion transferre decrevisset, hoc in carmine sibi quasi regulam quandam vivendi ac gubernandi praescripsit probe intelligens Dominum domum civitatemque impuram inhabitare nolle.

Itaque Domini, quando ad se venerit, misericordiam et iustitiam se celebraturum promittit (1. 2); in specie autem omnem iniustitiam omnemque perversorum societatem evitare vult (3-5), contra vero solos iustos secum habitaturos permittet et ex domo sua cunctos superbos atque ex civitate Dei omnes peccatores removebit (6-8).

PSALM. 101. (102). — *Pii exsulis precatio.*

Quo tempore septuaginta anni exsilii a Ieremia praedicti ad finem vergebant (*v.* 14), exsul quidam hoc carmine misericordiam divinam permovere studuit, ut restauratio civitatis destructae acceleraretur. Tres partes apte distinguuntur.

a.) Exauditionis petitione praemissa (2. 3) poeta praeprimis Domino aerumnas, quibus conficiatur (4-6), solitudinemque explanat, in qua degat ab hostibus opprobriis oneratus (7-9), atque tanta in miseria se propter divinam iram consumi conqueritur (10-12).

b.) Cum fiducia autem deinde Deo proponit, tempus miserendi iam advenisse, quia Israel vel ipsas ruinas Sionis iterum amet (13-15); hostes quoque nomen Dei veneraturos esse, si Sionem viderint restitutam exsulumque preces exauditas (16-18); in Israele porro tantum beneficium semper celebratum nomenque Domini coram gentibus annuntiatum iri (19-23).

c.) Demum repetita sua petitione (24. 25) ad divinam immutabilitatem appellans (26-28) populum non esse periturum fidenter asserit (*v.* 29).

Deus, quem vates *vv.* 26-28 alloquitur, est Deus foederis, i. e. Verbum incarnandum; iure merito ergo S. Paulus (*Hebr.* 1,10. 11. 12) ea de Christo, Verbo incarnato, interpretatur. Ceterum solutio exsilii non tantum est typus redemtionis generis humani, ita ut Psalmus typice ad eam referre liceat, sed nonnulla quoque psalmistae verba (cfr *vv.* 14-23) ita sunt comparata, ut plenam et perfectam impletionem non nisi in redemtione invenerint, Psalmus ergo eminenter sit messianicus.

PSALM. 102. (103). — *Laus misericordiae divinae.*

A Davide carmen est compositum, fortasse postquam per Nathan de peccati sui remissione certior est factus (cfr 2 Reg. 12,13).

Ab initio se ipsum ad laudandum Deum exhortatus, cuius bonitatem et misericordiam expertus est (1-5), misericordiam illam celebrat, qua ad veniam dandam propensus Deus homini non secundum eius peccata retribuat (6-10);

eam quippe esse infinitam, quum Dominus infirmitatem hominis cognoscat (11-14), et non obstante hominis fragilitate semper eandem manere erga eos, qui foedus servent (15-18).

Hymnum autem terminat ad Domini, qui in coelo residens omnibus dominatur, laudes praedicandas cunctos invitans (19-22).

PSALM. 103. (104). — *Laus Dei creatoris et gubernatoris mundi.*

Sine haesitatione Davidi auctori cum Alex. Syr. Vulg. magnificum hoc carmen adscribimus, in quo ad hexaëmeron respiciens eiusque ordinem tenens vates maiestatem, sapientiam, potentiam bonitatemque divinam in nobilissimis providentiae operibus celebrat.

Ad Deum enim, qui maiestatem suam in creatione manifestavit, laudandum se ipsum exhortatus (*v.* 1)

poeta a duorum primorum dierum operibus (*Gen.* 1,2-8) exorditur, a lumine, quo Deus se quasi splendido vestimento induit, et a coelo, in quo thronum suum posuit et ex quo gubernat omnia (2-4).

Ad tertium diem (*Gen.* 1,9-13) transiens Deum terram stabilivisse aquisque in unum locum congregatis terminos posuisse refert (5-9), ita tamen ut fontibus rivisque varias terrae partes faceret apta animalium habitacula (10-13) terramque redderet fertilem (14-18).

Sequitur deinde quartus dies (*Gen.* 1,14-19), creatio lunae, quae

praeest nocti bestiis silvarum destinatae, et solis, qui praeest diei laboribus hominum destinato (19-23).

Quintum et sextum porro dies (*Gen.* 1,20-25) quasi comprehendens divinam in animalibus creatis sapientiam admiratur, quae omnia nutrit et in suis generibus conservat (24-30).

Ad laudationem demum alludens, qua Deus opera sua approbavit (*Gen.* 1,31) carmen terminat se semper potentem creatorem laudaturum esse promittens speransque fore, ut Deus peccatores, ordinis turbatores, aliquando deleat (31-35).

Psalm. 104. (105). — *Laus Domini foedus fideliter servantis.*

Prior huius carminis pars (1-15) eadem est atque prima pars carminis a Davide pro arcae translatione compositi (cfr 1 *Par.* 16,8-22); num haec a iuniore poeta inspirato additis *vv.* 16-45 in usum liturgicum sit amplificata, an David ipse nostri Psalmi a se iam antea compositi priorem partem voluerit esse initium carminis in translatione arcae cantati, ignoramus; totum enim nostrum Psalmum, cuius auctor non nominatur, davidicis accensere licet. Totus autem in eo est, ut Deum propter fidelitatem celebret, qua promissionem de terra Chanaan semini Abraham danda impleverit. Quinque eius partes apte distinguuntur.

Ab Israelitis exhortandis exorditur, ut Dominum celebrent, qui se eos elegisse et praediligere mirabilibus suis demonstravit (1-7);

foederis enim sui cum patriarchis pacti se memorem esse iam singulari eorum protectione manifestavit (8-15);

clarius deinde id apparuit in fatis Ioseph, per quem populus in Aegyptum vocatus est (16-25),

et in Moyse, per quem Aegyptii plagis immissis populum dimittere coacti sunt (26-38),

et tandem in populi peregrinatione per desertum, usque dum terram a Deo patriarchis promissam obtineret (39-45).

Psalm. 105. (106). — *Populus infidelitates suas confitetur.*

Carmen ab exhortatione quidem ad Dei laudes celebrandas inchoatur, at auxilii potius petitio est tempore tribulationis, atque peccatorum a maioribus commissorum aperta confessione populus Deum sibi propitium reddere studet. Haud inepte nonnulli illud iam ante Davidem tempore Samuelis exortum censent, ut sit amplificatio illius « peccavimus », quo populus misericordiam divinam imploravit (cfr. 1 *Reg.* 7,6).

Invitationem igitur ad Deum misericordem laudandum et auxilii petitionem (1-5)

sequitur confessio infidelitatum, quibus Israel in Aegypto (6-12), in peregrinatione per desertum (13-33), in terra Chanaan tempore priorum Iudicum (34-46) divinam iram provocaverunt.

Misericordiae autem memor, qua Deus populum ad se revertentem semper recepit, vates carmen nova petitione et quasi iam sit exauditus doxologia terminat (47.48).

Quae doxologia, uti ex 1 *Par.* 16,35 sq. apparet, ubi eadem paululum mutata legitur, ad carmen quidem pertinet, sed hoc in loco simul claudendo quarto libro Psalmorum inservit.

PSALM. 106. (107). — *Deus suos omnibus ex periculis servat.*

Psalmus brevi post exsilium conscriptus censetur ad Deum ob multiplicia subsidia celebrandum, quibus filios Israel exsilii tempore ad ipsum clamantes variis ex periculis eripuerit; eius autem indoles et finis sententiis illis quodam modo intercalaribus produntur, quibus oppressi ad Deum recurrisse dicuntur et adiuti Dominum celebrare iubentur (vv. 6 et 8; 13 et 15; 19 et 21; 28 et 31). Ad quas attendentibus praeter exordium quinque partes distinguere licet,

In exordio videlicet omnes, qui a Domino servati sunt, ad eius celebrandam misericordiam adhortatus (1-3).

in prima parte psalmista de periculis agit, ex quibus peregrinantes in deserto sint erepti (4-9);

in altera de auxilio illis praestito, qui iuste ob peccata sua puniti, ad Deum recurrentes e carceribus liberati sint (10-17);

in tertia de periculis gravissimi morbi (18-22) et

in quarta de periculis peregrinationis maritimae superatis (23-32).

In quinta autem, in qua versus illi intercalares non recurrunt, in genere magis describitur, quomodo Deus illos quoque, qui in sterili terra degebant, nutriverit eosque, qui a suis principibus vexabantur, adiuverit (33-42).

Epiphonemate demum poeta omnes ex his misericordiam Dei cognoscere iubet (*v.* 43).

PSALM. 107. (108). — *Auxilii petitio.*

Davidi auctori carmen inscribitur idque recte, quatenus ex partibus duorum Psalmorum davidicorum conglutinatum est; *vv.* 2-6 ex Ps. 56, 8-12 et *vv.* 7-14 ex *Ps.* 59,6c-14 desumti sunt.

In priore parte poeta Deum celebrat suamque fiduciam profitetur (2-5), in altera eum precatur, ut promissionem suam de tota terra Chanaan populo danda impleat suisque auxilium ferat (6-14).

PSALM. 108. (109). — *David hostibus obduratis poenam imprecatur.*

Tempore saulicarum insidiarum David gravissimum hoc carmen composuit contra omnes quidem suos calumniatores, sed maxime, ut videtur, contra Doeg Idumaeum (cfr *Ps.* 51).

Dei auxilio contra calumniatores, qui bona malis rependunt, invocato (2-5),

poeta contra unum ex iis potissimum se vertit Deumque rogat, ut illi in iudicio non parcat, illum ipsum potius maturae morti, viduam illius et filios miseriae tradat (6-10), bona illius diripiat, genus illius perdat et parentum peccata in illo puniat (11-15), idque quia in peccatis suis obduratus sit (16-20).

Sibi deinde auxilium petit miseria sua descripta (21-25), ut ini-

micis suis, si eum viderint benedictum, cui ipsi maledicunt, confusis Deum adiutorem suum celebrare valeat (26-31).

Psalmum messianicum esse ex *Act.* 1,20 constat; eodem autem modo messianicus est, quo *Ps.* 68., cuius verba quaedam S. Lucas vel potius S. Petrus cum versiculo huius Psalmi connectit.

Psalm. 109. (110). — *Christus rex triumphans et sacerdos in aeternum.*

Carmen a Davide esse compositum praeter inscriptionem etiam Dominus (*Matth.* 22,43 sqq. et parall.) et S. Petrus (*Act.* 2. 34) testantur; illud de Messia, et quidem sensu literali, intelligendum esse, uti ex illius verbis ipsis ita ex Novi Test. testimoniis (*Matth.* 22,43 sqq. et parall.; *Act.* 2,32 sqq.; 1 *Cor.* 15,27; *Hebr.* 1,13; 5,6 sqq.; 7,1 sqq.) invicte constat.

a.) *In priore stropha* David « in spiritu » dominum suum Messiam a Deo Patre invitari audit, ut ad suam dexteram sedeat omnibusque suis inimicis dominetur; id quippe imperium ei competere utpote Filio suo ab aeterno generato (1-3).

b.) *Sequitur tristichum*, quo David Patrem sacerdotium aeternum Filio cum iuramento asserere audit (*v.* 4).

c.) *In altera stropha* demum vates Messiam alloquens eum passione sua hoc triumpho de inimicis suis potitum esse docet (5-7).

Psalm. 110. (111). — *Laus Dei foederis.*

Cui auctori vel cui tempori carmen hoc sit attribuendum ignoratur; in usum liturgicum forte iam ab ipso Davide est compositum et quidem alphabeti ordine singulis in stichis accurate retento.

Dominum in coetu iustorum celebraturus (*v.* 1) vates primum in genere magna opera commemorat, quibus Deus aeternam reddidit memoriam suam (2-4),

deinde in specie mirabilia innuit, quibus Deus populum in hereditatem ei promissam induxit (5-7), et legislationem, qua Deus aeterni sui foederis conditionibus statutis populum erudivit (8-10).

Psalm. 111. (112). — *Iusti beatitudo.*

Carmen hoc, quod eadem ratione qua praecedens alphabeticum est, a Vulgata utique tempori Aggaei et Zachariae attribuitur, sed qua aetate sit exortum, plane ignoratur, nisi quis forte illud ob compositionis similitudinem eidem auctori ac praecedens adscribendum censeat.

Pium Dei cultorem beatum praedicat ob posteritatem, quae potens futura sit ac felix, et ob continuam Dei protectionem (1-4); neque enim quidquam eum habere quod timeat, quum ob fiduciam suam de inimicis suis triumphaturus sit (5-8); hominis quippe misericordis iustitiam in aeternum esse mansuram, peccatorem autem desideriis suis frustrari (9.10).

Psalm. 112. (113). — *Laus Dei humiles exaltantis.*

Auctor et aetas huius Psalmi aeque ac quinque sequentium, qui

coniuncti *Magnum Hallel* in paschate aliisque festis maioribus Iudaeorum canendum constituerunt, ignorantur [1].

Omnes servos Domini ad eius nomen celebrandum exhortatus (1-3) pro laudis themate eius maiestatem indicat, quae in eo clarius se manifestet, quod in altissimis regnans etiam minima in coelo et in terra curet (4-6) pauperesque et infelices ditet et beatificet (7-9).

PSALM. 113. (114 et 115). — *Ob miracula a Deo olim patrata in eo fiducia ponenda est.*

Nulla adest ratio, cur cum Massorethis hunc Psalmum eo modo, quem Vulg. sua versuum numeratione indicat, in duos distribuamus, quum integro nostro carmini unitas non desit.

Postquam enim sacer vates miracula in exitu ex Aegypto et in peregrinatione per desertum patrata velut gratulationes totius naturae de electione Israel duabus prioribus strophis descripsit (1-4; 5-8),

sub forma precationis populus nec sibi neque gentium diis, sed soli Domino totam gloriam mirabilium istorum deberi profitetur (113^{b},1-4) idolisque et eorum cultoribus irridet (5-8).

Deinde Israelem propter fiduciam suam Dominum adiutorem habuisse et ab eo benedictum esse grato animo agnoscens (9-13) poeta rogat, ut Dominus novis beneficiis populum ad suas laudes excitet, quum a mortuis non amplius laudetur (14-18).

PSALM. 114. (116^{a}). — *Gratiarum actio pro obtenta liberatione.*

Massorethae, qui praecedens carmen in duo discerpserunt, hunc psalmum cum sequente in unum coniunxerunt, uti Vulgata iterum versuum numeratione indicat; at non videmus rationem, qua eos sequi cogamur, licet simile utriusque esse argumentum fateamur.

Se Deum ob precum suarum exauditionem diligere praefatus, poeta paucis periculum describit, in quo Domini auxilium imploravit (1-4), atque eius misericordiam, qua liberatus sit, celebrans se ipsum, ut iam quietus sit, exhortatur (5-9).

PSALM. 115. (116^{b}). — *Altera gratiarum actio pro simili liberatione.*

Divinis promissionibus confisus poeta, quum ab hominibus esset derelictus, Deum invocavit et exauditus est; quare gratum suum animum prodere vult salutem oblatam accipiens Deoque vota sua publice reddens (10-14); atque statim Dominum celebrat, quia vita sua servata mortem sanctorum non esse rem levem ostenderit sibique pauperi pepercerit, eandemque promissionem repetit (15-19).

PSALM. 116. (117). — *Gentium exhortatio ad verum Deum laudandum.*

Brevissimi huius Psalmi argumentum S. Paulus (*Rom.* 15,11) explanat,

(1) Nihil tamen obstare arbitror, quominus Davidi auctori omnes adscribantur, licet hodie plerique Psalmum 117. pro inauguratione secundi templi compositum esse coniiciant.

quum ex eo Dominum ad gentium non minus quam ad Iudaeorum salutem venisse, gentibus ergo misericordiam Dei prae reliquis eius attributis celebrandam esse probet.

PSALM. 117. (118). — *Laus Dei adiutoris populi sui.*

Carmen hoc a populo in festis sollemnioribus ad sanctuarium ascendente cantatum videtur, ut Dominum ob auxilium sibi semper praestitum celebraret, quippe quo auxilio factus sit caput anguli, licet a gentibus sit reiectus. Messianicum autem est testibus Domino (*Matth.* 21,42 sqq.), S. Petro (*Act.* 4,11; 1 *Petr.* 2,7) ipsisque Iudaeis (*Matth.* 21,9 sqq.; *Ioan.* 12,13), sed typice messianicum quum Israel sit typus Messiae.

a.) *In priore parte* (quae forte in itinere decantabatur) post ducis exhortationem, ut omnes misericordiam divinam celebrent (1-4),

populus se in tribulationibus apud Deum semper auxilium invenisse seque fiduciam tutius in Deo quam in principibus poni cognovisse testatur (5-9);

periculo autem in quo semper degat descripto (10-13) Domini laudes canit, a quo interdum quidem sit castigatus, sed semper adiutus neque interire permissus (14-18).

b.) *In altera parte* populus, sanctuarii portis iam conspectis, per eas intrare desiderat, ut denuo Deum praedicet, a quo factus sit caput anguli, quamvis ab aedificantibus fuerit reiectus (19-23);

felicique illo die novum auxilium petens adiutorem, quem Dominus missurus sit, laetis festis se excepturum esse promittit (24-28).

Carmen eadem, qua inchoatur, exhortatione finitur (*v.* 29).

PSALM. 118. (119). — *Laus et commendatio Legis.*

Quis longissimi huius Psalmi sit auctor, ignoratur; centum septuaginta sex gnomis Legem, quam diversis nominibus (testimonii, mandati, viae, iudicii, sermonis, eloquii etc.) singulis in distichis (solo *v.* 122. excepto) designat, velut viam salutis ita praedicat, ut precibus quasi iaculatoriis interdum insertis aut animi promptitudinem ad eam observandam petat vel eam asserens se favori divino commendet, aut suum Legis amorem testetur, aut illecebrarum, quibus a perfecta eius impletione retineatur, remotionem imploret aut similes pios affectus prodat.

Gnomae autem illae certo ordine logico dispositae non videntur; solus externus quidam earum ordo deprehenditur, quatenus pro hebraicarum literarum numero in viginti duas strophas octonorum distichorum ita sunt distributae, ut singuli stropharum versus ab eadem litera incipiant et strophae ipsae seriem alphabeti hebraici sequantur. Quapropter accuratus idearum nexus indicari nequit (cfr *Ps.* 36).

PSALM. 119. (120). — *Hominis pacifici de litigiosorum societate querela.*

Quindecim qui sequuntur Psalmi (119-133) omnes titulum *cantici graduum* praefixum habent; utrum vero ad carminis genus an ad eius de-

stinationem liturgicam designandam non satis constat; plerorumque auctor et aetas ignorantur.

In primo vates auxilium divinum contra homines litigiosos precatus (1.2) eis severam poenam praedicit (3.4) conquerens, quod tam diu inter eos commorari cogatur ab iisque semper impugnetur, licet in pace cum iis vivere desideret (5-7).

PSALM. 120. (121). — *Pii exsulis solatium.*

Patriae desiderio abreptus poeta exsul in planitie Babyloniae degens oculis versus montes Palaestinae levatis,

unde sibi auxilium sit venturum, interrogat statimque sibi ipse respondet adiutorem suum esse Dominum creatorem omnipotentem (1.2), quippe qui suis semper invigilet (3.4) eosque die ac nocte protegat (5.6) et ab omni malo custoditos secure ducat (7.8).

PSALM. 121. (122). — *Ad templum advenientes salutant Ierusalem.*

Carmen a Massorethis et Syro, tacentibus utique Alex. et Vulg., Davidi auctori adscribitur, neque est cur ei negetur; in annuarum quippe peregrinationum a Lege praescriptarum usum illud composuisse haud inepte asseritur.

Laetitiae igitur memores, qua invitationem ad sacrum iter suscipiendum receperunt (*v.* 1)

ad sanctam civitatem advenientes in eius portis consistunt eamque velut civitatem splendide aedificatam ac maxime velut centrum cultus religiosi et centrum politicum admirantur (2-5);

tum vero se mutuo exhortantur, ut ei omnia bona apprecentur ac praesertim pacem, idque ob incolarum eius amorem ac potissimum ob amorem domus Dei, quae ibi invenitur (6-9).

PSALM. 122. (123). — *Exsulum precatio.*

Multis exsilii tribulationibus fracti exsules Deo proponunt,

quanta cum sollicitudine ad eum iam attendant eiusque misericordiam exspectent (1.2), atque suppliciter eum rogant, ut eius auxilio ex infelici ac despecta sua conditione eripiantur (3.4).

PSALM. 123. (124). — *Deo, utpote soli adiutori, gratiae agendae.*

David, cui Mass. et Chald. Psalmum adscribunt, Edomitis devictis illum forsitan composuerit (cfr *Ps.* 59).

Sine Dei auxilio sese cum populo invasione hostium periturum fuisse aperte professus (1-5) Deo omnipotenti, per quem ex angustiis ereptus sit, gratias agit (6-8).

PSALM. 124. (125). — *Deus populi sui oppressi protector.*

Origo carminis ad illud tempus apte refertur, quo reduces ex exsilio ante Nehemiae adventum a vicinis gentibus impugnabantur magnaque in miseria degebant.

Vates quippe confisus, Dominum simili modo, quo Sionem circumiacentes montes protegant, fideles Ierusalem incolas tuturum esse, ne diuturniore oppressione ipsi iusti ad peccatum pelliciantur

(1-3), eum precatur, ut iustis invigilet, apostatas autem cum hostibus perdat (4.5).

Psalm. 125. (126). — *Reducum precatio pro fratribus nondum liberatis.*

Ad idem fere, ac praecedens, tempus carmen omnino referendum videtur (cfr etiam *Ps.* 84).

De sua ipsorum liberatione, quam gentes non minus quam ipsi admirantes Deo attribuant, gratiis actis (1-3),

reduces, quum etiamnunc in miseria degant, a Domino petunt, ut fratribus quoque reductis gaudium suum compleatur; adhuc enim in lacrymis seminant laetam messem exspectantes (4-6).

Psalm. 126. (127). — *Nihil sine Deo valet homo.*

Non est, cur Salomoni, cui inscribitur, carmen abiudicetur et ad reducum aetatem referatur.

Omni quippe tempore verum est, hominis laboribus, nisi Deus adiuvet, nihil effici, ita ut a Domino omnia dependeant, habitatio et securitas et victus quotidianus (1.2), atque vera domus prosperitas, quae in filiorum numero ac virtute consistat (3-5).

Psalm. 127. (128). — *Benedictiones temporales piis promissae.*

Carminis huius aetas ignoratur; affinitate autem quadam cum praecedente coniungi videtur.

Pii enim Israelitae domesticam felicitatem poeta celebrat (1-3) exoptatque ut ex Sione omnibus haec felicitas tribuatur omnesque illa per longam vitam fruantur (4-6).

Psalm. 128. (129). — *Interitus impiorum hostium Israelis.*

Ad reducum a Samaritanis aliisque hostibus lacessitorum tempus carmen referre licet.

Ut reduces enim consoletur, vates eos recordari iubet, quoties Israel inde a suis initiis per impios hostes sit impugnatus, sed ne longa quidem oppressione destructus, quum hostes antea interirent (1-4); unde nunc reducum quoque inimicis interitum celerem ac turpem imprecatur (5-8).

Psalm. 129. (130). — *Divinae misericordiae imploratio.*

Exsulum in calamitatis quasi abysso iacentium nomine psalmista ad Deum vocem attollens

eum precatur, ut non iam pro severa iustitia sua illos puniat sed pro misericordia sua illis parcat foederis memor, propter quod exsules etiam nunc in eo fiduciam suam ponant (1-5);

illos autem exhortatur, ut in sua fiducia perseverent, quia Deus non tantum sit misericors, sed etiam illos redimere possit atque ab iniquitatum culpa et poena illos certe redemturus sit (6-8).

Psalm. 130. (131). — *Davidis humilitas.*

Uxorem suam Michol, quum ab illa irrideretur, David sola humilitatis suae assertione ad silentium redegit (cfr 2 *Reg.* 6,20 sqq.);

eandem humilitatis assertionem his versiculis repetit (1.2)

ac simul Israelem humiliter in Deo solo fiduciam spemque collocare iubet (*v.* 3).

Psalm. 131. (132). — *Utinam promissio Davidi facta impleatur.*

Psalmus velut precatio quaedam est, quam populus in templi dedicatione pro domo davidica fudit, ab ipso autem Salomone, qui eius sententiis quibusdam (*vv.* 6-8) suam ipsius precationem dedicatoriam terminavit (cfr 2 *Par.* 6, 41 sq.) compositus haud improbabiliter creditur. Quoniam aeterni throni promissioni Davidi factae, prout 2 *Reg.* 7,1 sqq. narratur, totus innititur eiusque impletionem expetit, messianicis carminibus aeque ac *Ps.* 88., cui affinis est, adnumeretur oportet. Duabus porro partibus aequalibus constat, quae ambae a precatioen (*vv.* 1.10) ita inchoantur, ut secunda priorem explicet definiatque, et ambae in reliquis quoque inter se respondent.

a.) *In priore parte* populus Dominum rogat, ut memor sit pietatis Davidis, quippe qua incensus ardentissimo desiderio aedificandi templi flagraverit (1-5), et arcam foederis, quae quasi oblivioni data fuerat, in tabernaculum in monte Sion constructum transtulerit, ut ibi sedem stabilem haberet et coleretur (6-9).

b.) *In altera* autem populus, quo sensu Dominum ad Davidis pietatem respicere desideret, explicat eum rogans ut regi suo uncto (Salomoni) propitius sit, atque hanc petitionem confirmat aeterni throni promissione, qua Dominus ipse Davidis desiderium aedificandi templi remuneratus erat (10-13). Quam precationem Dominus exaudiens respondet, se in Sion semper habitaturum, ut ex Sion toti populo benedicat et ex domo davidica Messiam suscitet (14-19).

Psalm. 132. (133). — *Quanta felicitas in fidelium communione.*

A Davide, probabiliter in usum eorum, qui ad sanctuarium quotannis ascenderunt (similiter ac *Ps.* 121), compositi versiculi sunt.

Duabus imaginibus beatitudinem ad Sion confluentium illustrant (1-3^{a}) eamque ex eo exoriri insinuant, quod Dominus ibi sedem benedictionum constituerit (*v.* 3^{b}).

Psalm. 133. (134). — *Exhortatio ad Dominum nocte celebrandum.*

Sacerdotes Levitaeque (ut videtur) in templo excubantes invitantur, ut etiam nocte Dominum laudent (1-2) invitantibusque apprecatione divinae benedictionis respondent (*v.* 3).

Psalm. 134. (135). — *Dominus magnus prae aliis diis.*

Haud dubie recentiore, forte Esdrae, aetate in usum liturgicum Psalmus est editus, aliis carminibus in auxilium adhibitis (ex. gr. ad *vv.* 15-18 cfr *Ps.* 113^{b},4-8).

Postquam totum populum ad Deum Israel laudandum exhortatus est, quippe qui prae omnibus diis magnus sit (1-5),

poeta eum magnum esse ostendit operibus iis, quae quotidie in rebus naturalibus operetur et olim in Aegypto (6-9) atque iterum in introitu populi in terram promissam operatus sit (10-13).

Eodem deinde modo Dominum nunc populum suum protegere declarans impotentiam idolorum irridet (14-18) ac nova invitatione ad Deum celebrandum carmen terminat (19-21).

Psalm. 135. (136). — *Misericordia Dei omnipotentis celebratur.*

Praecedenti carmini argumento et interdum verbis similis (ad 17-22 cfr *Ps.* 134,10-12), Psalmus hic forma differt, quatenus singulorum versuum alter stichus intercalaris misericordiam praedicat.

Prius bonitas, maiestas, potentia Dei in genere laudantur (1-4);

sequitur autem laus Dei creantis (5-9), potenti manu populum ex Aegypto educentis (10-15), terram promissam ei attribuentis (16-22) atque nunc quoque eum protegentis (23-25);

generali iterum laude Dei carmen clauditur (*v.* 26).

Psalm. 136. (137). — *Exsulum desiderium patriae iterum videndae.*

Ab Alex. et Vulg. Psalmus Davidi quidem, sed simul Ieremiae inscribitur; quare inscriptionem utpote dubiam relinquentes multi eum ab uno ex reducibus conscriptum recte tenent.

Summa repleti tristitia exsules in Babylonia, quamvis ab oppressoribus invitati, laetos Sionis cantus dicere recusarunt (1-3);

neque enim in terra aliena Domino hymnos cantare valuerunt, quasi Ierosolymorum, ubi tota eorum laetitia, essent obliti (4-6).

Huius autem tristitiae, qua olim opprimebantur, nunc recordati reduces Dominum rogant, ut Idumaeos, qui ad civitatem destruendam alios exhortati sint, una cum Babyloniis destructoribus puniat (7-9).

Psalm. 137. (138). — *David de beneficiis acceptis gratias agit.*

Quo tempore hostibus vicinis devictis et aeterni throni promissione accepta divinam liberalitatem clarissime cognoverat, David hunc Psalmum forsitan composuerit.

Toto quippe corde se in sanctuario divinam misericordiam laudaturum promittit, sperans fore ut deinceps quoque preces suae exaudiantur (1-3).

Gentium quoque reges ad Domini laudes invitat, quia viderint, quam fideliter Dominus promissiones suas erga humilem (Davidem) impleverit (4-6).

Carmen autem fiduciae assertione terminat (7.8).

Psalm. 138. (139). — *Omniscius Deus testis innocentiae Davidis.*

Qua in occasione David hoc carmine, Deo teste invocato, innocentiam suam asseruerit, ignoramus.

A divina scientia, cui omnia plane perspecta sint cuiusque limites humanus intellectus non attingat, profitenda exorsus (1-6) Deum ubique quoque praesentem esse neque quidquam se eius conspectui subtrahere posse monet (7-12).

Accuratius deinde se a primis suis initiis Deo, utpote a quo sit factus, totum esse cognitum repetens ei perspectum esse concludit,

solos eius amicos a se in honore haberi (13-18). Quo fundamento posito Deum demum testem appellat, peccatores a se non protegi sed odio haberi seque a via iniquitatis semper abhorruisse (19-24).

PSALM. 139. (140). — *David calumniatoribus suis poenam annuntiat.*

Similiter ac *Ps.* 57. et 63., quibus vicinum est, carmen hoc ad Saulis non minus quam ad Absalomis tempus referri potest.

Dominum enim precatus, ut calumniatorum linguas acutas et venenosas coerceat (2-4) prohibeatque, ne in laqueos ab inimicis positos incidat (5.6.),

David plena cum fiducia petitionis exauditionem exspectat (7-9) adversariisque interitum imprecatur (10-12), non dubitans, quin Deus causam suam, utpote inopis et pauperis, sit suscepturus (13.14).

PSALM. 140. (141). — *Davidis in periculis constituti precatio.*

Uti *Ps.* 62. matutina, ita hic vespertina precatio esse videtur (cfr *v.* 2); utrum vero ad Absalomis rebellionem, an ad Saulis potius insidias hic pertineat, minus certum est.

Exauditionis petitione praemissa (1.2) David auxilium divinum implorat, ne ad murmurationem vel alia peccata abripiatur, protestans se a iustis quidem correptionem admittere, ab omni autem iniustorum societate abhorrere (3-6).

Ipsa autem in precatione certior redditur, adversariorum suorum principes interituros atque reliquos ad bonam frugem redituros; quare quamvis etiamnum cum suis in mortis periculo versetur, nova cum fiducia petitionem auxilii repetit (7-10).

PSALM. 141. (142). — *Deus unicus Davidis adiutor.*

Iuxta inscriptionem (*v.* 1) carmen ad 1 *Reg.* 22,1 sqq. vel 24,1 sqq. referre licet.

In specu quasi inclusus David, quum morti vicino nulla humani auxilii spes affulgeat, ad Deum clamat, cui periculum suum notum sit (2-5) eumque unicam suam esse spem professus liberationem suam ab eo implorat, ut eius nomen celebrare possit suaque salute iusti laetentur (6-8).

PSALM. 142. (143). — *Davidis poenitentis petitio auxilii.*

Alex. et Vulg. Psalmum ad Absalonis tempus apte referunt.

Ad fidelitatem enim divinam appellans David ut exaudiatur petit, quia se coram severo iudice non posse consistere scit (1.2).

Periculum autem, in quo versatur, magnum quidem est, at pristinorum divinorum beneficiorum memor ad Deum, unicum suum protectorem, confugit (3-6)

fidenterque eum rogat, ut propter periculi gravitatem suamque fiduciam, non obstante sua indignitate, cito exaudiatur et non tantum ab inimicis liberetur sed viam quoque, qua coram Deo ambulare debeat, plene cognoscat (7-10).

Demum exauditionis velut certus suam liberationem hostiumque interitum annuntiat (11.12).

PSALM. 143. (144). — *David rex auxilium contra hostes externos implorat.*

Davidi auctori omnes testes Psalmum attribuunt; minus recte autem Alex. et Vulg. eum « contra Goliath » inscribunt, siquidem ad illud tempus referendus est, quo David ab omnibus tribubus rex agnitus, regni sede in Ierusalem translata, a vicinis gentibus impugnabatur (cfr 2 *Reg.* 5,17 sqq.).

A Deo adiutore suo, qui ei totum populum subiecit, benedicendo exorsus (1.2)

hominis debilitati divinam potentiam opponens (3-6) Dominum precatur, ut illam contra perversos suos hostes manifestet, ei utpote redemtori suo simul novam gratiarum actionem promittens (7-10).

Eandem deinde precationem repetit externam hostium felicitatem, quibus confidant, describens (11-14),

ut ultimo demum epiphonemate haec quidem ab aliis pro populi felicitate haberi, se autem beatum illum solum populum praedicare asserat, cui Dominus sit Deus (*v.* 15).

PSALM. 144. (145). — *Laus divinae maiestatis et benignitatis.*

Ultimus hic est inter Psalmos, qui Davidi auctori inscribuntur; qua occasione sit exortus, ignoratur; quum sit alphabeticus, sententiarum nexus laxior est.

Semper se Deum regem suum celebraturum promittens praeprimis eius maiestatem potentiamque praedicat, cuius opera omnes generationes sint annuntiaturae (1-7);

sequitur misericordiae aeternique regni eius laudatio (8-14)

ac demum benignitatis, quae omnes quidem creaturas benedictione impleat, maxime tamen ad eos se extendat, qui eum invocant et diligunt (15-21).

PSALM. 145. (146). — *Beatus qui Domino confidit.*

Inscriptione « Aggaei et Zachariae », quam Alex. Syr. Vulg. exhibent, Psalmus illi tempori attribui videtur, quo reduces vicinorum principum machinationibus a restituendo templo impediebantur; idque recte.

Sese ipsum enim ad Dei laudem exhortatus omnes monet, ne in principibus perituris, qui nihil valeant, fiduciam suam ponant (1-4), beatumque praedicat eos, qui solo Deo confidant, quippe qui pro potentia ac fidelitate sua iustos afflictos adiuvet, peccatores autem disperdat (5-9), cuiusque regnum sit aeternum (*v.* 10).

PSALM. 146. (147ª). — *Laus Deo restitutori Israelis.*

Hic Psalmus cum sequente a Massorethis in unum contrahitur (uti etiam versuum enumeratione Vulg. indicat), at non satis recte; quamvis enim simile, diversum tamen est utriusque argumentum, quum prior proxime de populi Israel, alter de civitatis Ierusalem restauratione agat;

diversum quoque originis tempus indicari videtur, quatenus 146,8. 9. aestas et auctumnus, 147,15-17 hiems et ver describuntur. Ambo tamen eidem poetae, qui Nehemiae tempore vixit, attribui possunt.

Noster igitur Dominum celebrari iubet, qui populum dispersum in civitatem restitutam congregaverit eiusque plagas sanaverit pro sua sapientia, potentia ac misericordia (1-6)

quique etiam congregatos nunc nutriat et conservet ostendens sibi non opes, sed pietatem hominum placere (7-11).

PSALM. 147. (147ᵇ). — *Laus Deo restitutori Ierusalem.*

Ierusalem ad Dominum laudandum invitatur, quia ab eo muris portisque sit confortata atque pace opibusque ditata (12-14);

solo autem verbo suo Dominus id effecit, sicut etiam verbo suo hieme depulsa ver reducit (15-18), idque effecit, quum Israeli prae aliis nationibus suam Legem manifestaret (19.20).

PSALM. 148. — *Omnes creaturae creatorem suum laudent.*

Cui auctori hic Psalmus aeque ac duo sequentes, qui in Laudibus in unum contrahi solent, debeantur, non constat; in usum autem liturgicum procul dubio sunt compositi.

In hoc carmine psalmista similiter ac tres iuvenes in camino ignis (*Dan.* 3,57 sqq.), omnes creaturas ad divinas laudes canendas invitat.

Incipit autem a coelis et coelestibus, a nobilioribus ad minus nobiles descendens, atque velut laudis rationem indicat, quod a Deo sint creatae ab eoque gubernentur (1-6).

Ad terram deinde veniens quodammodo ordine inverso a minus nobilibus ad nobiliores creaturas progreditur (7,12).

Carmen demum duobus tristichis terminat, quibus omnes Dominum praedicare iubet, quia maiestatem suam in coelo et terra manifestaverit et populum suum exaltaverit (13.14).

PSALM. 149. — *Israel regem ducemque suum laudet.*

Cum gaudio Israel regem suum novo cantico celebret, quippe qui se populum suum diligere ostendat (1-4);

in eo autem laetantes arma simul gerant, ut iuxta divinum praeceptum illis in Scriptura datum gentes regno divino subiiciant (5-9).

PSALM. 150. — *Laus divinae maiestati.*

Ultimus Psalmus doxologiis quodammodo respondens, quibus quatuor priores Psalterii libri clauduntur, omnibus instrumentis musicis Deum magnum ac potentem ac misericordem in sanctuario laudari iubet (1-6).

3. — *Liber Proverbiorum.*

Psalterium davidicum tres Salomonis regis libri sequuntur, inter quos primum locum collectio quaedam tenet maiorum carminum ac versuum didacticorum, quibus sapientissimus rex de variis officiis hominis erga Deum et maxime erga proximos et erga se ipsum agens veram sapientiam practicam docet saluberrimisque praeceptis inculcat et commendat. Unde opus ab antiquioribus Patribus graecis ἡ πανάρετος σοφία (*Sapientia ad omnem virtutem inducens*) vel ἡ παιδαγωγικὴ σοφία (*Sapientia iuvenes erudiens*) meritissimo appellabatur. Quoniam singula carmina, quin etiam in maiore libri parte singulae sententiae quasi in se ipsis orbem faciunt neque cum praecedentibus neque cum sequentibus interno nexu cohaerent, mere externa libri divisio proponi potest. Iamvero ad inscriptiones attendentes (1,1; 10,1; 25,1) tres quidem partes plerique distinguunt; attamen duae priores inter se intimius connectuntur et cum suis appendicibus primigenium opus a Salomone ipso adornatum constituere recte dicuntur; tertia autem duabus recentioribus salomonicorum poematum collectionibus constat quae primitivo operi tempore Ezechiae additae videntur. Itaque duo quodammodo opuscula distinguimus, quorum prius est tripartitum, alterum bipartitum.

Collectio Proverbiorum a Salomone ipso adornata (1,1-24,34).

Exordium (1,1-7) titulum (1,1), finem (1,2-6) summumque argumentum (1,7) operis exhibet.

Sectio prima (1,8-9,18) *undecim carminibus veram sapientiam commendat* atque hac ratione *introductio* quaedam est ad sapientiae praecepta.

1. — *Primum carmen generalis invitatio est ad sapientium audiendam* (1,8-33).

Brevi enim exhortatione ad parentum doctrinam sequendam praemissa (1,8.9), sapientiae studiosus monetur,

ut impiorum, qui proximis malum inferre student, consortium evitet (1,10-14), quippe quod ad interitum adducat (1,15-19),

sapientiae vero invitanti obsequatur, quae peccatores non adiutura, sed potius perniciei ignominiosae, in quam ruant, derelictura sit (1,20-33).

2. — *Tria quae sequuntur carmina fructus, quos sapientia secum affert, commendant* (2,1-3,35).

a.) Nam in *secundo* (2,1-22) promittitur fore, ut is, qui sectatur

sapientiam, eam consequatur (2,1-9) et per eam a peccatoribus (2,10-15) et maxime a pravarum mulierum consortio protegatur (2,16-19), atque ita praemia iustorum adipiscatur (2,20-22);

b.) in *tertio* (3,1-20) autem veram sapientiam, quae in subiectione plena sub manu Domini consistit, omnia bona afferre (3,1-12) ideoque omnibus aliis bonis esse pretiosiorem ostenditur (3,13-20);

c.) atque *quartum* (3,21-35) sapienti protectionem divinam promittit (3,21-26), quia Deus peccatores abominetur, iustos autem diligat (3,27-35).

3. — *Ad quam commendationem confirmandam auctor in quinto carmine* (4,1-27) *similia patris sui praecepta repetit.*

Quum enim dilectus esset parentum suorum filius (4,1-3), monitus est a patre suo, ut sapientiam velut bonum pretiosissimum sibi acquirere studeret (4,4-9),

viam pietatis persequens a peccatorum consortio caveret, quia eorum via ad interitum duceret (4,10-19),

neve ad dexteram aut ad sinistram declinaret (4,20-27).

4. — *Ad singula deinde descendens quatuor carminibus* (5,1-7,27) *ea exponit, quae praecipue sint vitanda.*

Inter quae primum locum tenet impudicitia, de qua in tribus carminibus agit; namque

a.) in *sexto* (5,1-23) meretricum consortium vitandum docet; meretrices enim blandiuntur, ut ad perniciem hominem adducant (5,1-6), consortium earum aufert honorem, vires, opes (5,7-14); sua igitur uxore contentus sit vir (5,15-20), nam Dominus peccata novit et punit (5,21-23).

b.) In *septimo* (6,1-19) deinde sollicite cavendum esse docet, ne quis levi animo pro alio spondeat (6,1-5), neve pigritiae sese dedat (6,6-11), neve fraudibus aut alio modo proximis noceat (6,12-19)[1];

c.) in *octavo* (6,20-35) porro praecepta parentum esse audienda sapientia monet (6,20-23), ut illis auditis homo luxuriam (6,24-28) et adulterium fugiat, cuius gravissimae sint sequelae (6,29-35).

d.) *Nonum* (7,1-27) quoque sapientiam esse acquirendam asserit, ut vitetur luxuria (7.1-5);

iusta praeterea parabola proposita auctor ostendit, quibus artibus meretrices incautos seducant (7,6-23), atque gravissimo monito eam terminat (7.24-27).

(1) Quoniam tria haec monita interno nexu colligari non videntur, alii tria esse carmina forte rectius statuunt.

3. — *Duobus ultimis carminibus* (8,1-9,18) iterum ad sapientiam sectandam auctor exhortatur, at longe altiore modo, quam in prioribus huius partis carminibus; ita enim eam describit, ut non sit dubium, quin Sapientiam hypostaticam, i. e. Verbum Dei, ante oculos habeat.

a.) *Carmen decimum* (8,1-36) igitur inducit Sapientiam aeternam omnes ad suam sequelam invitantem.

Praemisso quippe prooemio, in quo magnam et veram esse suam doctrinam asserit (8,1-11),

Sapientia describit bona quae secum affert (8,12-21),

aeternam suam a Deo originem praedicans (8,22-31) beatosque dicit illos, qui se sint inventuri (8,32-36).

b.) *Undecimum* (9,1-18) demum

sub allegoria invitationis ad duo convivia, ad convivium Sapientiae (9,1-12) et ad convivium insipientiae (9,13-18), ostendit hominem, si priorem invitationem sequatur, futurum esse felicem, sed infelicem, si alteri obsequatur.

II. SECTIO SECUNDA (10,1-22,16) *multa exhibet vitae praecepta viro sapienti observanda.*

Inscriptione sua (*Proverbia Salomonis*) haec sectio sese, si ita dicere fas est, corpus esse prodit primitivi operis salomonici.

Praecepta autem, quae unico fere disticho eoque plerumque antithetico (maxime cpp. 10-15.) proponuntur, de diversissimis rebus agunt neque tantum virtutes in vita quum privata tum publica sectandas commendant et vitia opposita vitari iubent, sed etiam res oeconomicas similesque interdum attingunt. Certo ordine non videntur disposita, ita ut accurata huius sectionis analysis tradi nequeat[1].

(1) *Lesètre* (Le Livre des Proverbes. Paris 1879. p. 30) cum *Zoeckler* (Die Sprüche Salomons. Bielefeld 1867. p. 29), hoc ordine ea disponere vult :

1. Distinction entre les hommes religieux et les impies, le sort réservé à chacun dans l'une et l'autre vie (10-15).
   A. Comparaison des justes et des impies, dans leur conduite générale (10).
   B. Comparaison entre les heureuses suites de la piété et les châtiments du vice :
      a.) par rapport au juste et à l'injuste et à la conduite vis-à-vis du prochain (11);
      b.) par rapport à la vie domestique et sociale (12);
      c.) par rapport à l'usage des biens temporels, et de la parole de Dieu, considérée comme le plus grand bien (13);
      d.) par rapport aux relations entre sages et insensés, riches et pauvres, maîtres et serviteurs (14);
      e.) par rapport à diverses circonstances de la vie et au service de Dieu en particulier (15).
2. Exhortations à servir Dieu par la pratique des vertus :
   a.) la confiance en Dieu, sage ordonnateur et gouverneur du monde (16);
   b.) la frugalité et l'amour de la paix (17);
   c.) la concorde, la fidélité, et les vertus civiles (18);
   d.) l'humilité et la douceur (19);

III. SECTIO TERTIA (22,17-23,34) *velut primigenii operis epilogus praecepta tradita inculcat*, quae in prima sectione sapientiae commendatione quasi praeparabantur; neque distichis separatis, sicut altera sectio, sed primae similis longioribus carminibus fere tota constat.

1. — *Praeprimis autem auctor ad superiora praecepta respiciens lectores exhortatur, ut sapientium verba audiant ad eaque attendant* (22,17-21).

2. — *Longius deinde sequitur carmen* (22,22-23,14), *quo varia hominis erga proximum officia inculcantur :*

malum non esse inferendum pauperi (2,22.23);

cavendum ab iracundorum et eorum societate, qui levi animo pro aliis spondent (22,24-28);

caute agendum cum principibus neque quaerendas divitias (22,29-23,5);

invidorum stultorumque commercium vitandum (23,6-9);

curam habendam orphanorum et filiorum (23,10-14).

3. — *Tribus strophis septenorum versuum* (23,15-35) *sapienti vitandam esse ebrietatem docetur.*

Postquam enim *prima* in genere declaravit, quo sapienti hominem adducat et quo ebrietas (23,15-21),

altera in sapientia laudanda versatur (23,22-28),

tertia autem lectorem ab ebrietate absterret (23,29-35).

4. — *Exhortatione ad sapientiam epilogus terminatur* (24,1-22).

Praemisso monito, ut impiorum consortium vitetur (24,1.2)

auctor sapientiam omnia bona praestare virumque tam fortem reddere docet, ut etiam proximum e periculis eripere valeat (24,3-12);

sectetur ergo homo sapientiam et abstineat a malo aliis inferendo, quia Deus omnes est iudicaturus (24,13-24).

5. — Pro *appendice* operi terminato additae sunt gnomae quaedam inscriptae : *hae quoque sunt sapientibus* (sapientium?), quibus iustitia erga proximos commendatur (24,23-29) et pigritia reprobatur (24,30-34).

COLLECTIONES RECENTIORES DIDACTICORUM POEMATUM SALOMONIS (25,1-31,31).

I. *Proverbia Salomonis, quae transtulerunt* (i. e. collegerunt operique primitivo adiunxerunt) *viri Ezechiae regis* (25,1-29,27).

e.) la fuite des vices; ivresse, paresse, jalousie (20);

f.) la justice, la miséricorde, et la docilité à la conduite de la patience (21);

g.) l'acquisition et la conservation de la bonne renommée (22,1-16).

Dubito autem vehementer, an haec argumentorum enumeratio, si eam cum textu comparaverit, cuiquam probetur.

Tota haec collectio secundae sectioni operis a Salomone ipso adornati respondet; variis enim constat vitae praeceptis, quae pleraque disticho proponuntur; in priore tamen opere gnomae, in hac collectione similitudines praevalent, ita ut eius sententiae ad parabolicum genus propius accedant. Ceterum certus ordo observatus non est, licet nonnullae adsint series sententiarum, quae de eodem aut de simili argumento agunt (cfr 26,1-12 de insipientibus; 26,13-16 de pigris; 26,18-28 de peccatis linguae etc.); quare ab accuratiore analysi abstinemus [1].

II. *Tria opuscula didactica* totum opus terminant (30,1-31,31), quae omnia quidem antiquitus Salomoni auctori attribuebantur, quorum duo priora tamen ab aliis conscripta et ob formae tantum similitudinem salomonico operi aut a viris Ezechiae aut ab Esdra addita esse hodie plerique, ut videtur recte, tenent.

1. — *Verba Congregantis, filii Vomentis* (vel potius iuxta textum hebr.: *Verba Agur, filii Iake*. 30,1-33).
   Inscriptio praemissa (30,1) auctor ignorantiae humanae divinam scientiam opponit (30,2-6) ac deinde sententias nonnullas affert, quae pleraeque artificio numerorum contextae de variis rebus agunt (30,7-33).
2. — *Verba Lamuelis regis* (31,1-9) paucis gnomis nonnulla, quae regibus vitanda vel facienda sunt, praecipiunt.
3. — *Carmen alphabeticum de muliere forti* (31,10-31), quod Salomoni attribuimus, mulierem, quae fidelis marito suo (31,10-12) sollicitam domesticorum suorum ac pauperum curam gerit (31-13-23), dignam praedicat, quae ab externis, a filiis, a marito suo laudibus celebretur (31,24-31).

4. — *Ecclesiastes*.

Alter Salomonis liber in canonem receptus *Ecclesiastes* (concionator) vel completo suo titulo *Verba Ecclesiastae* (concionatoris), *filii David*, *regis Ierusalem* inscribitur. Id autem sapientissimus rex in hac concione agit, ut sollicitis turbidisque studiis, quibus homines invito Deo felicitatem in rerum mundanarum blanditiis quaerunt, tamquam vanis reprobatis veram felicitatem, qua hac in terra frui possunt, Dei praeprimis timore mandatorumque eius observatione atque

1. *Lesètre* (l. c.) et *Zoeckler*, hanc proponunt distributionem gnomarum haud satis, ni fallor, accuratam :

La vraie sagesse proposée comme le plus grand bien des rois et des sujets (25-29).
1. Les rois et les sujets sont exhortés à la crainte de Dieu et à la justice (25).
2. Différentes recommandations :
   a.) sur ceux qui ne méritent aucune estime, insensés, paresseux, méchants (26);
   b.) sur la vanité et l'orgueil (27) avec une exhortation à la prudence pour les agriculteurs (27,23-27);
   c.) sur l'iniquité des grands envers les petits (28);
   d.) sur l'opiniâtreté, provenant du manque de correction (29).

bonorum illorum, quae Deus ipse (iustis velut praemia virtutis) iuxta providentiae suae ordinem concedit, pio et quieto usu contineri demonstret. Neque tamen docta argumentatione neque oratione ad omnes artis rhetoricae regulas composita hanc thesin suam explicat, sed uti facere fere solent, qui de re aliqua ex tempore dicere iubentur, noster quoque concionator varias de felicitate hac in terra obtinenda sententias illo proponit ordine, quo animo eius sese offerebant, nonnullis interdum insertis, quae etsi ad argumentum minus pertineant neque cum eo arcte connectantur, illa in occasione ei videbantur opportuna.

Duas porro partes apte distinguimus, quarum prior magis in rerum mundanarum vanitate demonstranda versatur (1,2-7,1), altera in iis praecipiendis, quibus ad felicitatem hac in terra pervenitur (7,2-12,8). Quia autem Salomon, uti diximus, solutiore ac liberiore quadam per gnomas docendi praecipiendique ratione utitur, accuratus omnium sententiarum nexus indicari nequit.

Libri inscriptione praemissa (1,1) Ecclesiastes

I. IN PRIORE PARTE (1,2-6,12 [7,1]) *vanitatem rerum mundanarum demonstrat, ut inquieto eorum studio represso hominem ad quietum piumque earum rerum, quas Deus pro sua providentia ei concessit, usum adducat.*

1. — *A generali exorsus consideratione de rerum omnium vanitate* (1,2.3), quae iam ex mutabilitate et inconstantia quum creaturarum omnium (1,4-8) tum fatorum hominis elucet (1,9-11),

2. — *ad suam ipsius experientiam provocat* (1,12-3,22), ut thesin suam demonstret.

a.) Etenim praeprimis vanam esse rerum humanarum investigationem cognovit, quandoquidem scientia ista, quum res, quas perversas esse docet, corrigere nequeat, animi dolorem non leniat sed augeat (1,12-18);

vanas quoque esse intellexit delicias, quas omni modo quaesivit, etsi cum sapientia earum usus coniunctus sit[1], quia omnes sint transitoriae et caducae (2,1-11).

b.) Accuratius porro inquirens, cur nec sapientia nec stultitia (i. e. deliciarum usus) hominem felicem reddant, invenit sapientiam quidem infinities praestare stultitiae; at quoniam tandem aliquando sapiens, sicut stultus, mori debeat, eam quoque esse transitoriam (2,12-17);

multo magis autem vanum esse studium illius, qui magno

1. Non tria distinguenda sunt Ecclesiastae experimenta (sapientia, deliciae, sapientia cum deliciis coniuncta), sed duo tantum : sapientia et sapientia una cum deliciis. Sicut enim 1,12-14 experientiam priorem in genere proponit atque 15-18 accuratius explicat, ita etiam 2,1. 2. alteram prius proponit ac dein 3-11 explanat. In 2,3 Vulgatam rectius relinquere nobis videmur, ut textum hebraicum sequamur, quem S. Hieron. quoque in Commentario expressit cuiusque sensus est : Decrevi corpus meum vino (i. e. deliciis) laetificare, ita tamen ut cor meum retineret sapientiam, et tradere me stultitiae (i. e. deliciarum fruitioni), donec viderem etc.

cum labore opes congreget in utilitatem heredis, qui qualis futurus sit ignoratur (2,18-23).

c.) Unde eius conclusio : melius est bonis a Deo concessis sapienter frui[1] (2,24-26).

Quam conclusionem duplici consideratione confirmat :

α. — Omnibus hac in terra a Deo suum assignatum est certum tempus (3,1-8) neque in hominis potestate est quocumque suo labore hunc providentiae ordinem invertere (3,9-11) ; quapropter sollicita eius pervestigatione animum suum ne excruciet, sed pie et quiete iis fruatur, quae a Deo accepit (3,12-15) ;

β. — Iniustitia nunc quidem inter homines regnum tenet, at aliquando Deus de omnibus iustum iudicium aget; licet igitur nunc inter iustum et iniustum differentia non appareat, quin etiam idem hominis et bestiae videatur esse exitus, sua tamen sorte contentus homo bonis a Deo sibi concessis fruatur curiositatemque deponat eorum, quae cognoscere non valet (3,16-22).

3. — Hucusque Ecclesiastes ex mutabilitate ac futilitate rerum illarum, quae velut bonae vulgo appetuntur, argumentatus est; ulterius autem progrediens eandem conclusionem practicam derivari ostendit *ex calamitatum, quibus homines hac in terra subiecti sint, consideratione* (4,1-7,1).

a.) Quem in finem varias calamitates enumerare incipit (4,1-16),

α. — inferiorum, qui a potentioribus opprimuntur (4,1-3),

β. — eorum, qui aut nimio labore invidiam aliorum provocant aut pigritia sua sibi ipsi nocent (4,4-6)[2],

γ. — eorum, qui ab aliorum societate se retrahunt, ut calamitates effugiant (4,7-12),

δ. — regum quoque, qui interdum ab aemulo e throno deiiciuntur, interdum ab initio quidem ab omnibus amantur, postea tamen gratiam populi amittunt (4,13-16).

b.) Enumeratione autem interrupta in digressione quadam[3] Ecclesiastes nonnulla inserit de levitate in cultu divino vi-

1. In 2,25, Vulgata et textu massorethico relictis, cum *Alex.*, *Syr.*, *Hieron.* (Comm.), melius interpretamur : « quis enim comedit et fruitur sine eo (sc. Deo) ».

2. In fine 4,5 *Vulg.* immerito addit : « *dicens* », ac si *v.* 6. sequerentur verba stulti. Sunt enim, uti recte *S. Hieron.* (in Comment.) adnotat, auctoris ipsius verba : nam infelicitati quum illius, qui nimio suo labore invidiam provocat, tum stulti, qui se ipse perdit, opponit felicitatem sapientis, qui mediam viam tenet.

3. Internus nexus digressionis cum praecedentibus in eo videtur esse, quod levitas illa, qua homines erga reges suos agunt, Ecclesiastae graviorem illam levitatem in mentem revocaverit, qua homines in cultu divino interdum duci se sinunt, quum victimas quidem offerant, sed Legem non observent (4,17), atque vota quidem faciant, sed vanis excusationibus a religiosa eorum impletione se liberare conentur (5,1-6). Ad thema au-

tanda (4,17-5,6), et de Deo timendo, qui innocentium oppressores sit iudicaturus (5,7.8).

c.) Atque ad thema reversus proponit calamitates, quas divitiae et opes ipsae praesertim avaris afferunt (5,9-16), quum eis non prosint, sed curas eorum augeant (5,9-11), haud raro quoque subito pereant atque certissime omnibus una cum vita sint relinquendae (5,12-16).

d.) Unde merito concludit homini bonis a Deo concessis tamquam donis divinis esse utendum (5,17-19), conclusionemque confirmat infelicitate eius descripta, qui in aliorum tantum utilitatem laborat (6,1-7,1[6,12])

II. In altera parte (7,2[1] — 12,8) *Ecclesiastes positiva tradit praecepta, quibus homo eo adducitur, ut sorte sua contentus degat iisque, quae Deus dedit, quietus fruatur.*

Quae praecepta aphoristico quodam modo pleraque proponuntur, ita ut arctior quidam nexus inter singulas gnomas et singula praecepta vix ac ne vix quidem inveniatur.

1. — *Prima praecepta in omnibus rebus finem esse respiciendum et ex eo omnia diiudicanda docent*, ideoque ea non esse praeferenda, quae in praesenti iucundiora esse videantur (7,2-11).

2. — *A quibus ad sapientiam commendandam transit* (7,12-8,1), quippe quae

a.) omnibus aliis bonis praestet (7,12-13), omnia, adversa et prospera, velut dona Dei recipiat (7,14.15), in omnibus extrema vitari iubeat (7,16-19);

b.) at hominem etiam in adversis confortet; etenim si ex ipsius peccato calamitates exoriantur, sapientiam ei afferre remedium; si alii eum persequantur, sapientiam eum verba illorum contemnere docere (7,20-23);

c.) qui porro diligentius eam quaerat, eum etiam periculosum esse mulierum consortium intelligere (7,24-29);
unde merito laudatur, qui eam invenerit (7,30; 8,1).

3. — *Antequam sapientiam commendare pergit, praeceptum suum de sapienti vitae usu et fructu duabus novis rationibus confirmat* (8,1-9,12).

a.) Ab obedientia regi Deo[1] praestanda ac praeceptis divinis item revertitur praecepto addito de Deo velut summo rege et oppressorum iudice timendo (5,7. 8) : ita enim duos ultimos versus interpretandos censemus.

1. Quisnam *rex* sit intelligendus dissentiunt interpretes; plerique moderni intelligunt regem hominem, at quid sibi is velit in hoc contextu, non apparet; *S. Hieron.* intellexit regem Messiam, at suam sententiam nulla ratione probabilem reddidit; rectius intelligitur rex Deus; nam quin 8,5 sqq. de praecepto divino agatur, vix est dubium, quare de Deo praecipiente etiam praecedentia aptius explicantur. Ceterum adnota 8,2 vertendum esse : « Ego (dico) : os regis observa, idque propter iuramentum Dei » (sc.

plendis, ne quid mali patiatur homo in die mortis, qui non est in eius potestate, initium sumens (8,1-8)

b.) demonstrat non omnia quidem mala statim puniri nec omnia bona statim praemiari, ita ut eadem iustorum et peccatorum sors esse videatur; at certum esse futurum de omnibus iustum iudicium (8,9-14);

quare melius esse concludit, sapientem, quum haec certo sciat, bonis a Deo concessis frui, quoniam providentiae ordinem a Deo stabilitum *intelligere* nequeat (8,15-17).

c.) Similis est altera ratio. Omnia incerta esse monet in hac vita; quare quum iustus et iniustus iisdem malis saepe in terra affligantur, eadem ratione moriantur, in altera autem vita homo operari non amplius possit (9,1-6),

lectores bonis a Deo datis ita frui iubet, ut bona opera non negligant (9,7-10), idque eo magis, quia providentiae ordinem a Deo stabilitum *mutare* nequeant (9,11.12).

4. — Ne quis vero ex eo, quod sapiens ipse providentiae ordinem neque intelligere nec mutare possit, sapientiam inutilem nec ullius pretii esse temere et inconsiderate concludat, *ad sapientiam commendandam revertitur* (9,13-10,20).

a.) Atque primum quidem parabola quadam sapientiam fortitudini praestare docet (9,13-16), neque mirum esse monet, quod in paupere non aestimetur, siquidem unus peccator[1] multa bona destruere possit atque stultitia parva (apud multitudinem) plus valeat, quam sapientia et honor (9,16-10,1).

b.) Deinde sapientiam cum stultitia comparans ostendit,

α. — sapientem aptum esse ad res agendas, stultum autem ubique suam stultitiam prodere[2] (10,2.3.);

β. — sapientem nec ob superioris iram nec ob eius errores (si hic stultum praeferat) tranquillitatem animi amittere, quia mansuetudine[3] multa impediri scit peccata (10,4-7);

γ. — stultum, quia nihil praevideat, multis exponi periculis, sapientem autem eo quod cuncta praevideat sibi omnem laborem reddere faciliorem (10,8-11);

Deo praestitum). *S. Hieron.* hanc esse communiorem versionem concedit (in Comment.), sed novam suam praetulit, quia « *putavit* de illo rege nunc dici, de quo David ait : Domine, in virtute tua laetabitur rex » etc.

1. Rectius *S. Hieron.* in Comment. 9,18 : « *unus peccans* », quam Vulg. « *qui in uno peccaverit* ».

2. *S. Hier.* in Comm. 10,3 (cum plerisque modernis) « et dicit : omnis insipiens est », sed rectius, ni fallor, vertitur : « *et dicit omni, quod insipiens ipse sit* » (omnibus stultitiam suam manifestat).

3. *V.* 4 pro *curatio* in Comment. *S. Hier.* legit *sanitas;* melius autem iuxta *Prov.* 15,4 legimus *mansuetudo.*

δ. — sapientis porro verba esse gratiosa, stulti verba insipida et perniciosa (10,12-14);

ε. — stultos demum reges et principes terram suam perdere, at beatam iure praedicari terram, quae a sapientibus gubernetur (10,15-20).

5. — *Ad finem tandem concionem suam adducens* (11,1-12,8)

a.) omnibus ob temporis futuri et horae mortis incertitudinem praecipit sapientem salutaremque quum rerum cunctarum tum temporis praesentis usum (11,1-8),

b.) iuvenibus autem, ut vita fruantur permittit (11,9.10), modo creatoris sui memores maneant, neque senectutis futurae molestias (quas facete describit) mortemque venturam oblivioni dent (12,1-7),

c.) atque concioni suae tandem finem imponit omnimoda rerum mundanarum vanitate denuo asserta (12,8).

Libri epilogus concionem commendat praeceptaque, quae de rebus fruendis tradita sunt, hoc epiphonemate comprehendit et explicat : « *Deum time et mandata eius observa; hoc est enim omnis homo; et cuncta, quae fiunt, Deus adducit in iudicium* » (12,9-14).

5. — *Canticum Canticorum Salomonis.*

Tertius Salomonis liber in canonem receptus, qui ob formae pulchritudinem argumentique sublimitatem iure merito inscribitur *Canticum Canticorum*, i. e. canticum in suo genere perfectissimum, iuxta communem Patrum omniumque fere iuniorum cathol. interpretum sententiam per omnes suas partes allegoricus est atque simili modo, quo parabolae Domini, proprio sensu caret. Aliud quippe dicens et aliud significans Salomon mutuorum, quos in hoc carmine sponsus sponsaque ardentibus colloquiis exprimunt, amorum involucro mysticas Christi sponsi et Eclesiae sponsae nuptias celebravit, vel rectius coniunctionem qua Iahve populum electum secum copulavit ita descripsit, ut carmen sensum suum plenum non nisi in intimiore ac sublimiore Domini cum sua Ecclesia unione inveniat, cuius unionis imperfecta figura coniunctio Dei cum populo Israel fuit. Per sensum porro quem vocant consequentem Canticum simul de Domini unione cum quavis anima sancta ac praesertim cum B. Virgine ab haud paucis aptissime explicatur.

Quamquam autem de universo argumento inter catholicos fere convenit, in illo tamen accuratius definiendo, quum singulas paene allegorias aliis atque aliis modis interpretentur, in diversissimas sententias discedunt, et quia ab argumenti descriptione analysis libri tota dependet, mirum non est, quod paene tot inveniantur Cantici partitiones, quot eius interpretes. Iamvero quoniam hoc in loco munere interpretis fungi nobis non licet, sine interpretatione autem argumentum genuinis limitibus circumscribi nequit, tres alienas synopses, quae auctorum nominibus commendari videntur, quam nostram propriam proponere malumus, quamvis nulla ex iis omni ex parte nobis probetur.

I. Iuxta S. Thomae Aq. alteram expositionem in Canticum Cant.[1] « intentio principalis operis huius est exprimere mutua desideria inter sponsum et sponsam, sive inter Christum et Ecclesiam » idque secundum tres Ecclesiae status, *primitivum, praesentem, futurum.*

1. — *Christus et Ecclesia primitiva* (1,1-3,6).

a.) Ecclesia nascens dulcedines divinas degustare desiderat eiusque desiderium impletur, quum in cellaria divinae gratiae inducatur (1,1-3);

b.) tribulationes porro a Iudaeis et gentibus profectas timens ob suum timorem leniter a Domino reprehenditur; unde nova cum fiducia eum amplectitur (1,4-16);

c.) sollicitudine deinde administrandorum filiorum suorum multisque insidiis haereticorum turbata a Christo ut flores virtutum potius producat debelletque haereticos invitatur; cui invitationi obsecuta eum rogat, ut ad auxilium sibi afferendum saepe revertatur (2,1-17);

d.) sua demum solitudine turbata Sponsum, ut ab internis quoque tribulationibus liberetur, per noctem quaerere cogitur, usque dum inventi societate iterum fruatur (3,1-5);

e.) laude autem Ecclesiae nascentis prima pars terminatur (3,6).

2. — *Christus et Ecclesia adulta seu praesens* (3,7-6,9).

a.) Ecclesia adulta relate ad statum quietis seu contemplationis adipiscendum ac perfruendum necessarium sibi esse docetur, ut se totam Christo tradat, quippe a quo omnia sint bona, incipientium, proficientium, perfectorum (3,7-11), deinde ut sese, quanto sit pulchrior, tanto citius a mundi sordibus avertat (4,1-9), tandem ut gratiarum abundantia ad tentationes vincendas utatur (4,10-16). Quae ut facere possit, Sponsa a Sponso gratiam petit et obtinet (5,1).

b.) Activus porro Ecclesiae praesentis status describitur. — Ecclesia videlicet ex contemplationis quiete excitata, quum moras quaerat, fortius a Sponso attrahitur, ita ut eum per maximas difficultates quaerat (5,2-7), eiusque desiderio aestuans nondum inventum laudibus celebret (5,8-16), invento autem se totam tradat (5,17-6,2).

c.) Adultae Ecclesiae laude pars altera terminatur (6,3-9).

3. — *Christus et Ecclesia futura post synagogae infidelis conversionem* (6,10-8,14).

a.) Synagoga quae ignorantiam suam protendit, a Christo ut ad se redeat invitatur (6,10-12) eique pulchritudo, quam per Christum assecutura sit, proponitur (7,1-9).

(1) *S. Thom.* Opp. XVIII. Parisiis 1872. p. 611 sqq.; cfr *G. Gietmann* S. I. Comment. in Ecclesiasten et Canticum Cant. Parisiis 1890. p. 355 sqq.

b.) Invitationi, postquam Christi petiit auxilium, libenter obsequitur (7,10-13) atque incarnationem professa ob suam pulchritudinem ipsa quoque laudibus ornatur (8,1-5ª);

c) Demum Ecclesia beneficii a Christo accepti memor ei perpetuam dilectionem exhibere synagogamque nuper conversam adiuvare iubetur (8,5ᵇ-14).

II. Iuxta Cornelium a Lap. (Prolegomena in Canticum Cant.) Salomon amores, gratias beneficiaque recenset Ecclesiae Sponsae a primis eius initiis usque ad finem mundi per Christum Sponsum collata; pro quinque autem quas distinguit Ecclesiae aetatibus quinque statuit libri partes.

1. — Ab initio nuptiae Christi celebrantur cum humanitate per incarnationem et cum nascente Ecclesia per fidem et caritatem (1,1-2,7); infantia ergo Ecclesiae ab ortu et praedicatione Christi usque ad primam pentecosten post eius passionem respicitur.
2. — Post quae de Ecclesiae propagatione et incrementis agitur (2,8-3,6), seu de eius adolescentia, quae a prima pentecoste, quum Evangelium Iudaeis ac postea maiore cum fructu gentibus praedicari coeptum est, initium sumsit et sese usque ad Constantini aetatem extendit.
3. — Sequitur Ecclesiae plenitudo eiusque quasi in culmine positae summa exaltatio et perfectio (3,7-5,1), seu virilis eius aetas tempore ipsius Constantini, quando per totum mundum iam splendescere eius pulchritudo coepit.
4. — Deinde Ecclesiae veterascentis in senium inclinatio describitur (5,2-6,2), quae initium habuit post Constantinum grassantibus Arianis, Nestorianis multisque aliis haereticis atque nunc quoque perdurat.
5. — Quinta demum pars de Ecclesiae renovatione, ad summam perfectionem restitutione, eiusque in coelis glorificatione tractat (6,3-8, 14). Renovatio autem haec fieri iam coepta est inde a Constantini aetate per magnos Patres; continuatur autem per eorum successores usque ad mundi finem, quando in die iudicii Ecclesia consummabitur et glorificabitur.

III. Iuxta G. Gietmann (Comment. in Eccle. et Canticum Cant. Parisiis 1890. p. 337 sqq.) Ecclesiae cum Christo coniunctio caritatisque necessitudo imagine sponsalis amoris tribus partibus ita describitur, ut primum de Sponsae praeparatione, deinde de ipsa eius desponsatione, demum de eius laboribus fructibusque agatur, usquedum tandem in coelum assumatur.

1. — *Sponsae praeparatio* (1,1-3,5).

a.) Sponsa adventum divini Sponsi ardenter efflagitat (1,1-7); eo autem repente adveniente et quo loco eam sit habitura decla-

rante *consolatione repletur* eiusque praesentia semper frui desiderat (1,8-2,7);

b.) Mox autem Sponsa a Sponso iterum adveniente *ad laborem invitatur* seque ad eius nutum praesto esse profitetur (2,8-17);

c.) solitudine tamen, desiderio, dolore animi a Sponso *probata* eum per noctis tenebras quaerit, donec eum inveniens novo gaudio perfunditur (3,1-5).

2. — *Sollemnia sponsalia* (3,6-5,1).

Sponso cum magnifico apparatu advenienti Sponsa cum suis sociis occurrit (3,6-11); ille autem pulchritudinem Sponsae describit (4,1-5) laudesque declinantis (4,6) decorem praedicare pergens cum ea ad locum convivii venit (4,7-5,1).

3. — *Sponsae cum Sponso coniunctae perfectio et fecunditas* (5,2-8,14).

a.) Sponsam contemplatione sopitam Sponsus excitat, sed quum illa moram facit, discedit eamque doloribus obiicit (5,2-7; quibus ad maiorem amorem incensa socias ut secum dilectum quaerant invitat eisque illum describit (5,8-16);

dum autem sociae ad eum quaerendum se offerunt (5,17; 6,1), ecce ipse apparet summisque laudibus Sponsam sibi coniunctam praedicat (6,2-8).

b.) Insolito apparatu, quocum Sponsus advenit, quodammodo exterrita Sponsa se avertit, sed eius invitationi, ut sui contemplandi copiam det, verecunde obsecuta (6,9-7,1ª) mirum in modum ob suam pulchritudinem laudatur (7,1ᵇ-9ª); at ipsa rogat Sponsum, ut ad suos fructus potius inspiciendos, quam ad se laudandam intendat (7,9ᵇ-13), et quum eum obsecret, ut sibi frater sit et magister, in contemplationis quietem intrat (8,1-4).

c.) Tandem Sponso innixa, de novae desponsationis ratione mirantibus Angelis, in coelestem eius thalamum traducitur (8,5-14).

6. — *Liber Sapientiae.*

Tribus quos recensuimus libris a Salomone conscriptis certo quodam modo velut salomonicum *librum Sapientiae* addere licet, cui editio alexandrina versionesque antiquae titulum *Sapientiae Salomonis* haud sine ratione praefigunt. Quamvis enim graece sit scriptus ac probabiliter tempore Ptolomaei IV. Philopatoris (222-205) in Aegypto exortus, eius tamen auctor non tantum in magna operis parte Salomonem loquentem facit, sed procul dubio etiam genuina quaedam regis sapientissimi opera hodie deperdita pro fontibus adhibuit, nonnullas quidem eorum pericopas dumtaxat graece vertens, plerumque vero eorum sententias suis verbis exprimens suoque modo disponens; unde libri argumentum fere totum Salomoni, externa autem forma Iudaeo cuidam alexandrino deberi recte dicitur.

Revera argumentum, uti in duobus prioribus Salomonis libris, potissimum est sapientia practica, seu illa Dei divinaeque voluntatis cognitio, qua homo hac in vita dirigi debet, ut divinam amicitiam suamque salutem aeternam consequatur. Ad externam porro libri formam attendentes duas eius partes apte distinguemus, quatenus ab initio auctor ipse, inde a 6,24 autem Salomon sapientiae laudes praedicant felicissimosque sapientiae seu iustitiae fructus pessimis impietatis ac maxime idololatriae sequelis opponentes viam ad beatitudinem ostendunt.

I. In priore parte (1,1-6,23) *auctor suo quasi nomine principes (quo nomine per figuram quandam rhetoricam contribules omnes suos designat) ad sectandam sapientiam practicam seu iustitiam exhortatur.*

1. — *Proposito enim exhortationis themate* (1,1) *de dispositione primum agit, quae ad iustitiam accipiendam requiritur* (1,2-2,25)

a.) Quoniam enim non nisi in pium animum intret (1,2), abstinendum esse monet a pravis cogitationibus, quae a Deo separent spiritumque sapientiae fugent (1,3-5),

a perversis sermonibus, qui quum omniscium Spiritum non lateant mortem afferant (1,6-11),

a malis operibus, quibus mors a Deo quidem non intenta sed a peccatoribus ipsis accersita acceleretur (1,12-16).

b.) Re enim vera peccatores, qui immortalitate negata omnibus vitiis se tradunt (2,1-9) iustumque opprimunt ac vilissimae morti, ut eum tentent, tradere volunt (2,10-20), vehementer errant ignorantes hominem ad beatitudinem aeternam esse

creatum, mortem autem (aeternam) per diabolum esse invectam (2,21-25).

2. — *Sapientiam comparatione sortis iustorum cum impiorum sorte commendat* (3,1-5,24).

a.) Iustorum mors, licet ab impiis exitium reputetur, re transitus est ad aeternam pacem (3,1-4); qui hac enim in terra a Deo probati sunt, gloriosa sorte (in altera vita) fruentur (3,5-9); impii autem punientur et omni beatitudinis spe privati fructibus laborum carebunt (3,10-12).

b.) Quin etiam iustus, qui posteris caret, felix est dicendus, quia gloriosam laborum mercedem habebit (3,13-15); infelix autem impius, sive longa vita ei concedatur, quia eius senectus erit sine honore, sive celeri morte abripiatur, quia non habet spem (3,16-19). Pulchra ergo est casta generatio, utpote quae apud Deum in honore proximisque utilis sit (4,1.2), dum impii nemini sint utiles et penitus sint perituri (4,3-6).

c.) Immo vero iustus quoque, qui immatura morte abripitur, beatus est : ob suum enim ipsius bonum ex iniquorum medio a Deo misericorde aufertur, qui breves dies iusti pluris facit quam longam vitam iniusti (4,7-16); id iniusti utique non intelligunt, eumque contemnunt, sed ipsorum mors erit contumeliosa et memoria eorum peribit (4,17-20).

d.) Iustorum demum sors post mortem erit gloriosa, funesta vero sors impiorum, qui fateri cogentur, se in vita iustorum diiudicanda et in rerum humanarum pretio aestimando turpiter et ad suum damnum errasse (5,1-13); nam dum iusti praemium virtutis accipient, ira Dei in impios exardescet (5,16-24).

3. — *Principes terrae (i. e. contribules suos, qui ob maiora quae acceperunt dona supra gentes eminent) auctor prae reliquis ad sapientiam tendere debere ostendit* (6,1-23).

a.) Namque severius erit Dei iudicium in eos, qui aliis sunt praepositi; unde illi etiam magis quam reliqui ad dicta attendant oportet, ne duriorem inveniant poenam (6,1-11).

b.) (Neque se excusare possunt, quod illa non intellexerint); nam facile sapientia ab illis invenitur, qui eam quaerunt (6,12-17); summa autem est eius utilitas principibus (6,18-23).

II. — In ALTERA PARTE (6,24-19,20) *auctor Salomonem ipsum inducit sapientiae laudes celebrantem.*

1. — *Breviter videlicet praefatus, se naturam, ortum, mysteria sapientiae esse enarraturum* (6,24-27), *Salomon praeprimis refert, qua ipse ratione ad eam pervenerit* (7,1-9,19).

a.) Quoniam enim homo est reliquis similis, eam non habet a natura sua (7,1-6), sed eam utpote rem prae omnibus desidera-

bilem a Deo efflagitavit (7,7-10) atque cum ea accepit cuncta bona (7,11-14).

b.) Postquam deinde gratiam, ut de sapientia pro eius dignitate dicere posset, a Deo, qui ipsam dedit, humiliter petiit[1] (7, 15-21), illam per eius attributa, qualitates, fructus, describit (7,22-8,1),

c.) atque accuratius explanat, quomodo permotus sit, ut eam a Deo efflagitaret. Edoctus enim, quod intime cum Deo sit connexa (8,2-4), alia autem bona vel contineat vel superet (8,5-8), atque maximae praesertim utilitatis sit regibus (8,9-16), eam sibi desideravit et quum eam a Deo solo dari posse intellexisset, eam ab illo expetiit (8,17-21).

d.) Precationem demum, qua eam a Deo impetravit, repetit. Dei nimirum esse sapientiam, quae in mundi creatione et gubernatione se manifestat, professus (9,1-3) eam sibi dari rogavit, quia sine illa nihil esset munusque sibi impositum implere non posset (9,4-8), cum ea autem opera sua Deo essent placitura (9,9-12); atque pro conclusione infirmitatem hominis, nisi a Deo edoceretur, iterum professus est (9,13-19).

2. — *Deinde ex historia utilitatem sapientiae demonstrare aggressus, eam non tantum patriarchas ad beatum finem perduxisse, sed universum quoque populum direxisse, ab idololatria custodisse, in terram promissam introduxisse docet* (10,1-19,20).

a.) Quomodo sapientia iustos reddat beatos, insipientia autem poenas attrahat, exempla docent Adami ad poenitentiam agendam adducti, Noe ex diluvio servati, Abrahae ab idololatris segregati, Loth ex Sodomae interitu erepti, Iacobi contra Esau et Laban defensi, et in luctatione cum angelo corroborati, Iosephi e carcere ad dignitates elevati (10,1-14).

b.) Idem docent liberatio populi electi ex servitute aegyptiaca (10, 15-21) et miracula in eius gratiam in deserto perpetrata (10,1-4); praesertim si comparantur

α. — Aegyptiorum poenae, in quibus Dei iustitia simul atque misericordia sese manifestarunt (11,5-12,2),

β. — et Chananaeorum interitus, in quo iterum sese misericordia divina manifestavit, quatenus tempus poenitentiae illis concessit, omnesque ad unius veri Dei cognitionem adducere studuit (12,3-27).

c.) Ex idololatriae aegyptiacae et chanaaniticae commemoratione occasionem arripit auctor, ut de origine, natura, stultitia, poena idololatriae digressionem longiorem inserat (13,1-15,19).

(1) Pro « Mihi autem *dedit* Deus dicere » etc. (7,15) iuxta primigenium textum omnino lege : « mihi autem *det* Deus » (Ἐμοὶ δὲ δῴη ὁ Θεός).

α. — Praeprimis eorum castigat stultitiam, qui elementis astrisque et aliis rebus creatis, quarum magnitudine et pulchritudine ad veri Dei cognitionem adduci debebant, velut diis cultum exhibeant (13,1-9);

β. — infeliciores autem eos esse docet, qui suarum manuum figmenta adorant ab iisque auxilium sibi expetunt (13,10-19); licet enim utilia esse possint, uti navis, quae a manu Dei gubernata olim Noe servavit (14,1-7), maledicti tamen sunt, qui ea colunt (14,8-11).

γ. — Originem quoque idololatriae, quae hominum imagines colit, exemplis illustrat (14,12-20) et quantopere moribus noceat describit (14,21-31), eiusque damnis bonos effectus opponit, quos veri Dei cognitio producit (15,1-6).

δ. — Digressionem autem concludit stultitiam subsannans eorum, qui idola faciunt (15,7-13), eorumque qui illa colunt (15,14-19).

d.) Ad thema suum reversus ex diversa Israelitarum et Aegyptiorum sorte ostendit, quinam sint sapientiae et insipientiae fructus (16,1-19,20).

α. — Aegyptii, qui bestias adorabant, puniti sunt; filiis Israel animalia fuerunt utilia, et quum a serpentibus vulnerarentur, Dei ope sanati sunt (16,1-14);

β. — Aegyptii pluviis et grandinibus puniti sunt, Israelitis autem manna e coelo pluit (16,15-29);

γ. — Aegyptii, qui peccata sua occultare se posse putabant, tenebris puniti sunt (17,1-20), dum Israelitis lux splendidissima affulsit (18,1-4).

δ. — Aegyptii, quia Israelitarum pueros occidere voluerant, primogenitos suos amiserunt, Israelitarum autem pueri servati sunt (18,5-19), et quamvis in deserto Israelitae quoque ob Core seditionem cladem quandam sint passi, brevis tamen fuit ira divina (18,20-25).

ε. — Dum Israelitae mare rubrum siccis pedibus transierunt, Aegyptii in eo perierunt, atque Aegyptii animalibus ex aqua venientibus cruciati sunt, Israelitis autem a mari aves venerunt, qui eis cibo essent (19,1-12).

ζ. — Demum Aegyptii quidem haec omnia passi sunt, quia Sodomitis erant inhumaniores eademque, qua illi, caecitate perculsi; Israelitis autem (quia et quamdiu verum Deum colebant) omnia cedebant in bonum (19,13-20).

7. — *Ecclesiasticus.*

Librorum sapientialium ultimus, quem Ierosolymita quidam, Iesus filius Sirach, c. a. 190. a. Chr. hebraice conscripsit eiusque nepos in Aegyptum profectus c. a. 130. graece transtulit, argumento et forma libro Proverbiorum Salomonis similis est. Eodem enim fere, quo ille, modo maximam partem versiculis didacticis gnomisque constat, quibus vitae privatae publicaeque praecepta proponuntur atque practica docetur sapientia; unde in graeca et in syriaca versionibus haud male *Sapientia Iesu filii Sirach* inscribitur. Saepius tamen, quam Proverbiorum liber, doctrinas dogmaticas de Deo eiusque attributis, de creatione, de primitivo hominis statu eiusque fine ultimo, de peccati originalis sequelis etc. inserit praeceptorumque collectioni longum addit catalogum virorum eximiorum, quorum exemplis praecepta illustrantur et commendantur. Quapropter primis iam Ecclesiae saeculis hic liber cum nonnullis aliis, qui intellectu faciliores videbantur, potissimum catechumenis adolescentibusque velut doctrinae religiosae compendium proponebatur. Quia autem libri isti, qui novellorum maxime Christianorum institutioni inserviebant, in nonnullis saltem ecclesiis nomine *ecclesiasticorum* a reliquis libris canonicis distinguebantur atque Sapientia Iesu filii Sirach aliis frequentius ac diligentius ad catechumenorum iuvenumque eruditionem adhibebatur, factum est, ut a Latinis *Ecclesiasticus* quodammodo κατ' ἐξοχήν appellaretur.

Ad libri divisionem quod attinet, idem fere quod de libro Proverbiorum obtinet; Siracides enim in praeceptis suis distribuendis vix magis quam Salomon certum ordinem tenuit, versiculos tamen qui de eadem virtute agunt saepius coniungit. Accuratam igitur libri analysin proponere non possumus, sed generali illa divisione in duas partes, quae ex duplici quod tractatur argumento, ex vitae nimirum praeceptis (2,1-43,37) et exemplis (44,1-50,26), exoritur, contenti praecipuas tantum, de quibus agitur, materias indicabimus.

EXORDIUM (1,1-40) origine sapientiae descripta (1,1-10) nonnullisque timoris Dei fructibus enumeratis (1,11-15) de relatione inter sapientiam et timorem Dei agit (1,16-34) simplicique corde ad timorem Dei accedendum esse monet (1,35-40).

I. PRIOR PARS (2,1-43,37) *multis propositis praeceptis de variis virtutibus sapientiam practicam docet;*

ita tamen ut saepius illa novis exhortationibus, longioribus meditationibus precibusque interrumpat hymnoque longiore terminet. Repetitis sapientiae commendationibus has fere distinguere licet sectiones.

1. — *Postquam fiduciam in divina misericordia collocandam esse monuit, quia necessaria sit verae sapientiae conditio* (2,1-23),
   praeprimis filiis officia erga parentes commendat (3,1-18)
   omnibusque mansuetudinem humilitatemque inculcat (3,19-32
   et misericordiam erga pauperes praescribit (3,33-4,11).
2. — *Sapientiae fructibus quibusdam recensitis* (4,12-22)
   veracitatem servandam, cavendum autem malum pudorem praecipit (4,23-36);

interiectis deinde nonnullis de poenitentia agenda (5,1-11) iterum omnimodam sinceritatem colendam mandat (5,12-18) apteque praecepta quaedam de amicitia adiungit (6,1-18).

3. — *Sapientiam magno cum labore esse quaerendam praefatus* (6,18-37),

omne peccatum esse vitandum inculcat (7,1-3)

imprimis autem ab ambitione esse cavendum (7,4-11) et a mendacio (7,12-14).

Deinde quomodo homo erga familiares et proximos se gerere debeat (7,15-8,22) uti etiam erga mulieres (9,1-13) et erga certas virorum classes praecipit (9,14-25).

4. — *Laudibus principis sapientis praemissis* (10,1-5)

in superbiam invehitur (10,6-34), modestiam vero humilitatemque praedicat (11,1-10),

divitias paupertatemque iuxta sapientissimum Dei consilium distribui monens (11,11-20), neque ullum hominem licere ante mortem beatum praedicari (11,21-30).

Porro consortium vitandum esse docet cum dolosis (11,31-36) et impiis (12,1-7) neque fiduciam ponendam in inimicis (12,8-19),

similiter vitandos esse superbos et potentiores (13,1-17), conversandum autem cum aequalibus (13,18-32);

demum cupidos avarosque carpens (14,1-10) prudentem divitiarum usum suadet (14,11-16) omnesque exhortatur, ut dum vivant bene agere studeant (14,17-21).

5. — *Beatum eum praedicans, qui sapientiam quaerat* (14,22-27),

eam tamen a solo iusto, non vero a stulto inveniri monet (15,1-10):

peccatum quippe non esse a Deo, sed a libero arbitrio (15,11-20);

nam Deus non amat impios (15,21. 22), quare etiam, uti per parenthesin inserit, parentibus in filiorum, si sint impii, multitudine gaudere non licet (16,1-5);

ex historia quoque constare, quomodo peccatores Deus semper punierit (16,6-15), neve quisquam sua opera putet Deo esse ignota (16,16-23).

6. — *Sapientiam celebraturus lectores primum ut attendant exhortatur* (16,24.25),

deinde creationem quum mundi describit (16,26-31), tum hominis maximis donis divinitus ditati (17,1-20),

ut inde deducat, per poenitentiam hominem ad Deum redire debere (17,21-31);

quam conclusionem confirmaturus ostendit, quid sit homo cum Deo comparatus (18,1-14).

Varia autem praecepta addit de eleemosyna danda (18,15-18), de prudentia in agendo (18,19-33),

de ebrietate vitanda (19,1-3), de lingua bene regenda (19,4-17).

7. — *Praemissis nonnullis sententiis de relatione inter sapientiam et inter Dei timorem* (19,18-27)

de correptione proximi agit (19,28-20,5)

et de variis peccatis linguae (20,6-33),

atque praecipit, ut omne peccatum ac praesertim superbia sollicite vitetur (21,1-12).

8. — *Sapientium et stultorum moribus comparatis* (21,13-31) *stultique vilitate descripta* (22,1-23)

nonnulla amicis vitanda et facienda enumerat (22,24-32),

precationique cuidam, qua Dei auxilium implorat, ut linguam suam regere aliaque praecepta implere valeat (22,33-23,6),

nova adnectit praecepta de linguae peccatis vitandis (23,7-20)

aliaque de intemperantia et luxuria fugienda (23,21-38).

9. — *Sapientiae magnificum sequitur elogium* (24,1-47).

Paucis quippe pro exordio suam praestantiam complectens (24,1-4) Sapientia in personam constituta

divinam aeternamque suam originem suamque ex ea profluentem excellentiam prae reliquis rebus declarat (24,5-12).

Suam deinde inhabitationem in Israel (24,13-16),

incomparabilem suam pulchritudinem divitesque suos fructus praedicat (24,17-31);

laudes demum suas terminat relatione sua ad Legem revelationemque descripta (24,32-47).

Quod encomium quatuor sententiae excipiunt numerorum artificio distinctae, quibus similiter sapientia et timor Dei omnibus praeferuntur (25,1-10).

Ad alia deinde transiens auctor mulierem nequam velut malum pessimum depingit (25,11-36),

bonam autem mulierem laudat (26,1-4) eiusque, postquam iterum nequam mulierem quam maxime vitari iussit (26,5-15), virtutes celebrat (26,16-24).

Duabus aliis sententiis numerorum artificio distinctis transit ad lucri cupiditatem damnandam (26,25-27,4),

variaque linguae peccata (27,5-24), dolum (27,25-32), iram et vindictam (27,33-28,14), detractionem et susurrationem perstringit (28,15-30).

Post quae de mutuo (29,1-18) et de fideiussione agit (29,19-27), lectoremque suis contentum domi degere iubet, quum dura sit vita eorum, qui per aliena semper hospitia vagentur (29,28-35).

Sequuntur praecepta de bona filiorum educatione (30,1-13)

de corporis sanitate curanda (30,14-21),

et de vitanda tristitia (30,22-27); qua occasione causas simul tristitiae prohibet, nimium scilicet divitiarum studium (31,1-11) et intemperantiam in victu (31,12-29) potuque (31,30-40),

atque addit, quomodo senes et iuvenes in conviviis loqui et agere deceat (32,1-17),

10. — *Iterum commendato timore Dei* (32,18-23)

prudentiam cum fiducia Dei esse coniungendam docet (32,24-33,6), quae fiducia ex certa scientia, Deum omnia secundum suam sapientiam disposuisse, exoriatur (33,7-15).

Porro se vindemiatori uvas peracta iam vindemia colligenti similem esse praefatus et cunctos ut praeceptis suis aures praebeant exhortatus (33,16-19),

hominem ante mortem bona inter filios vel amicos distribuere vetat, ne ab eorum arbitrio postea dependeat (33,20-24),

servos porro severe quidem, sed cum iustitia et caritate tractari eosque, qui fideles sint, velut fratres haberi vult (33,25-33),

somniisque fidem non esse habendam monet (34,1-8).

Postquam deinde experientiam commendavit (34,9-13) atque timenti Deum nihil esse timendum inculcavit (9,14-20),

nonnulla de externo Dei cultu tradit :

sacrificia quippe, quae ex bonis iniuste acquisitis offerantur, Deo esse abominationi praefatus (34,21-31);

verum quidem sacrificium mandatorum observationem et pietatem misericordiamque erga pauperes esse docet (35,1-5)

nihilominus externa sacrificia, utpote divinitus praecepta, nequaquam licere negligere sed laeto cum animo et praescripto modo offerri debere (35,6-14);

Deum autem personas non respicere sed pauperum quoque humiliumque preces exaudire, quippe quae nubes penetrent (35, 15-26).

Qua consideratione Siracida ad preces pro contribulibus suis fundendas permotus Dominum rogat, ut populi sui misereatur eiusque hostes potentiae suae signis confiteri cogat Dominum solum esse Deum (36,1-5);

pristina ergo miracula renovet et cito inimicos principes humiliet (36,6-12), tribus autem Israel congreget sanctaeque civitatis misertus promissiones per prophetas datas implens Sioni gloriam concedat (36,13-17)

atque populi precibus exauditis efficiat, ut supremum suum dominium ab omnibus agnoscatur (36,18.19).

Deinde non omnia aequalia neque eodem modo aestimanda esse praemittens (39,20-22)

curam commendat in delectu uxorum (36,23-28), amicorum (37, 1-7), consiliariorum (37,8-21),

sophistisque reprobatis laudes praedicat sapientium (37,22-29).

Porro ad corporis sanitatem reversus iterum monet, ad eam servandam abstinendum esse ab omni crapula (37,30-34);

ad eam autem, si amissa sit, restituendam debito cum honore audiendos esse medicos (38,1-8), praeprimis autem divinum auxilium implorandum (38,9-15).

Demum complementi gratia addit, quid agendum sit erga mortuos (38,16-24).

11. — *Qua via ad sapientiam homo perveniat explicaturus*

ad eius studium praeprimis otium requiri ostendit, ita ut ii qui externis laboribus occupentur, quamvis eorum opera sint utilia et necessaria, eam adipisci nequeant (38,25-39);

otium autem illud ad prophetarum opera legenda antiquorumque dicta cognoscenda et ad piam precationem et meditationem impendendum est (39,1-10) atque ita a Deo illustratus magnam sapientiam vereque sapientis famam acquiret (39,11-15).

Hac iam sapientia repletus Dei opera hymno celebrat (39,16) :

Se ipsum quippe et auditores ad Dei laudes invitans (39,17-20)

primum divinam potentiam praedicat (39,21-26),

deinde divinam bonitatem et iustitiam, quum omnia Dei opera iustis sint bona, iniustis perniciosa (39,27-37);

haec sapiens cognovit et ideo nova exhortatione ad Deum laudandum hymno suo finem imponit (39,38-41).

Post quae aerumnas describit, quas peccatum in hunc mundum induxit (40,1-11)

atque solam iustitiam semper permansuram esse praefatus (40, 12-17)

aerumnis opponit huius terrae bona, inter quae timor Dei eminet (40,18-28).

Speciatim autem (ad aerummas quasi reversus) duram esse inopiam docet (40,29-32), amaram esse mortem (41,1-7), magnam calamitatem esse filios impios (41,8-16).

Demum non omnem pudorem esse bonum praemonens (41,17-20) enumerat ea, de quibus erubescendum (41,21-28) et de quibus non erubescendum sit (42,1-8)

additis sententiis paucis de filiabus custodiendis et de vitandis mulieribus (42,9-14).

12. — *Priorem partem auctor terminat magnifico hymno de divinae sapientiae magnalibus.*

Atque primum quidem universim Dei scientiam et magnalia sapientiae eius celebrat (42,15-26);

deinde ad specialia opera Dei transiens firmamentum cum sole, luna stellisque describit (43,1-11),

unde ad ea descendit, quae Deus in coelo aëreo operatur (43,12-25) et in mari (43,26-28);

pro conclusione autem haec tam mirabilia esse, ut satis praedicari nequeant, docet (43,29-37).

II. Altera pars (44,1-50,23), quum graeca editio *hymnum patrum* appellat, *patriarcharum laudibus praedicatis exempla virtutum lectoribus proponit.*

1. — *Pro exordio* Siracida lectores invitat, ut viros gloriosos, per quos Deus magnalia patravit, secum laudantes Deum ipsum glorificent (44,1.2),

atque generatim viros illos aut principes aut prophetas aut iudices vel doctores fuisse praemittens (44,3-6)

eos et suo ipsorum tempore gloriam esse adeptos et apud eorum posteros in honore fuisse et semper fore exultans annuntiat (44, 7-15).

2. — *Ordine chronologico tunc multos nominatim recenset, et quidem*

a.) ex tempore antemosaico : Henoch et Noe (44,16-19), Abraham, Isaac, Iacob (44,20-27);

b.) quos primi sequuntur Moyses (45,1-6), Aaron et Phineas (45, 7-31), Iosue et Caleb (46,1-12), Iudices et Samuel (46,13-23);

c.) deinde ex aetate regum : Nathan et David (47,1-13), Salomon eiusque filius Roboam, qui vituperatur (47,14-31), prophetae Elias et Eliseus (48,1-18), Ezechias rex et propheta Isaias (48, 19-28), rex Iosias cum Ieremia (49,1-9),

d.) et ex aetate exsilico et postexsilico : Ezechiel cum duodecim prophetis minoribus (49,10-12), Zorobabel dux, Iesus sacerdos, Nehemias (49,13-15), at eos superare dicuntur Henoch, Ioseph, Seth, Sem et imprimis Adam (49,16-19).

e.) Coronidis gratia his additur summus sacerdos Simon, Oniae filius, qui auctoris tempore vixisse videtur (50,1-23).

In epilogo (50,24-51,38) *Siracida*

1. — *omnes exhortatur,* ut secum Deo gratias agant, beatosque praedicat, qui praecepta sua sint observaturi (50,24-31);

2. — *Deum celebrat,* a quo ex multis tribulationibus sit liberatus (51,1-17);

3. — *carmine* (*alphabetico*) *suum sapientiae studium describens lectores invitat,* ut eadem via ad sapientiam tendant (51,18-38).

III

PROPHETICORUM V. T. LIBRORUM

SYNOPSES

I. — Prophetae maiores.

1. — *Prophetia Isaiae.*

Inter quatuor prophetas, qui ob voluminum quae nobis reliquerunt prolixitatem *maiores* vocari solent, tempore primus est *Isaias filius Amos*, cuius *prophetiae* etiam ob argumenti copiam et varietatem, ob vaticiniorum claritatem et gravitatem, ob pulchritudinem sublimitatemque dictionis inter libros propheticos primus locus merito attribuitur. Ultimo Oziae (Azariae) anno (a. 747.) ad munus propheticum vocatus Isaias difficillimis illis temporibus, quibus Assyrii regnum Israel plane destruxerunt et regno Iuda interitum moliri conabantur, sub tribus Oziae successoribus, Ioathan, Achaz, Ezechias, illud sustinuit vitamque, uti antiqua fert traditio, sub impio rege Manasse martyrio coronavit. Versus vitae autem finem, probabiliter sub regni Manasse initiis, multas suas conciones praedictionesque, quibus per plus quinquaginta annos potissimum regni meridionalis reges principesque cum toto populo « ad Legem et testimonium » revocare iussus erat, literis mandandas apteque dispositas posteris relinquendas duxit, ut iis quoque exhortationi et consolationi essent.

Magna quidem est varietas thematum, quae in concionibus suis tractat, et vaticiniorum, quae annuntiat, cuncta tamen ad unum finem tendunt unaque quasi reguntur idea, ita ut summum libri argumentum una illa sententia comprehendatur : « Sion in iudicio redimetur, et conversi eius in iustitia » (1,27 *hebr.*). Procul dubio propheta populo suo in gravissima peccata delapso non minus quam gentibus severum iudicium poenasque acerbissimas promulgavit, attamen iudicia et poenas, etsi in interitum sint occaecatorum, in salutem fore reliquiis, quae poenitentia acta ad Dominum reverterentur, divinitus promisit atque gentium quoque regna non esse destruenda docuit, nisi ut eorum reliquiae beneficiorum messianicorum participes fierent. Hinc universum Isaiae librum « consolationem » esse olim iam Thalmudici asserere non dubitarunt atque nos Isaiam prae reliquis *prophetam misericordiae divinae* iure appellamus.

Ordo porro libri ita ex argumento ipso est desumtus, ut temporis, quo conciones sunt habitae, ratio quoque non sit neglecta. Cum S. Thoma plerique duas partes distinguunt, « in quarum priore, inquit Thom., ponitur comminatio iustitiae ad excidium peccatorum, in altera consolatio divinae misericordiae ad resurrectionem iustorum ». Eandem divisionem, quam Isaias ipse quoque in sententia supra allegata (1,27) quodammodo iam indicavit, etiam nos tenemus, ita tamen, ut longiore

introductione tripartita argumentum quum comminativum tum consolatorium libri quasi complecti eiusque auctoritas et finis proponi censeamus (cpp. 1-6). Prior deinde pars tribus sectionibus primum monita et vaticinia exhibet tempore regis Achaz promulgata, quando Assyrii ab eo advocati regno Iuda interitum parabant; tum vaticinia et minas contra exteras gentes; demum vaticinia et exhortationes, quibus propheta tempore Ezechiae regis animos praeparavit ad invasionem regis Sennacherib; terminatur autem historica relatione de clade assyriaco exercitui illata (cpp. 7-37). In altera autem parte, quae ab historica relatione de Ezechiae sanatione et de legatione regis Babyloniae Merodach Baladan exorditur, tribus similiter sectionibus duplicem liberationem ex captivitate babylonica per regem Cyrum et ex peccati captivitate per Messiam vaticinatur (cpp. 38-66). Accuratiorem nexum in analysi explicabimus.

I. INTRODUCTIO TRIPARTITA (1,1-6,13). Post inscriptionem enim (1,1)

1. — *Concio prima argumentum comminativum libri declarat : populus, quum magnae vocationis suae immemor in gravissima peccata delapsus sit, severo iudicio ad salutem reducendus est* (1,2-31).

a.) Increpatur populus, quod omnium beneficiorum immemor ne ipsis quidem calamitatibus, quas patiatur, ad Deum reduci potuerit, ita ut parva spes salutis adsit (1,2-9);

b.) frustra enim mere externo suo cultu confidit, qui a Deo reprobatur; interna conversio necessaria est, atque tum Deus quoque stabit promissis suis (1,10-20).

c.) At quia a pristina sua iustitia populus defecit, nihil restat, nisi severum iudicium, quo Sion redimetur ablatis omnibus peccatoribus (1,21-31).

2. — *Concio secunda, licet etiam iudicium praenuntiet, magis tamen argumentum consolatorium explicat et glorioso statui regni messianici praesentem tristem rerum statum opponens necessitatem divinorum iudiciorum manifestat* (2,1-5,30).

1.) Glorioso statui messianico opponitur perversus status populi (2,1-4,1).

a.) Tempore messianico omnes gentes ad montem Sion concurrent verum Deum adoraturae et sub eius dominio summa pace et felicitate fruiturae (2,1-4).

b.) Unde propheta populum exhortatur, ut ipse quoque accurrat (2,5). Quam exhortationem necessariam esse demonstrat perversitas populi, quae Dei iudicia provocet (2,6-11). Iam vero

α. — iudiciis his divinis auferentur omnia, quibus nunc superbiunt (2,12-17), atque maxime idola (2,18-22),

β. — at iisdem etiam plectentur Iuda et Ierusalem (3,1-11), praeprimis autem illi, qui ruinae sunt causa, principes et mulieres (3,12-4,1).

2.) Ne vero universus populus iudiciis divinis auferendus videatur, propheta antequam ad alteram increpationis partem transeat,

alterum praemittit vaticinium messianicum, cui adnectitur increpatio (4,2-5,30).

a.) Ex ipsa terra Iuda velut germen progredietur Messias, qui sanctificabit reliquias Israel easque semper tuebitur (4,2-6).

b.) Ad increpationem autem transiens parabolam proponit de vinea fructum non afferente eamque explicat (5,1-7), atque deinde eam populi statu veram probari ostendit

α. — enumeratis peccatis, quibus est deditus (5,8-23),

β. — annuntiatis poenis, quibus punietur (5,24-30).

3. — *Visionis, qua propheta inauguratus est, narratione Isaias auctoritatem suam declarat missionisque suae fructum indicat* (6,1-13).

a.) Dominus Deus a Seraphim sanctitati eius acclamantibus circumdatus Isaiae apparet (6,1-4) et per unum ex eis labia eius mundat (6,5-7);

b.) eumque, postquam sese ipse paratum declaravit, tamquam legatum mittit populo, ut suis concionibus impios occaecet, reliquias autem salvet (6,8-13).

II. PARS PRIOR (7,1-37,38), SION ET MUNDUS IN IUDICIO REDIMENTUR.

1. — *Vaticinia tempore Achaz edita de Emmanuele* (7,1-12,6).

Tria apte distinguuntur membra, quae in eo conveniunt, quod propter Emmanuelem (Messiam) promissum futuram salutem quidem Israeli praenuntient, sed viam ad salutem divina esse iudicia ostendant, quibus impii destruendi et humanae potentiae deiiciendae sint.

1.) *Primum vaticinium de Virgine Emmanuelem paritura* (7,1-25)

a.) Quum reges Israel et Syriae foedus inissent, ut domum davidicam throno privarent, propheta cum filio suo Schearjaschub (i. e. Reliquiae convertentur) regi Achaz annuntiare iubetur, hostium conatus fore irritos (7,1-7), Syriam et Israel punitum iri, modum autem salutis pro Iuda dependere a fide regis et populi (7,8. 9).

b.) Achaz nec credere vult nec signum a Deo petere (7,10-12), quam ob causam

α. — Deus ipse signum certissimum ponit quum salutis domus davidicae tum proximae liberationis, sc. Emmanuelem e Virgine nasciturum (7,13-16);

β. — sed quia Achaz non credidit, in iudicio redimetur Sion; punietur enim ab illis ipsis Assyriis, quos Domino suo diffisus in auxilium advocavit (7,17-25).

2.) *Secundum vaticinium de Emmanuele terram suam protecturo* (8,1-9,7).

a.) Alterum signum dare propheta iubetur, quod brevi finituram esse calamitatem a regibus Israel et Syriae imminentem manifestet (8,1-4).

b.) Quia vero Iuda non credidit, Syria et Israel quidem ab Assyriis punientur, at ab iisdem regnum Iuda etiam punietur, redimetur autem ab illis et ab aliis hostibus propter Emmanuel (8,5-10).

c.) Cui promissioni propheta adnectit instructionem, qua ratione agere debeant in ista calamitate.

α. — Ad legem et testimonium eos revocans monet, illa non esse timenda, quae populus perversus timet, sed solum Deum esse timendum (8,11-18);

β. — ab ethnica quoque superstitione sese abstinentes ad solum Deum recurrant; qui vero id facere recusaverit, in tenebris erit et in angustiis (8,19-22).

d.) Terminat autem concionem promittens piis exorituram esse in illis calamitatibus lucem magnam, sc. Emmanuelem et regnum eius (9,1-7).

3.) *Tertium vaticinium de Emmanuele ex radice Iesse nasciturо* (9,8-12,6).

Priora vaticinia magis erant contra Achaz regnumque Iuda, quia Assyriorum auxilium invocaverant; at nunc regno Israel poenas annuntiat et Assyriis, quia regnum Iuda aggredi ausi sint.

a.) Quatuor strophis, quae versu intercalari (« In omnibus his non est aversus furor Domini etc. 9,12. 17. 21; 10,4) distinguuntur, vates ostendit, regnum septemtrionale peccatis suis poenam meruisse, eamque fore gravissimam, immo regnum destructum iri per Assyrios (9,8-10,4).

b.) A regno Israel sese contra Assyriam vertit, per quam Israel est interiturus. Nam

α. — Assur pro sua superbia missione divina, ut Israelem puniat, abusus dignum se reddidit poenis (10,5-15);

β. — quare ita est destruendus, ut reliquiae Israel non amplius eius auxilium sint invocaturae sed a solo Domino suo illud petiturae (10,16-23).

γ. — Populus igitur Dei, etsi advenientibus Assyriis hostibus prematur, ne timeat; subita enim ruina hostes peribunt (10,24-34).

c.) Attamen dum Assur, qui est sicut saltus Libani, subito destruetur, ex humili trunco Iesse velut surculus prodibit Messias, qui rex omnibus donis Spiritus ornatus (11,1-5) regnum fundabit summae pacis (11,6-10), summaeque potentiae, in quod reliquiae Israel congregabuntur et quod alia regna devincet secumque coniunget (11,11-16).

d.) Quapropter cantico gratiarum actionis et laetitiae propter tam eximiam salutem sectioni huic propheta finem imponit (12,1-6).

2. — *Onera contra gentes* (13,1-27,13). *Sicut Israel in iudicio redimetur, ita reliquae gentes punientur et destruentur, ut in earum ruinis exsurgat regnum messianicum, atque earum reliquiae in illud recipiantur.*

Tamquam prologus huic sectioni praemittitur onus Babylonis, quum hoc regnum quasi universam potentiam mundanam repraesentet (13,1-14,27); epilogus autem est vaticinium de universali iudicio et de fructu singulis iudiciis producendo (24,1-27;13); de singulis populis autem ita agit propheta, ut a vicinis incipiat (14,28-17,14), ad longinquos transeat, atque ab illis ad viciniores revertatur (18,1-23,18).

1). *Onus Babylonis* (13,1-14,27), *utpote typi universae potestatis antimessianicae* (cfr 13,10.13; 14,12 sqq.).

a.) Dramatice propheta describit, quomodo Deus exercitum contra Babylonem congreget (13,1-5), et quantum terrorem creet iudicium illud appropinquans (13,6-14).

b.) Vividissimis deinde coloribus depingit Babyloniorum fugam et excidium Babylonis (13,14-22);

c.) cuius iudicii fructus et finis erit liberatio filiorum Israel et ingressus populorum in societatem Israelitarum, i. e. in regnum messianicum (14,1.2).

d.) Hinc epinicio magnifico reliquiae Israel

α. — ruinam interitumque potentis crudelisque regis Babylonis celebrant (14,3-11),

β. — ruinaeque gravitatem exaggerant pristinae eius superbiae praesentem eius abiectionem opponentes (14,12-21).

e.) Certitudinem iudicii contra Babel aliquando exercendi iureiurando asserit Deus confirmatque certitudine instantis iudicii contra Assyriam (14,22-27).

2.) *Onera gentium vicinarum* (14,28-17,14).

a.) *Onus Philisthaeae* (14,28-32).

Etsi Iuda nunc sit sicut virga confracta, Philisthaea tamen ne laetetur; Iuda enim reflorebit, Philisthaea vero universa peribit (14,28-31); Sion enim a Domino est fundata, atque ab ea quaerenda est salus (14,32).

b.) *Onus Moab* (15,1-16,14).

α. — Medias in res nos abripiens propheta describit Moab iam destructum et devastatum (15,1-9), atque Moabitas exhortatur, ut Sionis dominium agnoscant ab eaque auxilium petant (16,1-5).

β. — Verum quoniam exhortationi huic non parent Moabitae, propter superbiam suam ita punientur, ut propheta ipse commiserationem suam exprimat (16,6-12).

γ. — Demum post tres annos iudicium habiturum esse initium annuntiat (16,13.14).

c.) *Onus Damasci* (17,1-14).

α. — Damasci atque Israelis, qui foedus inierant contra Iuda, interitus ita praedicitur (17,1-6), ut simul castigationis fructus innuatur (17,7.8).

β. — Accuratius propheta describit interitum, qui completus erit (17,9-11),

γ. — hosti autem, per quem Damascus et Israel peribunt (sc. Assyriis) rapidum excidium praedicit (17,12-14),

3.) *Onera gentium longinquarum, a quibus ad viciniores revertitur* (18,1-23,18).

a.) *Vaticinia de Aethiopia et Aegypto* (18,1-20,6).

α. — A longinquiore *Aethiopia* incipit (18,1-7), quum hoc vaticinium cum praecedentibus versibus de interitu Assyriae arcte cohaereat.

Nam Aethiopes ob Assyriorum timorem circumquaque legatos mittentes iubet propheta ad signum divinitus elevatum animos attendere (18,1-3); Assur enim Deo permittente aliquamdiu quidem proficiet, sed subito praeter opinionem corruet (18,4-6); atque tunc Aethiopes Domino munera offerent (18,7).

β. — *Onus Aegypti* (19,1-25).

Calamitates, quas praedicit Aegyptiis, sunt discordiae intestinae (19,1-4), sterilitas terrae (19,5-10), destructio sapientiae, qua glorientur (19,11-15);

calamitatum autem fructus erit restitutio veri cultus divini (19,16-20) veraeque fidei non solum in Aegypto sed etiam in Assyria (19,21-25).

γ. — Praecedens vaticinium, quod tempora remotissima spectavit, altero confirmat, quod mox iam erit implendum (20,1-6).

Tempore dati vaticinii indicato (20,1.2) Assyrii duce Sargone post tres annos Aegyptiis et Aethiopibus, a quibus filii Israel auxilium sperant, turpem cladem illaturi praedicuntur (20,3-6).

b.) *Onus deserti maris, i. e. Babylonis* (21,1-10).

Dramatico iterum modo describitur expugnatio Babylonis; incolae civitatis epulantes subita Medorum irruptione perterrebuntur (21,1-9); interitus autem Babylonis solatio erit filiis Israel (21,10).

c.) A longinqua Babylone revertens annuntiat propheta

α. — *Onus Duma* (Idumaeae? 21,11. 12). Interrogantibus Edomitis, quamdiu nox calamitatum sit duratura (21, 11), respondet propheta lucem esse venturam, quando ipsi sint reversuri (21,12).

β. — *Onus Arabiae* (21,13-17). Fuga Arabum descripta (21, 13-15) post annum calamitas, qua omnis gloria Cedar auferatur, initium habitura praedicitur (21,16.17).

d.) *Onus vallis visionis i. e. Ierusalem* (22,1-25)[1].

α. — Magno cum dolore depingit urbem terrore perculsam et strage afflictam (22,1-6),

β. — ad quam avertendam humana quidem subsidia conquirunt incolae (22,7-11ª), sed de uno illo remedio, quo salvari possint, de invocatione auxilii divini et vera conversione, non cogitant (22,11ᵇ-13), quare iudicium Dei exsecutioni mandabitur (22,14).

γ. — Vaticinium hoc, quod tempore Chaldaeorum impletionem suam inventurum erat, iterum confirmat altero, quod mox iam sit implendum (22,15-25).

Sobna, praefectus domus regiae, propter superbiam suam munere privabitur et in captivitate morietur (22,15-19); eius vero locum occupabit Eliacim (22,20-25).

e.) *Onus Tyri* (23,1-18).

α. — Ex ingenti commotione, quam ubique terrarum nuntius de interitu Tyri excitabit, propheta stragis magnitudinem describit (23,1-7);

β. — verum porro istius calamitatis auctorem declarat causasque, quibus Tyrus sibi illam attraxit (23,8-10), et modum ruinae depingit (23,11-14).

γ. — Sed clades, quam Chaldaei Tyro inferunt, non erit ultima; post septuaginta annos reflorebit atque Domino sacrabit suam negotiationem (23,15-18).

4.) *De totius orbis iudicio universali et de fructu singulorum iudiciorum* (24,1-27,13).

« Tractatum a c. 13 inceptum his quatuor capitibus propheta quasi summatim concludit; solet enim Isaias post commemorata particularia aliquorum mala libenter transire ad generalia ». Itaque « totius orbis excidium nunc describit, ut sciamus hoc passurum totum mundum, quod passa est Babylon cum ceteris gentibus » (*Sasbout*). Particula haec igitur intime cum praecedentibus cohaeret atque eorum quasi est summa, quae iudiciorum in praecedentibus praedictorum finem scopumque magis illustrat clariusque proponit.

1. Mirum videtur, quod medium inter onera ethnicarum gentium ponatur onus civitatis sanctae, quae tamquam metropolis et nutrix prophetarum vocatur *vallis visionis*. At Ierusalem saepesaepius idololatriae sese dederat, quare a iustissimo Deo secundum eandem normam, secundum quam idololatras punit, ipsa quoque punitur eodemque in ordine, in quo illi, collocatur. « Aliis verbis, inquit S. Hieronymus, hoc ipsum Ieremias (c. 25) loquitur, quum calicem gentibus et Ierusalem porrigit, et Amos 9,7. ».

a.) Descriptio generalis iudicii (24,1-23).

α. — Medias iterum in res nos abripiens Isaias nobis terram iudicio Dei devastatam ostendit (24,1-4) causasque severi iudicii innuit (24,5. 6).

β. — Quam deinde commotionem in hominum animis hoc iudicium sit producturum, docens (24,7-13),

γ. — duas iudicandorum classes distinguit, piorum qui iudicem glorificaturi sint, impiorum, qui iram iudicis effugere nequeant (24,14-18).

δ. — Demum iudicium de terra ipsa depingitur (24,19. 20). atque exsecutio sententiae contra impios omnes (24,21. 22); quibus peractis Dominus in Sion gloriosus regnabit (24,23).

b.) De fructu iudiciorum divinorum (25,1-12), *qui erit triplex :*

α. — Gloria Dei, qui celebrabitur, quia hostium potentiam destruxerit (25,1-5),

β. — beatitudo piorum, quibus Deus magna bona sit largiturus (25,6-9),

γ. — humiliatio impiorum, qui usque ad pulverem in terram detrahendi sint (25,10-12).

c.) Canticum gratiarum actionis et laudis eorum qui salutem consecuturi sint (26,1-19).

α. — Gaudent de praesente sua felicitate et de sua exaltatione super impios (26,1-6),

β. — gaudent de via iustitiae, qua ad illam felicitatem pervenerunt (26,7-12),

γ. — gaudent, quod omnia haec soli Deo debeant (26,13-19).

d.) Conclusio practica totius sectionis (26,20-27,13) :

α. — Populus quietus exspectet, donec Deus hostes debellaverit (26,20-27,1), atque tunc fiet genuina et amabilis vinea, quam Dominus semper tuebitur (27,2-6).

β. — In hoc autem calamitatum exitu apparet bonitas Dei, qui punit ut salvet. Destruetur quidem civitas sancta et calamitatibus prementur filii Israel, ut auferatur idololatria; attamen illa penitus sublata novus populus undique Deo congregabitur; Sion et mundus in iudicio redimentur (27,7-13).

3. — *Vaticinia tempore Ezechiae edita* (28,1-37,38), *quibus populus ad vincendam calamitatem Assyriacam praeparatur.*

Ab aetate Achaz, qui Assyrios ipse advocaverat, regnum Iuda illis erat tributarium. Ab hoc iugo sese liberare conati Iudaei non eam, quam debuerunt, viam elegerant, ut Deo confisi quieti eius

auxilium exspectarent, sed cum Aegyptiis foedus inire voluerant. Itaque novis poenis sese dignos reddiderant. At Ezechias, impii Achaz pius filius, credidit; ideo Deus ultimam stragem avertit : iterum igitur Sion in iudicio redimitur.

Constat autem haec sectio sex vaticiniis minacibus, quibus descriptio iudicii additur, quod Deus in infideles exercebit eique opponitur felicitas eorum, qui Deo confidunt. Confirmationis demum gratia narrat propheta, qua ratione Deus in invasione regis Sennacherib Ezechiam et Sionem redemerit.

1.) *Duo Vae contra Samariam et Ierusalem* (28,1-29,14).

a.) *Vae contra Samariam* (28,1-29), quod ita proponitur, ut magis Ierosolymitani respiciantur, qui moribus suis incolas regni Israel imitantur.

α. — Interitum Dominus minatur Samariae propter eius superbiam, luxuriam, fiduciam humanam (28,1-4) aliamque fore sortem Iuda declarat (28,5. 6);

β. — at incolae Iuda, longe adhuc absunt a felici illa sorte quum iisdem ac Samaritani vitiis dediti prophetarum monita irrideant (28,7-13); quare puniendi sunt, neque eos eorum consilia iuvabunt (28,14. 15).

γ. — Nam unica via salutis est fiducia in « lapidem angularem pretiosum », quem Deus in fundamentis Sion posuit, omniaque, quae huic fundamento non sunt superstructa, dissipabuntur (28,16-21).

δ. — Quare Deus eos exhortatur, ut ab irrisionibus se abstinentes ad sua verba attendant sapientissimumque suum consilium, quo vario modo varios homines tractat, bene intelligant (28,22-29).

b.) *Vae contra Ierusalem* (29,1-14).

α. — Calamitatem, quam praecedente vaticinio (28,18. 19) innuerat, propheta accuratius describit (29,1-4), sed futurum simul auxilium promittit (29,5-8);

β. — at haec nondum intelligunt (humanis suis artibus freti); calamitas ipsa dabit intellectum (28,9-14).

2.) *Sequuntur tria Vae contra populi seductores* (29,15-32,20), illos scil. Iudaeos, qui humanis auxiliis (foedere cum Aegyptiis clanculum inito) Assyriorum iugum decutere volunt.

a.) *Primum Vae* (29,15-24).

Illos propheta aggreditur, qui secreta sua consilia Deo abscondi posse putantes felicem eorum exitum sperant (29,15. 16). Subitam rerum conversionem efficiet Deus, quae piis erit gaudio, impiis ruinae (29,17-21); in iudicio redimentur reliquiae (29,22-24).

b.) *Alterum Vae* (30,1-33) eosdem apertius ferit.

α. — Disertis verbis annuntiat, foedus aegyptiacum ignominiam eis allaturum esse, non auxilium (30,1-5); atque ut id certissimum esse sciant, onus iumentorum Austri (Aegypti) pronuntiare et scribere iubetur, ut sit in continuum testimonium populo, qui prophetas audire recusat (30,6-14).

β. — Veram deinde victoriae viam eis ostendit : quietam fiduciam in Dominum (30,15-18); hac via ad magnam felicitatem Deus eos adducet (30,19-26), atque si eam inierint, Deus eorum hostes, maxime Assyrios, percutiet (30,27-33).

c.) *Tertium Vae* (31,1-32,20) contra eosdem.

α. — Carpit stultitiam eorum, qui ab infirmis Aegyptiis auxilium petunt, quum Deus ipse suos sit defensurus (31,1-6); etenim ut idola nihil esse appareat, Deus ex Sion contra Assur militabit (31,7-9).

β. — Victoriae autem fructus is erit, ut vera regnet iustitia et sapientia (32,1-8);

γ. — sed antequam hic fructus exoriatur, praeter viros etiam castigandae sunt mulieres propter earum luxuriam (32,9-18);

δ. — prius humiliatio, deinde felicitas (32,19.20).

3.) *Vae contra Assur* (33,1-24) propheta pronuntiat, ut ad instantem calamitatem melius praeparet animos.

a.) Assur, qui vastavit, ipse vastabitur; piorum enim precibus exauditis Deus subita clade Assyrios percutiet gaudioque implebit suorum animos (33,1-6);

b.) quando enim maxima erit calamitas, auxilium erit vicinissimum (33,7-12).

c.) Subitum hoc auxilium divinum terrore percutiet peccatores in Sion, recreabit iustos, qui securi habitabunt sub rege iusto (33,13-17), et iucunda recordatione pristinos terrores recolent, quando Ierusalem in securitate et felicitate erit restituta (33,18-22).

d.) Urbs debilis est et infirma, et tamen spolia dividet (33,23. 24).

4.) *Exitus finalis infidelium et fidelium* (34,1-35,10).

Uti praecedentem sectionem de iudiciis particularibus terminaverat iudicio universali, ita hanc sectionem simili descriptione concludit; prae oculis enim ponit severum iudicium, quo perituri sint infideles (quorum typus est Edom), et quia contraria contrariis clariora redduntur, magnificam addit descriptionem felicitatis fidelium.

a.) *Iudicium contra Edom tamquam typus iudicii impiorum* (34,1-17).

α. — Omnes nationes accedere iubentur, ut videant, quo severo iudicio Deus puniturus sit omnes populos infideles (34,1-4);

β. — pro exemplo autem describitur iudicium, quo Idumaea plectetur (34,5); incolae eius trucidabuntur (34, 6-8), terra ipsa ita devastabitur, ut habitatio tantum sit ferarum (34,9-15).

γ. — Scribitur autem hoc vaticinium, ut futurae generationes videant, quam accurate sit impletum (34,16. 17).

b.) *Futura fidelium felicitas* (35,1-10).

α. — Sicut infidelium terra in desertum convertetur, ita fidelibus desertum vertetur in paradisum (35,1. 2); ideo sperare iubentur pusillanimes, quia Deus eos sit salvaturus (35,3. 4).

β. — Qua autem ratione Deus eis sit salutem restituturus, describitur enumeratis malis, quae auferet (35,5-7), bonisque quae ubique invenient (35,8-10).

5.) *Epilogus historicus* (36,1-37,38; cfr 4 *Reg.* 18,13-19,37. *p.* 66) docet, quem fructum praecedentia vaticinia tulerint.

Illa enim cuncta in eo sunt, ut regem populumque a foedere cum ethnicis contra Assyrios ineundo avertant atque ad veram fiduciam adducant. Atqui invasione Sennacherib narrata ostendit propheta, regem Ezechiam credidisse angelumque Dei exercitum Assyriorum destruxisse. Eodem in loco, in quo Achaz fidem Deo recusans calamitatem assyriacam sibi attraxit (7,3 sqq.), legatus Assyriorum insultat populo, regi, Deo, populumque ad defectionem a rege et Deo suo sollicitat (36,2 sqq.); eousque infidelitas regnum adduxerat. At fide et fiducia Ezechiae, quam vaticiniis prophetae deberi manifestum est, expiatur infidelitas Achaz et salvatur regnum. Verum quoniam his capitibus nonnulla vaticinia Isaiae referuntur, quae statim impleta sunt, narratio etiam confirmationi est vaticiniis praecedentibus illis, quae implenda adhuc erant.

III. PARS ALTERA (38,1-66,24) : RELIQUIAE IN IUSTITIA REDIMENTUR.

Introductio historica de prima invasionis babylonicae causa (38,1-39,8).

Miracula, quae cum Ezechiae sanatione coniuncta erant (38,1-22 cfr 4 *Reg.* 20,1-11) regi Babylonis Merodach Baladan praetextum praebuerunt mittendae legationis, quae regem de portento interrogaret et ad foedus contra Assyrios iucundum sollicitaret. Ezechias autem superbia elatus legatis omnes suos thesauros osten-

dit; quapropter a propheta non tantum increpatur sed etiam ei praedicitur, cunctos eius thesauros et totam eius familiam in Babyloniam transportatum iri (39,1-8).

Aptissime hac narratione Isaias lectores suos ab *assyriaca* calamitate, de qua in prioris partis vaticiniis potissimum egit et cuius felicem exitum in prioris partis epilogo historico narravit, ad audienda vaticinia de liberatione ex *babylonico* exsilio transducit, quae liberatio figura et typus erat liberationis ex peccati iugo, seu redemtionis messianicae. Exsulibus autem, qui vaticinia haec tamdiu antea pronuntiata legebant, impletio vaticinii minacis de futuro exsilio babylonico Ezechiae regi olim facti pignus erat futurae impletionis vaticiniorum de liberatione ex captivitate babylonica.

Duabus sententiis (40,1.2) porro, velut secunda quadam introductione, indoles huius tractatus indicatur, quippe qui totus est de consolatione tribusque suis sectionibus docet calamitatem iam esse finitam, dimissam esse iniquitatem, Israelem duplicia recipere pro amissis.

1. — SECTIO PRIMA : *Terminata est calamitas* (40,3-48,22).

In quatuor membra sectionem hanc dividere licet, quorum primum una sola concione constans pro exordio Dominum populum suum liberare posse ostendit (40,3-31); alterum tribus concionibus de duplici liberatore et liberatione universe agit (41,1-44,23), tertium similiter tribus concionibus priorem liberationem fusius describit (44,24-47,15); octava demum concio (48,1-22) tamquam primae sectionis epilogus exhortatione quadam constat.

1.) PRIMA CONCIO (40,3-31) *pro introductione Dominum populum suum liberare posse demonstrat.*

a.) In *prooemio* (40,3-11) propheta pro more suo in medias res auditores suos abripit.

α. — Vocem, quae Domino populum suum reducturo vias iubet preparari, audit (40,3-5);

β. — dubitanti autem, quomodo liberatio fieri possit, respondetur, divinas promissiones nunquam esse irritas (40,6-8);

γ. — Sioni ergo adventum Domini tamquam pastoris populi sui annuntiare iubetur (40,9-11).

b.) *Deinde potentia et sapientia Dei describuntur, ut Deo liberationem populi facilem esse appareat* (40,12-26).

α. — Quae potentia et sapientia ita elucent ex creatione, ut omnes gentes coram Deo quasi dispareant (40,12-17) stultitiaque idololatrarum manifestetur (30,18-20);

β. — eaedem quoque ex mundi gubernatione elucent, quum pro nutu Deus etiam potentissimos et sapientissimos destruere valeat (40,21-26).

c.) Hinc in *epilogo* Isaias ad fiduciam lectores exhortatur : qui enim spem ponit in Domino, non deficiet (40,27-31).

2.) TRES QUAE SEQUUNTUR CONCIONES (41,1-44,23) *utramque liberationem universe tractant.*

A. — SECUNDA (41,1-29) *enim eam velut argumentum divinae potentiae praedicit.*

a.) Advocantur gentes, ut cum Deo de eius *potentia* disceptent. Dicant igitur, quis iustum illum (Cyrum) advocaverit, qui ab oriente veniens omnes populos gladio suo ita terret (41,1-5), ut ad infirma sua idola — utique frustra — confugiant (41,6. 7).

b.) Dum autem omnes timent, Israel bono animo esse iubetur, quia Deus cum eo est (41,8-13); licet enim quasi vermis sit, immo quasi mortuus, adiutus a Deo omnes hostes conteret et omnibus bonis fruetur (41,14-20).

c.) Advocantur iterum gentes, ut cum Deo disceptent de eius *sapientia.* Dicant igitur, num eorum idola quidquam praeviderint et praedixerint (41,21-24); Dominus autem, qui liberatorem (Cyrum) adducit, eum praedixit, ut confunderet omnia idola (41,25-29).

B. — *Concio* TERTIA (42,1-12) *autem de altera liberatione agit.*

a.) Priori liberatori descripto, qui omnes terret, Deus alterum opponit « servum suum », mitem et pacificum (42,1-4),

b.) cuius sublimiorem fore liberationem bona, quae afferet, demonstrant (42,5-9);

c.) quare omnes eum celebrare iubentur (42,10-12).

C. — *Concio* QUARTA (42,13-44,23) *demum de utriusque liberationis auctore primario, modo et effectu agit,*

idque ita ut a typo ad antitypum frequenter transeat et ab altero ad priorem redeat.

a.) Atque primum quidem de auctore agit (42,13-43,13).

α. — Deus ipse, qui diu siluit, tamquam miles fortis nunc egreditur populumque suum liberat, ut confundantur idololatrae (42,13-17).

β. — Exhortatur autem populum, ut ad liberationem sese praeparet caecitate illa abiecta, qua non videt exsilium esse peccatorum poenam (42,18-25);

γ. — praeparati vero monentur, ne quid timeant, quoniam Deus sit cum eis eosque undique terrarum sit congregaturus (43,1-8).

δ. — Ex qua praedictione eiusque impletione Dominus tamquam verus Deus cognoscetur (43,9-13).

b.) Altera pars de modo et effectibus utriusque liberationis agit (43,14-44,8).

α. — Ex exilio quippe eos reducens Dominus, uti olim in exitu ex Aegypto, omnes difficultates vincet et nova faciet omnia (43-14-21);

β. — neque tamen haec ob merita Israelis concedit, sed ex mera liberalitate (43,22-28); tanta autem erunt bona, ut etiam gentes populo Israel adscribi velint (44,1-5);

γ. — atque hac iterum ratione Dominus cognoscetur solus esse Deus (44,6-8).

c.) Itaque in *epilogo* irridentur idola, quae homines variis modis sibi effingunt (44,9-20), monenturque Iuda et Israel, ut Dominum liberatorem suum celebrent (44,21-23).

3.) Tres aliae conciones (44,24-47,15) *de priore liberatione agunt*.

A. — *Concio* quinta (44,24-45,26) *de Cyro liberatore.*

a). In *exordio* Deus suam potentiam praedicans inter alia affert, quod Cyrum ad populum liberandum vocaverit (44,24-28).

b.) Suum deinde consilium de Cyro explicat (45,1-21).

α. — Ad regna subiuganda quippe eum mittit et adiuvat proxime propter salutem Israel (45,1-7): quae audiens propheta ardenter cupit, ut mox iam salus Israel adveniat (45,8-10).

β. — Porro eum mittit, ut captivitate soluta regnum israeliticum restituat, ad quod ethnici quoque accedent, quando Israelem viderint esse salvatum per Dominum solum (45,11-17).

γ. — Consilium autem hoc manifestat, ut eo impleto ab omnibus verus Deus agnoscatur (45,18-21).

c.) Hinc in *epilogo* omnes invitat, ut vera conversione salutem quaerant (45,22-26). (Evidens est etiam in hac concione fructus prioris liberationis ita describi, ut menti prophetae sublimiores alterius quoque fructus continuo obversatos esse appareat).

B. — Sexta *concio* (46,1-13) *de ruina idolorum Babylonis.*

a.) Idola Babylonis (a Cyro destructae) confracta et dispersa vates prospiciens (46,1.2)

b.) occasionem arripit increpandi Israelitas, quod tantis beneficiis a Deo ditati infirma idola vero Deo praeferant (46,3-7).

c.) eosque admonendi, ut fortes in servitio Dei persistant, qui in Sion salutem daturus sit (46,8-13).

C. — Septima *concio* (47,1-15) *de humiliatione Babylonis.*

a.) A Babylonis (a Cyro destructae) humiliatione describenda exorsus (47,1-5) Isaias

b.) istius humiliationis causam dicit esse pristinam superbiam, qua populum Israel tractaverit et qua suis viribus freta securitatem sibi promiserit (47,6-11);

c.) at nec malis suis artibus nec sapientia sua opinata sese tueri potuit (47,12-15).

4.) Octava *concio* (48,1-22), *utpote primae sectionis epilogus, tota in exhortatione versatur.*

a.) Ne inexspectata ea quae descripsit Israelitis superveniant, illa eodem modo, quo pristina quae iam impleta sunt, in eorum salutem eis a Deo manifestari propheta monet (48,1-7); utique eos sua verba neque antiquitus audivisse neque nunc audituros esse; nihilominus Dominum propter suum honorem, ne nomen suum blasphemetur eos esse salvaturum (48,8-11).

b.) Ut autem vaticiniis suis aures praebeant, promissione de iis ex manu Chaldaeorum liberandis repetita (48,12-16) magnoque amore, quo populum suum semper complexus est, in memoriam eis revocato (48,17-19), eos, quasi liberatio iam adsit, exhortatur ut Babylone egrediantur (48,20.21), impiis qui audire nolint interitum comminans (48,22).

2. — Sectio secunda (49,1-57,21) : *Dimissa est iniquitas.*

De altero iam liberatore, qui a iugo peccati nos liberat sibique et nobis sua morte pro peccatis nostris satisfaciens magnam gloriam promeruit, Isaias agit. Quod argumentum tribus membris, vel potius gradibus, ita explicat, ut in prima concione (49,1-26) beneficium universe tantum innuat, in duabus sequentibus concionibus (50,1-52,12) accuratius declaret, clarissime vero explicet a quarta usque ad sextam concionem (52,13-56,8). Ultima in concione (56,9-57,21) tristem suae aetatis conditionem considerans propheta eos, qui bonae sunt voluntatis, ad spem exhortatur.

1.) Prima concio (49,1-26) *de secundo liberatore eiusque opere universe spectato.*

a.) De servo Dei qui erit secundus liberator (49,1-13).

α. — Servus Dei a Domino vocatus et virtutibus instructus, ut Dominum glorificet, conqueritur, quod frustra laboraverit et passus sit (49,1-4),

β. — at Dominus non irritum fore laborem promittit, quippe quo non tantum populum Israel sed universas gentes sit liberaturus (49,5-7) novumque foedus fundaturus, quo omnes liberentur (49,8-13).

b.) De nova Sion, seu de opere secundi liberatoris (49,14-26).

α. — Sionem conquerentem, quod a Domino sit derelicta, Dominus vere materno suo amore manifestato consolatur (49,14-16), quo efficiet, ut undique accurrant, qui eam

reaedificaturi sint atque vix spatium omnes incolae sint inventuri (49,17-20).

β. — Interroganti Sioni, undenam tot filios habitura sit, quos non genuerit, Dominus respondet, ex gentibus earumque regibus et principibus se illos esse adducturum et eam coram eius hostibus glorificaturum (49,21-26).

2.) ALTERUM MEMBRUM (50,1-52,12) *modum liberationis (remissionem iniquitatis ob liberatoris passionem) eiusque fructus (iustitiam) duabus concionibus explanat.*

A. — SECUNDA *concio* (50,1-11) *est de modo liberationis per passionem servi Dei.*

a.) Populi peccata sunt causa, cur Sion a Domino est derelicta (50,1-3);

b.) at inobedientiae Sionis respondet obedientia, qua *servus Dei* supplicia et humiliationes fortis et libens in se suscipit confisus Domino (50,4-9).

c.) Beati illi, qui in nomine Domini confidunt, infelices illi, qui eum non audiunt (50,10.11)

B. — TERTIA *concio* (51,1-52,12), *quae dialogo est similis, agit de fructu liberationis.*

a.) *Servus Dei* veris filiis Abrahae, in quo salutis pignus possident (51,1.2), salutem promittit, quae omnibus populis dabitur, immo iam prope adest, semperque durabit (51,3-6); unde ad fiduciam illos exhortatur (51,7.8).

b.) Quae audiens *propheta* Deum precatur, ut sicut in antiquis diebus, potentiam suam manifestet (51,9-11).

c.) *Deus* autem sese populum suum consolaturum esse promittit, quare ab hominibus sibi timere non debet (51,12-16).

d.) Quibus gavisus *propheta* Sionem ad gaudium excitat, quoniam olim derelicta nunc iam sit reconciliata Deo, cuius ira sit contra hostes populi sui (51,17-23), eamque monet, ut vestibus gloriae sese exornet, quoniam gratis iam nunc sit redemta (52,1-6).

e.) Exsultans autem videt legatos Sioni iam advenientes et redemtionem annuntiantes omnesque monet, ut impuram civitatem (Babylonem) relinquant (52,7-12).

3.) TRES QUAE SEQUUNTUR CONCIONES (52,13-56,8) *modum redemtionis per passionem servi Dei atque redemtionis fructus vividissimis coloribus depingunt.*

A. — QUARTA *concio* (52,13-53,12) *evangelium de Messia, qui morte sua omni generi humano promerebitur remissionem peccatorum et gloriam, annuntiat.*

a.) Exordium continet summum argumentum huius concionis et duarum sequentium : Messiae humiliationem, qua sibi suisque meruit gloriam (52,13-15).

b.) Deinde passiones Messiae describuntur, pro nobis propter nostra peccata humiliati, vulnerati, mortui (53,1-9).

c.) In epilogo paucis indicantur, quae suis passionibus meruit (53,10-12).

B. — QUINTA *concio* (54,1-17) *accuratius describit ea, quae meruit, novam Sion, quam fundavit, veteri Sioni opponens.*

a.) Antiqua Sion sterilis erat et quasi deserta, nova extendere cogitur spatium suum, quia hereditat gentes (54,1-5).

b.) Antiquae Sioni Deus amorem suum subtrahere debuit, a nova autem nunquam recessuram esse misericordiam suam iure iurando promittit (54,6-10).

c.) Paupercula erat antiqua, nova erit ditissima omnibusque gratiis abundanter ornabitur (54,11-15).

d.) Inexpugnabilis demum erit nova Sion utpote a Domino semper protecta (54,16. 17).

C. — SEXTA *concio* (55,1-56,8) *omnes, ut ad novam hanc Sionem accurrant, invitat.*

a.) Abiectis inutilibus curis omnes sine distinctione ad Deum accedant, quia cum eis novum illud et aeternum foedus feriet, cuius testis erit Messias (55,1-5) :

b.) Nunc eum iam quaerant vera conversione, certi promissiones eius non fore irritas (55,6-11); cum summa igitur laetitia novam Sionem semper incolent (55,12.13).

c.) Verum quoniam omnes gentes in novam Sionem ingredientur, limites illi, quibus antiqua Lex Israelitas coarctaverat et a certis hominum generibus separaverat, omnes disparebunt (56,1-7); omnes igitur gentes a Deo cum Israele congregabuntur (56,8).

4.) SEPTIMA CONCIO (56,9-57,21) *a futura illa gloria subito transitu nos ducit ad tristem conditionem aetatis, qua propheta vixit, ut ex oppositione clarius magnitudo illius gloriae cognoscatur.*

a.) Ex abrupto propheta gentes (bestias terrae) invitat, ut impium suum populum devorent (56,9);

b.) cernit enim populi sui principes omnibus vitiis ita deditos (56,10-12), ut ne innocentium quidem iustorumque morte erudiantur (57,1. 2);

c.) populum quoque cernit idololatriae prorsus deditum Deique sui plane oblitum (57,3-12).

d.) Nihilominus Deus eum non integrum abiiciet. Peribunt quidem illi, qui humanis suis auxiliis confidunt, salvabuntur

autem, qui in Deo ponunt fiduciam suam (57,13. 14). Neque enim in aeternum irascetur iis, qui ad eum redire volunt (57,15-19), impiis vero non erit pax (57,20,21).

3. — SECTIO TERTIA (58,1-66,24) : *Duplicia recipiet Ierusalem.* Quoniam dona, quibus nova Sion ditabitur, sunt spiritualia et ex interna iustitia quasi efflorescunt, Isaias duabus primis huius sectionis concionibus (58,1-59,21) internam illam iustitiam praeprimis inculcat; quinque deinde sequentibus vario modo bona illa eorumque auctorem celebrat (60,1-65,25); atque demum ultima, qua toti libro finis imponitur, universum argumentum vaticiniorum suorum complectitur (66,1-24).

1.) PRIMI MEMBRI DUAE CONCIONES (58,1-59,21) *internam iustitiam velut radicem bonorum regni messianici commendant.*

A. — PRIMA CONCIO (58,1-14) *putativae iustitiae veram opponit.*

a.) Propheta filiis Israel peccata eorum manifestare iubetur, quia ea ignorent (58,1. 2); externa enim sua opera praetendunt, quibuscum peccata gravia coniungunt (58,3-5).

b.) Quibus opponitur vera iustitia, ad quam tendere debent, ut felicitatis promissae consortes fieri possint (58,6-9; 9-12; 13-14).

B. — SECUNDA CONCIO (59,1-21) *sine poenitentia salutem non obtineri docet.*

a.) Multis quippe, quae enumerat, peccatis populum ab obtinenda salute excludi, propheta ostendit (59,1-8);

b.) atqui humili confessione filii Israel id agnoscant oportet (59,9-15);

c.) tunc enim Dominus ipse iustitiam restituet novoque suo populo spiritum suum ac doctrinam suam ita dabit, ut in aeternum ea dona non amittat (59,16-21).

2.) PRAECIPUA HUIUS SECTIONIS PARS (60,1-65,25) *quinque concionibus de regni messianici bonis eorumque auctore ita agit, ut vividum eorum desiderium excitet.*

A. — TERTIA CONCIO (60,1-22) *est de novae Sionis gloria.*

a.) Dum tota terra in tenebris iacet, super Sionem exorta est magna lux Domino ipso eam inhabitante (60,1. 2), atque tanta est haec gloria, ut undique gentes accurrant donaque sua afferant et deiectos muros antiquae Sionis restituant (60,3-17).

b.) Externa autem haec gloria ex interna eius sanctitate procedit; lux enim, quae in Sion lucet, est Dominus ipse, ideoque etiam nunquam deficiet (60,18-20). Ita terminati sunt dies luctus; omnes enim incolae sunt iusti et continuo crescent numero (60,21. 22).

B. — QUARTA *concio* (61,1-11) *auctorem huius gloriae celebrat.*

a.) Messias ipse annuntiat, quibus salutem et gloriam sit allaturus sc. mansuetis, contritis corde etc. (61,1-3);

b.) per hos ipse restituet Sionem eisque pro pristina ignominia et calamitate nunc duplicia conferet dona (61,4-9).

c.) Hinc Sion quasi sponsa a sponso monilibus ornata cantico gratias agit (61,10. 11).

C. — QUINTA *concio* (62,1-12) *ex praecedentibus conclusionem quandam deducit excitando desiderium novae Sionis.*

a.) Propheta non cessabit ab expetenda nova illa Sione, donec egrediatur, ardensque suum desiderium explicat iterum descripta eius gloria (62,1-5).

b.) Sicut propheta ipse, ita alii continuo aderunt, qui ardenti desiderio illam gloriam expetent, quam Dominus daturum se esse iuramento promisit (62,6-9).

c.) Ideo exhortatur propheta exsules, ut ad Sionem revertantur; Salvator enim iam adveniet bonaque sua illis afferet (62,10-12).

D. — SEXTA *concio* (63,1-64,12) *modum, quo Messias hanc gloriam meruit, in memoriam revocat et peccata, quibus populus sese beneficiis indignum reddidit, ut duplici hac consideratione vividius gloriae illius desiderium excitet.*

a.) Dramatico modo proponitur Messias, qui sanguine aspersus victor ex pugna revertitur, qua ab omnibus derelictus solus hostes suos contrivit (63,1-6).

b.) Quo aspectu commotus propheta ad precationem se convertens

α. — gratias agit Domino, quod populo, licet semper ei restiterit, tanta beneficia semper contulerit (63,7-14);

β. — sed ad praesentem populi conditionem attentionem convertens videt eum quasi derelictum (63,15-19);

γ. — hinc ardentissime supplicat Domino, ut tandem descendat atque illa bona concedat, quae solus exspectantibus se tribuere potest (64,1-4); indignum quidem sese esse fatetur (64,5-7), sed Dei ipsius causam agi monet, quum eius civitas et sanctuarium deserta iaceant (64,8-12).

E. — SEPTIMA *concio* (65,1-25) *exhibet Domini responsum ad praecedentem prophetae precationem.*

a.) Respondet igitur Deus, a gentibus se esse agnitum, at a populo suo, quamvis semper illum quaesierit, derelictum (65,1-4); ideo se eos punire debere (65,5-7);

b.) nihilominus eos non ita puniet, ut non simul innocentibus

parcat reliquiasque Israel salvet (65,8-10), sed poena eaque gravissima erit erga impios solos (65,11-16).

c.) Fideles autem servos suos omnimodis bonis ditabit, quae propheta magnificis coloribus describit (65,17-25).

3.) Octava concio (66,1-24) tertiae huius sectionis et totius libri epilogus *summum prophetiae argumentum quasi comprehendit.*

a.) Dominus maiestate plenus non respicit nisi internum hominis affectum, mere externos autem ritus odio habet, ideoque Israelitas, qui hos solos sectantur, eodem modo tractabit, quo ab illis tractatur (66,1-4).

b.) Pios autem, quibus impii nunc irrident, consolabitur (66,5); subito enim Sion ex Dei virtute novum populum parturiet (66,6-9);

c.) quare pios ad laetitiam exhortatur, quum summam beatitudinem a Deo sint obtenturi (66,10-14), dum impii severo iudicio punientur (66,15-17).

d.) Undique concurrent gentes cum filiis Israel ad sanctum montem in Ierusalem; ex iis Deus sibi assumet novos sacerdotes, atque continua festa in nova Sione celebrabuntur (66,18-23). Extra hanc civitatem novam autem iacebunt cadavera impiorum, quorum vermis non morietur (66,24).

2. — *Ieremiae libri et prophetia Baruch.*

1.) Prophetia Ieremiae.

Isaiam, quem misericordiae divinae praeconem fuisse diximus, in maiorum prophetarum serie Ieremias Helciae sacerdotis filius sequitur, quem *iustitiae divinae praedicatorem* iure appellamus. Sub impiissimo quippe rege Manasse natus munere prophetico non tantum Ierosolymis ab a. 13. Iosiae (a. 626) usque ad urbis et templi destructionem (a. 586) sed etiam postea inter Iudaeos transfugas in Aegypto atque (saltem probabiliter) inter exsules in Babylonia functus est. Illo igitur tempore degens, quo regnum Iuda mensuram peccatorum suorum implevit neque amplius ad Dominum sincera conversione reverti voluit, totus in eo fuit, ut populum divinitus electum innumerisque beneficiis cumulatum continuo suo divinae longanimitatis abusu pervicacique sua contumacia ultimam cladem, regni urbisque et templi excidium, sibi ipsum velut iustissimam poenam attraxisse demonstraret. Iamvero inter propheticos V. T. libros canon noster tres continet, qui Ieremiam habent auctorem, prophetiam seu vaticiniorum et concionum eius collectionem, threnos de urbis templique destructione, epistolam de idololatriae absurditate ad exsules in Babylonia datam et hodie cum prophetia Baruch, fidelis ministri Ieremiae, coniunctam; eorum analyses ex ordine exhibebimus.

Prophetia Ieremiae iuxta libri inscriptionem concionibus prophetiisque illis constat, quibus propheta per quadraginta annos inde ab a. 13. Iosiae usque ad ultimam cladem chaldaicam interitum regni Iuda quasi subsecutus est, nonnullisque pericopis historicis, quibus vaticinia etc. illustrantur; in appendice autem nonnulla addita sunt historica et prophetica, quae quum expugnatione urbis sint recentiora, inscriptione non comprehenduntur.

Duabus recensionibus, hebraica et graeca, nobis liber est conservatus, quae ambae Ecclesiae usu sunt probatae, quum prior a S. Hieronymo latine translata inde a 6. saec. inter Latinos est vulgata, altera non tantum primis saeculis in tota Ecclesia adhibebatur sed nunc quoque a plerisque ecclesiis orientalibus cum romana unitis adhibetur. Graecus textus hebraico aliquantulum brevior est, quum non tantum multis sententiis brevioribus, sed duabus quoque pericopis longioribus (33,14-26 et 39,1-13) careat, quae omnino pro genuinis admittendae sunt. Magna praeterea inter eos est ordinis differentia, siquidem vaticinia contra gentes a Massoretis et S. Hieronymo in fine libri exhibentur (cpp. 46. — 51.), ab Alexandrinis autem alio modo inter se disponuntur atque medio libro (post 25,13) inseruntur. Graecum ordinem genuinum esse censemus eumque in synopsi nostra praeferendum duximus, licet in argumento ipso exponendo massoreticum potius et latinum textum sequamur. Iuxta graecam porro recensionem praeter *exordium* (1,1-3,5) et *appendicem* (cpp. 40-45. et cp. 52.) tres partes apte distinguimus, quarum *prima* (3,6-24,10) et *tertia* (26,1-38,23) Iudaeos iuste puniri docent, *secunda* autem (25,1-38 et 46,1-51,64) vaticinia contra gentes exhibet.

I. Exordium (1,1-3,5) *post titulum* (1,1-3) *vocationem et missionem prophetae narrat librique argumentum summum indicat.*

1. — *Vocatio et missio Ieremiae* (1,4-19)

a.) Prophetam, quem ab utero sibi praeparavit, Deus vocat reluctantemque confortat, ut munus suscipiat (1,4-8), quod maxime quidem est ad denuntiandam populi stragem, sed etiam ad eum consolandum (1,9.10).

b.) Duobus symbolis indolem missionis ei manifestat. Amygdala (« virga vigilans ») Dominum cito sententiam suam executioni esse mandaturum significat (1,11. 12); olla ebulliens ab aquilone explicat, quae sententia contra populum sit lata : sc. eius gravis punitio per gentes septemtrionales propter eius idololatriam (1,13-16).

c.) Demum prophetam edocet, quae, ad quos, quomodo debeat concionari (1,17-19).

2. — *Argumentum libri : populum poena dignum esse et Deum eum esse puniturum* (2,1-3,5).

a.) Dei amore beneficiisque spretis populus Dominum suum reliquit et idola secutus est (2,1-9).

b.) Quod crimen apud gentes, qui deis suis cultum numquam negant, inauditum (2,10-13), licet omnium priorum calamitatum fuerit causa (2,14-17), etiam nunc perdurat (2,18. 19).

c.) Profecto inde ab antiquis temporibus semper et ubique populus secutus est idola (2,20-25), quamvis ei auxilio non essent (2,26-28).

d.) Quare contra Deum, qui omni ratione eum ad se attrahere studuit, populus conqueri non potest, si nunc punietur (2, 29-37). Sicut mulier a viro dimissa, si cum altero fuerit, a priore resumi nequit, ita populus, quum sincere converti nolit, a Deo relinquetur (3,1-5).

II. Pars prima (3,6-24,10) *sex concionibus*[1] *reprobationem regni Iuda propter eius crimina et contumaciam esse iustam et ineluctabilem demonstrat.*

1. — Prima concio (3,6-6,30) *poenae causam esse docet, quod populus converti nolit.*

1.) Comparat propheta sortem Israelis cum sorte Iuda, ut Iuda ad poenitentiam sinceram incitet (3,6-4,2).

1. Eas solas pericopas velut conciones vel narrationes separatas distinguendas censemus, quas propheta ipse nova inscriptione distinguit; illas autem hac ratione non esse habitas sed ex variis concionibus antea habitis a propheta esse compositas facile appareret. *Concionum* igitur vocabulum latiore sensu usurpamus, neque reluctabimur, si quis 5,1; 9,1; 9,23 etc. novam sectionem vel concionem aptius inchoari censeat. — Prima

a.) Israelis a Deo reiecti sorte Iuda non est eruditus, sed eadem peccata committens et *simulate* tantum se convertens peior est, quam Israel (3,6-11);

b.) Israel enim a Deo ad poenitentiam invitatus et futurae felicitatis messianicae recordatus (3,12-25) aliquando *sincere* ad Deum revertetur et ab eo recipietur (4,1. 2).

2.) Imminentem poenam proponit, ut Iuda ad sinceram conversionem invitet (4,3-31).

a.) Quoniam Iuda sincere converti non vult, exardescit ira Dei (4,3. 4); advenit ab aquilone poena tam horrenda, ut omnes terrore compleat : reges, principes, sacerdotes, prophetas, ipsum Ieremiam (4,5-10);

b.) sicut ventus urens advenit propter peccata Ierusalem, omnesque civitates obsidentur (4,11-18); quae videns propheta in gemitus prorumpit (4,19-22);

c.) tota terra devastabitur, nec poterit artibus suis urbs meretrix calamitatem avertere (4,23-31).

3.) At quia vanae sunt hae invitationes, Deus populum punire debet (5,1-31).

a.) Frustra Deus quaerit iustos, ut Ierosolymis parcere possit; a maximo ad minimum perverterunt vias suas (5,1-9);

b.) sicut Israel, ita Iuda despexit verba Dei, quae per prophetas locutus est, ideo factis debet Dominus confirmare verba prophetarum (5,10-19);

c.) re enim vera regni Iuda incolae omnes Dominum omnipotentem et benignissimum timere et amare nolentes eum ad se puniendos cogunt (5,20-29), quum (pseudo) prophetae sint mendaces, sacerdotes cum illis consentiant, et populus illos diligat (5,30.31).

4.) Quapropter calamitatem tamquam certam et ineluctabilem annuntiat (6,1-30).

a.) Exhortatur omnes, ut ex civitate fugiant, quia ab aquilone iam advenit hostis ad eam obsidendam et occupandam propter eius peccata (6,1-8);

b.) nulli parcetur, quia omnes vitiis se dederunt (6,9-15) et cuncta monita divina reiecerunt (6,16-19);

c.) propter solum externum cultum se esse evasuros inepte sperant (6,20. 21), hostis ab aquilone adveniens terribile exercebit iudicium (6,22-26);

d.) nam Iuda in probatione inventus est tamquam argentum reprobum, quod proiicit Dominus (6,27-30).

haec concio dicitur esse prolata « in diebus Iosiae regis »; quatuor, quae sequuntur, tempus, quo sunt habitae, non indicant; nihil vero obstat, quominus eas etiam diebus Iosiae adscribamus.

2. — ALTERA CONCIO (7,1-10,25) *populum immerito confidere docet externo suo cultu et lege accepta, siquidem criminibus suis sibi tantam poenam attraxit, quae quomodo averti potuerit indicat.*

1.) Vana est fiducia, quam populus in templo collocat et in sacrificiis (7,1-8,3).

a.) Si populus bene agere vellet, Deus semper cum eo maneret in templo; sed impium est templo confidere, si a criminibus non abstinent (7,1-11). Sicut Silo devastata est, devastabitur templum, quia monitis divinis non obediverunt (7,12-15).

b.) Quoniam idololatriae se dedit populus (7,16-19), Deus sacrificia eius polluta respuit, siquidem primum suum mandatum toties per prophetas inculcatum non observant (7,20-28).

c.) Quare ipsa urbs iam luctum agere iubetur, quia eius filii iure talionis in ipsis peccatorum suorum locis plectentur (7, 29-34) et eorum cadavera, utpote idololatrarum, cum idolis ignominiae tradentur (8,1-3).

2.) Vane gloriatur populus de lege accepta et vane confidit, quod Deus habitet in Sion (8,4-22).

a.) Ruina, quam descripsit propheta, averti posset, si populus ad Deum reverti serio vellet (8,4-7), at de Lege gloriantes operibus suis eam proiiciunt, quare proiicientur ipsi (8,8-12);

b.) adveniente ruina alias in civitates frustra fugient, ut se salvent (8,13-18), vaneque interrogant, annon Deus habitet in Sion; nam idololatria sua Deum ad iram provocaverunt, nec amplius eis reliquus est adiutor (8,19-22).

3.) Hinc propheta malitiam populi deplorat, quae tantam ei attraxit cladem (9,1-22).

a.) Die ac nocte deplorare vult calamitatem populi sui (9,1), sed necessariam illam esse agnoscit propter multiplicia eius crimina (9,2-9);

b.) desolationem totius terrae destructionemque urbis deplorat (9,10.11), at earum incolae dispersi sunt, quia ipsi Legem Domini reliquerant (9,12-16).

c.) Tam certum est iudicium, ut lamentatrices iam convocari iubeantur, quae magnam mortuorum stragem plangant (9, 17-22).

4.) Media salutis in memoriam revocat, quae non adhibuerunt neque adhibent (9,23-10,25).

a.) Humanis auxiliis non est confidendum, sed in sola veri Dei cognitione salus quaerenda, qui misericors quidem est, sed etiam iustus omnesque populos peccatores punit (9,23-26);

b.) cavendum igitur ab idolis, quae infirma sunt (10,1-5), neque Deo potentissimo et timendo praeferenda sunt idola, quae opera sunt hominum risui digna (10,6-16);

c.) (quia vero his monitis non obsequuntur), filii Iuda in exsilium proiicientur ibique stultitiam suam deplorabunt (10,17-22); tunc Dominum rogabunt, ut populum suum non penitus perdat, sed iram suam in eius hostes convertat (10,23-25).

3. — Tertia concio (11,1-13,27) *poenas propter foederis violationem esse necessarias ostendit.*

1.) Poena ob violatum foedus velut certa praedicitur (11,1-17).

a.) Foedus olim cum Deo initum atque violati foederis poenas propheta incolis Ierusalem et omnium civitatum Iuda in memoriam revocare iubetur (11,1-8);

b.) quoniam vero incolae Ierusalem et Iuda se offirmant, ne foedus observent, et effrenatae idololatriae se tradunt, poenae statutae tam certo advenient (11,9-13), ut nec prophetae precibus nec externis populi ritibus averti queant (11,14-17).

2.) Certam autem esse poenam docet propheta, quia populus est contumax (11,18-12,17).

a.) Quae praeprimis demonstrat exemplo ex sua ipsius vita allato. Anathothitis enim, qui ipsum ad mortem quaesiverunt, ne amplius eis praedicaret, ac proin salutis viam sibi ipsi obstruxerunt, plenus interitus a Deo est praedictus (11,18-23);

b.) conquerentem autem prophetam, quod poena ista non statim advenerit (12,1-4), consolatus est Deus primum quidem maiores ei persecutiones, quas a proximis suis sit passurus, praedicens (12,5.6),

c.) deinde suum ipsius ei proponens exemplum, qui illum populum, quem foedere hereditatem suam fecerat, in manus hostium et plenae vastationi tradi debeat (12,7-13);

d.) foederis tamen sui non est immemor, siquidem « hereditatem suam » aliquando sit salvaturus eiusque hostes, nisi resipiscant, deleturus (12,14-17).

3.) Duabus similitudinibus castigat contumaciam, qua conversionem respuit populus et poenam necessariam reddit (13,1-17).

a.) Lumbare lineum, quod Ieremias emere, aliquamdiu gestare, deinde prope Euphratem abscondere iussus postea putridum invenit (13,1-7), symbolum est populi, quem Deus ipse foedere velut lumbare sibi assumserat, sed propter contumaciam, qua monita eius audire recusavit, proiicere est coactus (13,8-11).

b.) Sicut omnis laguncula vino impletur, ita implebuntur omnes regni ordines ebrietate et sine misericordia proiicientur (13,12-14), nisi contumacia deposita in luce (foederis) deambulent (13,15-17).

4.) In peroratione propheta regi matrique eius amissionem coro-

nae et populo transmigrationem annuntiat (13,18-21); interrogantibus autem, cur id fiat, respondet foeda eorum peccata et contumaciam gravibus verbis et comparationibus exaggerans (13,22-27).

4. — QUARTA CONCIO (14,1-17,27) *poenam precibus iam non amplius averti posse denuntiat.*

1.) Propheta pro populo orans triplicem experitur repulsam (14,1-15,9).

a.) Occasione magnae siccitatis propheta, ut Deum ad misericordiam flectat, calamitatis magnitudine descripta (14,1-6), eum rogat, ut propter nominis sui honorem misereatur sui populi (14,7-9).

Deus autem prophetam propter magna populi peccata vetat orare respondetque se nec ieiuniis nec sacrificiis placatum iri, sed gladio fame peste populum interemturum (14,10-12).

b.) Instat propheta, culpam esse pseudoprophetarum monens, qui populum seducant (14,13).

Quibus reponit Deus, prophetas illos eadem ratione interituros, atque simul interitum populi confirmat stragisque magnitudinem describit (14,14-18).

c.) Obtestatur propheta Deum, ut Sionis recordatus poenitentiam populi respiciens propter honorem nominis sui et propter foedus salutem praestet, quum ad alium recurrere nequeant (14,19-22).

Respondet Deus, ne Moysen quidem et Samuelem, si adessent, populi gratiam esse obtenturos, atque gravissimam fore cladem iterum variis modis explicat (15,1-9).

2.) Qua repulsa afflictum et miseram suam sortem deplorantem prophetam Deus consolatur docetque, quomodo se gerere debeat (15,10-16,18).

a.) Prophetae de sua sorte conquerenti Deus auxilium promittit, sed a populo poenam non avertet (15,10-14; supplicantem tribulationesque suas enumerantem (15,15-18) consolatur exhortaturque, ut fortis munere suo fungatur (15,19-21).

b.) Deinde eum edocet, quomodo vivere debeat, ut sit vivum symbolum futurae sortis populi.

α. — Uxorem ducere et filios generare et in domum luctus intrare aut ad convivium accedere prohibetur, ut praesagiat omnes filios in Ierusalem natos gladio et fame esse interimendos nec quemquam de tanta strage luctum esse acturum atque omnem laetitiam ablatum iri (16,1-9);

β. — populo autem causam calamitatis sciscitanti scelera manifestare debet, quorum debita poena sit exsilium (16,

10-13), id quod fusius explicat futuram liberationem simul praedicens (16,14-18).

3.) Accuratius demum praecipuas explicat futurae poenae causas (16,19-17,27).

a.) Prima causa est idololatria. Ad Deum sese convertens Ieremias sperat fore, ut aliquando ipsi gentiles inanitatem idolorum cognoscant (16,19-21).

Quam spem confirmans Deus se ideo puniturum esse populum dicit, ut quantum sit illud peccatum intelligat, quod quum stylo ferreo cordibus et altaribus eorum sit inscriptum, sese commisisse non possunt negare (17,1-4).

b.) Altera causa est fiducia, quam in hominibus collocant (17, 5.6), quamvis in solo Deo collocanda sit (17,7-13). Quibus Dei verbis permotus propheta suam exprimens fiduciam indirecte populum docet, quid agere debeat (17,14-18).

c.) Tertia causa est Legis violatio; propheta enim omnes populi ordines exhortari iubetur, ut sabbatum observent (17,19-23); quod si fecerint, promittitur salus, si non fecerint, praedicitur interitus civitatis (17,24-27).

5. — QUINTA CONCIO (18,1-20,18) *duarum actionum symbolicarum explicatione certam esse poenam ostendit eamque per Chaldaeos inflictum iri praedicit.*

1.) Symbolum vasis a figulo mutati (18,1-23).

a.) Ieremias in domum figuli ire iussus videt eum pro arbitrio vas, quod sub eius manibus corruptum erat, in alteram formam mutare (18,1-4).

b.) Quod symbolum explicans Deus docet, se ipsum minas vel promissiones, quas de populo aliquo enuntiavit, mutare, si populus mutetur (18,5-10).

c.) Hinc propheta populum ad conversionem exhortari iubetur; quoniam vero populus converti non vult, Deus de tanta pertinacia conquerens interitum ei denuntiat (18,11-17).

d.) Quibus minis irritatus populus insidiatur prophetae, qui bona malis rependi videns ipse iam populi, qui emendari nolit, interitum a Deo precatur (18,18-23).

2.) Symbolum vasis a Ieremia confracti (19,1-20,6).

a.) Quoniam emendationis iam nulla remanet spes, Ieremias in vallem Ennom (in qua idolorum erant altaria) ad principes et sacerdotes descendens interitum urbis et stragem populi annuntiat (19,1-9) atque coram oculis eorum lagunculam conterit, quo discant, similem fore eorum interitum (19,10-13). Idem quoque in atrio templi toti populo promulgare iubetur (19,14.15).

b.) Quibus auditis Phassur, praepositus templi, prophetam percutit et in carcerem contrudit; postridie autem Ieremias e carcere dimissus praeposito templi annuntiat, eum et totum populum in manus *regis Babylonis* traditum iri (20,1-6).

3.) Querelae prophetae de inutilitate et difficultate muneris sui (20,7-18).

a.) Quasi invitus ad munus propheticum vocatus est et omnia sua monita irrideri videt, nec tamen a munere suo cessare ei licet, quamvis continuas inimicitias et insidias sibi suis concionibus attrahat (20,7-11);

b.) auxilium quidem divinum semper sibi praesto fuisse cum gratiarum actione agnoscit (20,12-14);

c.) attamen quam grave et onerosum sibi sit muneris istius exercitium, edocet similibus, quibus olim Iob, querimoniis sortem suam deplorans (20,15-18).

6. — SEXTA CONCIO (21,1-24,10) *Sedeciae tempore habita completum iam populi atque maxime ducum eius interitum praedicit,*

quum nec prima civitatis occupatio (a. 5. Ioakim) nec regis Iechoniae et optimatum transportatio eos ad conversionem adduxerint.

1.) Certus est interitus populi et regis (21,1-14).

a.) Sedeciae, quum Chaldaei bellum inchoassent, interroganti, annon Deus populum suum sit liberaturus, propheta respondet, Deum ipsum contra Ierusalem pugnare atque regem una cum eis, qui alias effugerint plagas, in manus Nabuchodonosor esse traditurum (21,1-7);

b.) populo, ut sortem suam leviorem reddat, aliam viam non patere nisi deditionem (21,8-10), domum regis autem, si iustitiam non exerceat, maiorem sibi calamitatem esse attracturam (21,11-14).

2.) De regibus stirpis davidicae (22,18-23,8).

a.) Praemisso generali monito, quo docet ab exercitio iustitiae et ab observatione foederis dependere sortem domus regiae et regni (22,1-9),

b.) Ieremias de tribus Sedeciae praedecessoribus loquitur:

α. — de Sellum (Ioachaz), quem in Aegypto moriturum cum miseratione quadam praedicit (22,10-12);

β. — de Ioakim, cui quia populum opprimat et iustitiam negligat (22,13-17), mors ignobilis et sepultura infamis praenuntiatur (22,18. 19);

γ. — de Iechonia. Superba Ierusalem omnes suos reges propter eorum peccata videbit in captivitatem abduci (22,20-23); iureiurando autem Deus confirmat, etiam

Iechoniam cum matre sua abductum iri, ut in terra aliena moriantur (22,24-27), nec ullum ex (legitimis) Iechoniae posteris thronum (davidicum) esse occupaturum (22,28-30).

c.) Indignis pastoribus, qui gregem disperdunt, reiectis promittit Deus, se populo iustos pastores esse suscitaturum (23,1-4) ac praecipue *iustum germen David*, in cuius diebus salus adventura sit populo (23,5-8).

3.) De pseudoprophetis (23,9-40).

a.) Pseudoprophetis, qui caeci caecos ducunt, ob eorum scelera cum indignatione annuntiat interitum (23,9-15).

b.) Populo autem ab eorum, qui sese ipsi mittunt, fraudibus cavendum esse monens (23,16-22)

c.) illos, qui pseudoprophetarum somnia et verorum prophetarum vaticinia quasi permiscent, vituperat (23,23-32),

d.) illosque, qui vocabulo prophetico *Massa* (onus) abutentes veris prophetis irrident, vehementer increpat (23,33-40).

4.) Pro conclusione Ieremias visionem symbolicam duorum calathorum ficorum proponit, quam habuit initio regni Sedeciae (24,1-3);

calatho ficorum bonarum significantur ii, qui cum Iechonia in Babyloniam abducti, quoniam ad Deum se convertere coeperunt, spem salutis obtinent (24,4-7), ficis autem pessimis rex Sedecias cum principibus suis et reliquo populo, qui gladio fame et peste sint perimendi (24,8-10).

III. PARS SECUNDA (25,1-14; 46,1-51,64; 25,15-38) *gentes eadem ratione, qua filios Iuda, a iustissimo Deo punitum iri praedicit*[1].

1. — PRO EXORDIO (25,1-13) *Ieremias vaticinium de iudicio per Chaldaeos contra Iuda et omnia regna vicina exercendo affert,*

quod « a. 4. Ioakim, qui est a. 1. Nabuchodonosor » iam promulgarat (25,1.2).

a.) Prioribus suis monitis, quibus populum per viginti tres annos a malis eius viis revocare studuit, sed quibus obedire recusarunt (25,3-7), in memoriam revocatis propheta

b.) regnum Iuda et vicina regna in manus Nabuchodonosor traditum iri, ut ei serviant septuaginta annis, deinde autem Chaldaeos ipsos punitum iri vaticinatur (25,8-12);

1. Quamquam ordinem quoque, quo singula vaticinia contra gentes in alexandrina recensione sunt disposita, utpote genuinum, praeferendum esse censemus, in analysi tamen, ut facilius eam lector sequi possit, illum retinere maluimus, quem Massorethae ac Vulgata habent, praesertim quum *interno* vinculo singula vaticinia inter se in neutro textu colligari videantur.

c.) atque certo eventura esse omnia, quae scripta sint in hoc libro (contra gentes) asserit (25,13. 14).

2. — *Vaticinia Ieremiae contra gentes* (46,1-51,64).

1.) *Vaticinia contra Aegyptum* (46,1-28).

a.) Vaticinium a. 605. pronuntiatum de Aegyptiorum clade ad Euphratem (46,2-12).

α. — In medias res abreptus propheta exhortatur exercitum Aegyptiorum ad pugnam, sed subito eum videt terga vertentem (46,3-6).

β. — Velut fluvius ripas suas transgrediens Aegyptiorum exercitus totam terram occupare voluit (46,7-9);

γ. — at dies ultionis est, quam sumit Deus de Aegyptiis (qui paucis annis antea pium regem Iosiam devicerant et occiderant); devincuntur Aegyptii, tota terra ignominiam eorum audit (46,10-12).

b.) Alterum vaticinium de Aegypto per Nabuchodonosor subiicienda (46,13-26).

α. — Urbes finibus vicinae ad pugnam se praeparare iubentur, sed inutiles sunt eorum conatus : tempus enim miserationis praeteriit, Nabuchodonosor advenit neque quidquam reliquum est Aegyptiis, nisi ut ad exsilium se praeparent (46,14-19).

β. — Nihil eos iuvant nec pulchritudo nec fortitudo nec prudentia; Deus enim punire vult Aegyptiorum idololatriam et humanam fiduciam, quare in manus Nabuchodonosor traduntur, sed spes felicioris sortis futurae eis relinquitur (46,20-26).

c.) Ultimo inciso parvulum vaticinium de feliciore sorte Iuda additur, quippe quae non eadem cum severitate, qua reliquae gentes, punietur (46,27-28).

2.) *Vaticinia contra minores nationes* (47,1-49,39).

a.) *Contra Philisthaeos* (47,1-7)

α. — Chaldaeorum exercitus ab aquilone adveniens tanto terrore omnes implet, ut ne filiorum quidem recordentur patres (47,1-3);

β. — neque id mirum, siquidem omnes civitates maritimae devastabuntur nec requiescet mucro Domini, donec cunctas destruxerit (47,4-7).

b.) *Contra Moab* (48,1-47).

α. — Vivide describit propheta singularum civitatum interitum totiusque terrae vastationem et populi stragem (48, 1-10).

β. — Olim quidem dives et felix fuit Moab, sed propter idolo-

latriam suam et vanam suam fiduciam destruetur (48,11-15).

γ. — Quare vicinos exhortatus, ut carmine lugubri interitum eius plangant (48,16-25), quippe cui Dominus non sit parciturus, quia contra Israel superbe se erexerit (48,26-30), propheta misericordia abreptus ipse interitum Moab deflet (48,31-39).

δ. — Nihilominus in ultima stropha minas suas summatim repetit (48,40-46), ita tamen, ut felicioris sortis spem quandam infelici populo relinquat (48,47).

c.) *Contra Ammon* (49,1-6).

α. — Ammonitae, quoniam filiorum Israel terram occuparunt, suam ipsorum terram amittent et dispergentur (49,1-5),

β. — sed illis quoque spes fulget reditus (49,6).

d.) *Contra Edom* (49,7-22).

α. — Sapientia sua Edom se salvare non potest, quia Deus confusionem Esau decrevit (49,7-11) et iureiurando confirmavit (49,12. 13);

β. — propter superbiam suam Idumaea meruit destructionem nec munitiones eam salvabunt (49,14-18);

γ. — velut leo enim adveniet destructor et magnus erit terror Idumaeae (49,19-22).

e.) *Contra Damascum* (49,23-27).

α. — Cum reliquis urbibus Syriae septemtrionalis etiam Damascus punietur (49,23. 24),

β. — neque eius pulchritudo eam salvabit, sed hostes alliciet (49,25-27).

f.) *Contra Arabes* (49,28-33).

α. — Exhortatur propheta hostes, ut Arabes diripiant, Arabes autem monet, ut fugiant (49,28-30),

β. — deinde iterum ad hostes conversus animum eis addit docens Arabibus non esse munitiones, at multas magnasque divitias (49,31. 32);

γ. — terram porro ita vastatum iri praenuntiat, ut habitationi hominum iam non amplius inserviat (49,33).

g.) *Contra Aelam* (48,34-39) in principio regni Sedeciae.

α. — Aelamitae confringentur et in omnes terras dispergentur, in eorumque terra ponet Dominus thronum suum (49,34-38);

β. — spes tamen reditus eis relinquitur (49,39).

3.) *Vaticinium contra Babylonem terramque Chaldaeorum* (50, 1-51,64).

a.) *Exordio abrupto* Ieremias annuntiari iam occupationem

Babylonis per gentem septemtrionalem iubet, quae terram Chaldaeorum devastatura sit (50,2. 3), atque illo tempore Iudaei in Ierusalem revertentur (50,4. 5).

b.) Babylon destruetur, quia contra Israel peccavit (50,6-40).

α. — Babylonii sibi impune Israelem vexare licere putaverunt, sed ecce Israel ex terra Chaldaeorum egredi iubetur, quae punienda et in solitudinem redigenda sit (50,6-13).

β. — Omnes quippe contra Babylonem arma capere monentur, ut Israelem ulciscantur, quem prius Assur, postea Nabuchodonosor devorare conati sunt (50,14-20).

γ. — Itaque Babylonem conculcent, quia templum Domini destruxit (50.21-28), Babylonios occidant, quia contra Dominum insurgentes in sua superbia Israelem dimittere noluerunt (50,29-34).

δ. — Gladius ergo super omnes ordines Chaldaeorum veniet et Babylon devastabitur sicut Sodoma (50,35-40).

c.) Babylon destruetur, quia propter eius peccata Dominus eius interitum decrevit (50,41-51,26).

α. — Populus ab aquilone venit contra Babylon; ubi rex Babylon timet, hostes eius confortantur, quia Deus decrevit Babylonis interitum (50,41-46).

β. — Terribilis erit hostis adveniens nec ulli parcet, quoniam tota terra Sanctum Deum Israelis offendit; fugiant igitur omnes, nam est dies ultionis Domini (51,1-6); atque ita cadet Babylon, ut non resurgat, nam Deus hostes populi sui puniet (51,7-12).

γ. — Hostes Babylonem aggredi iubentur, quia eius interitum iureiurando confirmavit Dominus omnipotens, coram quo idola corruunt (51,13-19);

δ. — terribile quippe sibi Deus elegit instrumentum, quo Babylonem, montem pestiferum, qui totam terram corrumpat, penitus destruat, ut nihil iam eius reliquum sit (51.20-26).

d.) Divinum decretum contra Babylonem exsecutioni mandatur (51,27-58).

α. — Convocantur undique milites contra Babylonem, quia exsecutioni mandatur divina sententia; Babylonii perterriti arma proiiciunt (51,27-32).

β. — Babylon facta est sicut area, in qua trituratur, quia Israeli de sua calamitate conquerenti Deus promisit, se eius causam esse acturum (51,33-40);

γ. — capta est Babylon[1] et Beli id eripitur, quod devoravit;

1. Iuniores rabbini iuxta cabbalisticam regulam *Athbasch* hoc in loco (51,41) uti

Israel igitur exire iubetur, nec timere, si illa auditurus sit, quae contra Babylonem fient (51,41-45);

c. — omnibus enim gaudentibus corruent idola Babylonis et occidentur eius incolae; opprobrium Israelis aufertur (51,47-51); nulla iam spes salutis Babyloni est relicta; integra destruitur (51,52-58).

e.) *Symbolica actione quadam certitudo impletionis vaticinii manifestatur* (51,59-64).

Seraiae Babylonem profecturo vaticinium contra Babylonem Ieremias scriptum tradidit (51,59-60) eumque illud Babylone legere ac deinde in Euphratem proiicere iussit, ut eodem modo, quo scriptum, Babylonem interituram esse significaretur (51,61-64).

3. — *Epilogus secundae partis constat vaticinio contra Iuda omnesque gentes simul sumtas* (25,15-38).

a.) Ieremias omnibus populis incipiens a Ierusalem et civitatibus Iuda calicem furoris divini propinare iubetur, ex quo ultimus bibiturus sit rex Babylon (25,15-26);

b.) quod si bibere nolunt, cogantur; si enim Ierusalem punitur, quomodo gentes poenam effugient, quum Dominus omnes impios sit iudicaturus (25,27-31)?

c.) Quam terribile sit illud iudicium, gravissimis verbis describitur (25,32-38).

IV. PARS TERTIA (26,1-38,28) *concionibus et narrationibus ostendit populum non obstantibus prioribus Chaldaeorum expeditionibus in sua contumacia perseverasse, ultimum ergo urbis excidium poenam fuisse iustissimam.*

1. — *Pro exordio tertiae partis narratur, quomodo tempore regis Ioakim prophetae tractati sint* (26,1-24).

Contumacia quippe Iudaeorum maxime ex eo elucet, quod prophetarum, Dei legatorum, monitis fidem habere noluerunt; ideo Ieremias, ut ultimae obsidionis tempore inobedientiam Iudaeorum crevisse ostenderet, antiquius hoc factum comparationis gratia praemisisse iure asseritur.

a.) In principio regni Ioakim Ieremias interitum templi et urbis, nisi populus convertatur, praedicens (26,1-6) a sacerdotibus et pseudoprophetis et toto populo ad mortem postulatur (26,7-11);

b.) sed coram populi principibus ad divinam suam missionem provocans liber dimittitur (26,12-19).

c.) Quis tamen fuerit etiam tunc regis et principum animus, do-

etiam 25,26 nomini *Babel* nomen *Sesach* substituerunt; atque similiter ex eadem lege in 51,1 pro *Leb Kamai* (Vulg. : *qui cor suum levaverunt contra me*) legatur oportet *Caschdim* (i. e. Chaldaea).

cet occisio Uriae prophetae, qui eadem, quae Ieremias, contra civitatem vaticinatus erat (26,20-24).

2. — *De Ieremiae dimicationibus cum pseudoprophetis* (27,1-29,32). Narrationibus his ostenditur, unde factum sit, ut Ieremiae, licet propheticum eius munus esset agnitum, a rege et a populo fides negaretur.

a.) *Ieremias et Hananias a. 4. Sedeciae*[1] (27,1-28,17).

α. — Ieremias vincula, quae tamquam futurae captivitatis symbolum gesserat, ad vicinos reges per eorum legatos transmittit, ut illis annuntiet Deum decrevisse eorum subiectionem sub rege Babylonis, eosque hortatur, ne a pseudoprophetis se seduci sinant (27,2-11).

Eadem ratione locutus est ad regem Sedeciam et sacerdotes populumque (27,12-18), praedicens omnia vasa sacra in transportatione Iechoniae nondum ablata transportatum iri Babylonem sed postea esse reversura (27,19-22).

β. — At Hananias pseudopropheta eodem tempore praedicit Deum Chaldaeos contriturum et post duos annos vasa sacra ablata cum omnibus captivis reducturum esse (28, 1-4). Cui contradicens Ieremias ad eventum provocat, qui verbum Hananiae falsum sit demonstraturus (28,5-9).

γ. — Hanania autem praedictionem suam actione symbolica confirmante, Ieremias vaticinium suum de subeundo iugo babylonico repetere iussus Hananiae mortem vicinam annuntiat, quae brevi post advenit (28,10-17).

b.) *Ieremias et pseudoprophetae inter exsules* (29,1-32).

α. — Quia pseudoprophetae vanis suis promissionibus etiam exsules excitare conabantur, Ieremias per Sedeciae legatos eis literas transmisit (29,1-3),

β. — quibus eos hortatus est, ut in Babylonia quieti viverent, neve a pseudoprophetis se seduci sinerent (29,4-9); septuaginta enim annos duraturum esse regnum babylonicum, atque tum demum eos esse reversuros magnasque promissiones impletum iri (29,10-15).

γ. — Quae ut confirmaret, magnas calamitates annuntiavit, quae antea venturae essent super Sedeciam et Ierusalem (29,16-20), duobusque pseudoprophetis, qui eos perturbarunt, gravem poenam denuntiavit (29,21-23).

1. Inscriptionem 27,1 ita esse emendandam, ut pro « *in principio regni Ioakim* » legatur : « *in principio regni Sedeciae* », ex toto vaticinio apparet et hodie ab omnibus admittitur, *Principium regni Sedeciae* autem hoc loco intelligendum esse annum 4. regni eius, iure ex 28,1 colligimus : « *in anno illo*, *in principio regni Sedeciae*, regis Iuda, *in anno quarto* » etc.

δ. — Tertio pseudoprophetae, qui literis ex Babylonia missis sacerdotes et populum contra Ieremiam excitare conatus erat, etiam finem turpem annuntiavit (29,24-32).

3. — *Vaticinia de futura felicitate Israel* (30,1-33,26).

Duplicem ob rationem hoc in loco haec oracula esse posita videntur; primum quidem vanis promissionibus, quibus pseudoprophetae populum seducebant, Deus veras opponere voluit, quae maiori consolationi erant populo; deinde vero ultimum finem ostendens, quem in puniendo populo prae oculis habuit, populum docere intendit, se non minus misericordem quam iustum esse.

1.) *Vaticinium de totius populi liberatione et exaltatione* (30,1-31,40).

a.) Futurae liberationis promissiones scribere iussus (30,1-3) Ieremias praeprimis universo populo restitutionem praedicit in pristinum statum felicem (30,4-24).

α. — Deus universum quidem populum magna calamitate percutiet, sed ex illa eum salvabit; iterum quippe eum in terram suam reducet novumque ei suscitabit *David* (Messiam); nam, quum reliquas gentes perimit, Israelem castigat ad emendationem (30,4-11).

β. — Licet insanabili vulnere Israel percussus sit, ab omnibus derelictus, idque iure merito, quia peccavit, Deus tamen ipse, qui hostes populi sui devastabit, eius vulnus sanabit (30,12-17);

γ. — reaedificabuntur templum et Ierusalem, populus regem suum recipiet et iterum erit Dei populus; tamdiu in impios egredietur furor Domini, donec decretum suum (de Israele) impleverit (30,18-24).

b.) Salutem non minorem regno Ephraim fore quam regno Iuda praedicit (31,1-26).

α. — Omnes tribus Israel Deus adunabit; etiam tribus septemtrionales reducet pristini sui amoris memor; ex monte Ephraim iterum in Ierusalem instituentur peregrinationes (31,1-6);

β. — ab extremis enim terrae finibus omnes colliget et velut pater ducet; gaudio eos replebit et maioribus donis ditabit (31,7-14).

γ. — Rachel (mater Ioseph), quae filios in captivitatem abductos deflet, a fletu iam cesset; poenitentis enim Ephraïm misertus Deus cito eum reverti iubet, ut novum videat, quod Deus creaturus sit in terra : *Femina circumdabit virum* (31,15-22);

δ. — atque Iuda quoque reducetur benedictionibusque divinis implebitur (31,23-26).

c.) Quanta porro futura sint bona populi iterum uniti, propheta describit (31,27-40).

α. — Israel et Iuda uniti erunt ager fertilis, quem Deus, sicut olim dissipavit, nunc plantabit, ut omnes eius iustitiam agnoscant (31,27-30).

β. — *Novum* quoque *foedus* feriet Dominus cum domo Israel et cum domo Iuda, multo perfectius foedere antiquo (31,31-34);

γ. — haec autem tam certo futura sunt, quam certo eveniunt illa, quae stabili lege Deus in rerum natura ordinavit (31,35-37);

δ. — demum delineato novae civitatis circuitu illa quoque loca includit, quae olim immunda fuerunt, in posterum autem sancta erunt, civitatemque aeternam fore promittit (31,38-40).

2.) *Actione symbolica praedicitur liberatio populi et aeternum foedus* (32,1-44).

a.) Anno 10. Sedeciae Ieremias in atrio carceris custoditus agrum in Anathoth situm a patruele suo Hanameel ex mandato divino emit, instrumentumque emtionis tradit Baruch, qui illud diligenter custodiat (32,1-15).

b.) Ieremiae porro precanti ut sibi reveletur, cur agrum illum emere sit iussus, siquidem urbs iam proximo tempore sit destruenda (32,16-25),

c.) Dominus respondet, destruendam quidem esse urbem propter magna eius peccata (32,26-35), sed captivitatem finem esse habituram et populum exstiturum sanctum, quocum pactum initurus sit sempiternum (32,36-41), atque tunc homines iterum possessuros esse agros suos (32,42-44).

3.) *Vaticinium de aeterno regno davidico* (33,1-26).

Ieremias in carcere vinctus orare iubetur, quia grandia Deus ei revelare velit de urbe, quae mox destruetur (33,1-5). Revelatio autem haec est:

a.) Reaedificabitur civitas et emundabitur et glorificabitur, ut exultationi et gloriae sit omnibus gentibus (33,6-9); iterumque erit gaudium in civitate, nova vita in tota terra (33,10-13);

b.) Davidi germinabitur *germen iustitiae*, atque semper erit rex in throno domus Israel, sicut semper offerentur sacrificia (33,14-18); tamdiu durabit pactum, quod pepigit Deus cum David, quamdiu pactum eius cum die et nocte durabit; semen autem David erit sicut stellae coeli (33,19-22).

c.) Errant igitur, qui regna Israel et Iuda putant a Deo

esse reiecta; semper enim ex semine David erit princeps seminis Abraham, Isaac et Iacob (33,23-26).

4. — *De continuata populi inobedientia et pervicacia in prophetam* (34,1-38,28).

1.) *Eadem, quae antea, tempore ultimae obsidionis fuit populi inobedientia* (34,1-35,19).

a.) Initio obsidionis, quum tota fere terra iam esset in Chaldaeorum potestate, Ieremias regi Sedeciae urbis quidem excidium certum fore praedicit, ipsum autem regem non gladio sed in pace moriturum et honorificam sepulturam inventurum (34,1-7). Quo vaticinio, ut videtur, permotus Sedecias incolas urbis adduxit, ut sollemni voto servos Hebraeos, quos contra Legem possederunt, dimitterent; at illi servos ex voto dimissos, quamprimum periculum evanuisse videbatur, iterum sibi subiugarunt (34,8-11).

b.) Hinc Deus per Ieremiam populum increpat de nova hac inobedientia et sollemnis voti violatione (34,12-16) votique violatores annuntiat gladio interituros (34,17-22).

c.) Ut malitia peccati istius et poenae iustitia clarius appareat, adnectit propheta alterum vaticinium tempore regis Ioakim acceptum. Iussus enim Rechabitas invitare, ut vinum biberent, illi recusarunt, quia per suum patrem Ionadab vino uti vetiti essent (35,1-11). Qua occasione obedientiam Rechabitarum erga eorum patrem cum Israelitarum erga Dominum inobedientia comparans Israelitis interitum, Rechabitis prosperitatem praedixerat (35,12-19).

2.) *Non tantum eadem, quae antea, sed maior semper fuit populi pervicacia contra prophetae monita usque ad ultimum obsidionis momentum* (36,1-38,28).

a.) Quis fuerit ante obsidionem animus Iudaeorum erga prophetae monita (36,1-32).

α. — Anno 4. Ioakim, imminente iam chaldaico periculo, Ieremias omnia sua vaticinia per Baruch literis mandare iussus est, ut ultimum faceret periculum, « num forte audiente domo Iuda universa mala, quae Deus cogitavit facere eis, unusquisque reverteret a via sua pessima et Deus propitius fieret eis » (36,1-8).

β. — Magnam commotionem liber, quum publice legeretur, excitavit in populo et in principibus (36,9-19); rex vero, quum nonnulla audisset, volumen in ignem proiecit et Ieremiam ad mortem quaesivit (36,20-26);

γ. — quare Deus regi maiora mala praedixit et Ieremiam in alio volumine eadem scribere iussit (36,27-32).

b.) Quae fuerit ultimo obsidionis tempore pertinacia populi contra prophetae monita (37,1-38,28).

Summum huius narrationis argumentum praemittit Ieremias, « nec Sedeciam nec ministros eius nec populum terrae obedivisse verbis, quae Dominus loquebatur per Ieremiam » (37,1. 2). Quam parum autem eis obediverint, docent facta.

α. — Eo tempore, quo Chaldaei, ut Aegyptios reiicerent, urbis obsidionem interruperant, Ieremias sollemni legatione a Sedecia interrogatus praedixit Chaldaeos reversuros et urbem expugnaturos esse (37,3-9). Licet igitur ab ipso rege tamquam verus Dei legatus esset agnitus, tamen tamquam transfuga in durissimum carcerem iniectus est (37,10-15).

β. — Deinde post Chaldaeorum reditum accitus a Sedecia, quum iterum interrogatus iterum interitum praedixisset, liber non est dimissus, sed in atrio carceris custoditus (37,16-20). Quoniam vero eadem semper praediceret, permittente rege a principibus, ut fame periret in cisternam luto plenam iniectus est (38,1-6); ex qua precibus Abdemelech Aethiopis servatus iterum in atrio carceris custodiebatur (38,7-13).

γ. — Tertia vice Sedecias eum consuluit, neque tamen eum propter metum principum et populi dimittere ausus est, « mansit vero Ieremias in atrio carceris usque ad diem, quo capta est Ierusalem » (38,14-28).

Epilogus (39,1-18) vaticinia Ieremiae confirmat narratis urbis expugnatione et destructione, regis et populi transportatione (39,1-10), quae Dei iustitiam erga peccatores demonstrant. Dei autem iustitia erga servos suos apparet in Ieremiae liberatione (39,11-14) et in promissione salutis Aethiopi Abdemelech facta, qui Ieremiam ex cisterna luti liberaverat (39,15-18).

Appendix (40,1-45,5; 52,1-34) duabus sectionibus constat, in quarum priore nonnulla collegit, quae thesi suae de iustitia divina demonstrandae inserviunt (40,1-44,30), altera vaticiniorum veritatem confirmat (45,1-5; 52,1-34).

1. — *Iudaeorum in Chaldaeam non abductorum continuata inobedientia et idololatria* (40,1-44,30) *iustam et necessariam longam captivitatem esse ostendunt.*

a.) Continuata Iudaeorum relictorum inobedientia (40,1-43,13).

α. — Ieremias a Chaldaeis dimissus ad Godoliam se contulit, quem Nabuchodonosor terrae praefecerat (40,1-6) et apud quem etiam omnes reliquiae populi refugium quaesiverunt (40,7-12).

β. — Sed postquam Godolias ab Ismahel Ammonita occisus est (40, 13-41,9), Iudaeorum reliquiae, quas ex Ammonitarum potestate Iohanan, unus ex ducibus Iudaeorum, liberaverat, ob Chaldaeorum metum in Aegyptum fugere statuerunt (41,10-18) eaque de re per Ieremiam interrogaverunt Dominum iuramento promittentes se Dei verba esse obedituros (42,1-6).

γ. — Ieremias autem, Deo interrogato, salutem et prosperitatem promisit, si in Palaestina essent remansuri (42,7-12), interitum vero certum gravissimis verbis praedixit, si Aegyptum essent ingressuri (42,13-22).

δ. — At duces mendacia haec esse et Ieremiam a Baruch, qui reliquias Chaldaeis tradere vellet, incitatum esse clamantes (43,1-3) cum toto populo in Aegyptum fugerunt atque Ieremiam et Baruch secum traxerunt (43,4-7). Quare ingressis Aegyptum Ieremias symbolica actione, Aegyptum a Nabuchodonosor expugnatum et devastatum iri praedicit (43,8-13).

b.) *Eorumdem continuata idololatria* (44,1-30).

α. — Congregatis transfugis propheta in memoriam revocat, pristinas calamitates poenam fuisse idololatriae (44,1-6), eosque monet, ut ab illa abstineant (44,7-10), ne plenum interitum sibi attrahant (44,11-14).

β. — Verum contumax populus omnis respondet se ab idololatria abstinere nolle (44,15-19).

γ. — Ieremias igitur pristinas calamitates iterum idololatriae attribuens (44,20-23) omnibus, qui ita locuti erant, plenum interitum a Deo iureiurando confirmatum annuntiat (44,24-28), atque pro vaticinii sui confirmatione proximam cladem Pharaonis Ephree (Hophra) praedicit (44, 29. 30).

2. — *Vaticiniorum suorum veritatem confirmat*

a.) relato parvulo *vaticinio de Baruch* (45,1-5), quod anno 4. Ioakim iam prolatum Iudaei coram oculis suis impleri viderunt. Baruch enim de dura sua sorte conquerens monitus est a Deo, ne sibi ipsi, dum totam terram puniri videret, grandia quaereret, contentus potius sit vitae et salutis promissione. Nec Chaldaeorum autem nec Iudaeorum, qui ei infensissimi erant (cfr 43,3), insidiae fideli ministro Ieremiae ullum damnum intulerant.

b.) Fusius repetita historia occupationis urbis (52,1-6), captivitatis Sedeciae et filiorum eius (52,7-11), destructionis urbis (52,12-14), translationis populi et vasorum sacrorum in Ba-

bylonem (52,15-30) demonstrat vera fuisse vaticinia sua minacia. Narrata autem exaltatione Iechoniae (52,31-34) consolatoria quoque vaticinia sua impleri coepta esse insinuat.

2.) Threni
id est Lamentationes Ieremiae prophetae.

Alter Ieremiae libellus in prophetarum canonem receptus a carminum, quibus constat, genere *Threni* seu *Lamentationes* inscribitur; quinque enim complectitur elegias, quibus propheta ruinas civitatis, templi, regni per Chaldaeos destructorum plangit poenaeque iustitiam agnoscens divinam misericordiam pro populo suo implorat. Quatuor priora carmina sunt alphabetica, quintum numero saltem (22) distichorum ad alphabetismum prope accedit.

1. — PRIMUM CARMEN (1,1-22) *in desolatione civitatis destructae plangenda maxime versatur.*

Duas eius esse partes monuit iam S. Thomas :

In priore (1,1-11) poeta desolatam civitatem deplorat,

quippe quae ab omnibus amicis derelicta (1,1-4) et inimicis propter sua peccata tradita (1,5-8) Deo audaciam hostium et populi miseriam ob oculos ponat (1,9-11).

In altera (1,12-22) per prosopopoeiam Ierusalem ipsa suam clademdeflens proponitur :

Postquam enim omnimodam illam desolationem, in quam ob peccata suasit deiecta queribunda descripsit (1,12-17),

Ierusalem iustam quidem hanc esse poenam profitetur (1,18. 19), sibi tamen solatium et in crudeles hostes vindictam a Deo efflagitat (1,20-22).

2. — ALTERUM (2,1-22) *Deum excidii huius auctorem esse docet.*

Iterum duae partes apte distinguuntur.

Prior (2,1-10) Deum civitatem destruentem depingit.

Etenim adumbrato urbis et regni excidio (2,1. 2) Deum exhibet, qui velut hostis populum suum debellans (2,3-5) suum ipsius templum cultumque (2,6. 7) una cum civitate destruit (2,8-10).

Quae videns poeta in *altera parte* (2,11-22)

prius quidem suum ipsius dolorem exprimit (2,11. 12), deinde frustra quaerens, quomodo Sionem consoletur, in hac sententia, Deum iustum haec fecisse, conquiescit (2,13-17) et Sionem exhortatur, ut continuis precibus calamitatisque suae descriptione Deum ad misericordiam flectat (2,18-22).

3. — IN TERTIO (3,1-66) *personam populi induens suas ipsius et populi calamitates ita describit, ut ex desperationis abysso ad novam spem sese erigat.* Tres partes distinguimus cum S. Thoma.

In *prima* (3,1-18) in calamitatum, quas perpessus est, descriptione totus versatur poeta earumque magnitudine ita abripitur, ut quasi desperabundus exclamet : « periit spes mea a Domino ».

At sola Domini recordatione quasi ad se revocatus, in *altera* parte (3,19-39) infinitae misericordiae divinae memor ad Deum se convertit (3,19-24), qui homines puniens eorum praesertim utilitatem et salutem sectatur (3,25-39),

Quamobrem in *tertia* parte (3,40-66) novam, quam concepit, spem prodit quum humili culparum confessione (3,40-54) tum auxilii efflagitatione (3,55-66).

4. — QUARTUM CARMEN (4,1-22) *disertius iam monet ducum ac populi peccata esse calamitatum causam.*

Duae sunt partes, quibus epiphonema additur.

In *priore* parte (4,1-11) calamitatum magnitudinem propheta depingit, eis pristinam felicitatem comparans (4,1-5)

atque tantas eas esse docens, quia peccatis suis Iudaei ipsos Sodomitas superaverint (4,6-11).

In *altera* (4,12-20) peccata accuratius describit, sanguinem scilicet innocentem qui a pseudoprophetis et sacerdotibus crudeliter est effusus (4,12-16),

vanamque fiduciam, qua populus auxilium gentium stulte ac temere imploraverat (4,17-20).

Epiphonemate (4,21. 22) Idumaeis de Iudaeorum excidio gloriantibus eandem sortem annuntiat.

5. — QUINTUM (5,1-22) « oratio Ieremiae prophetae » quidem inscribitur, sed *universi populi est oratio*, qui « post multiplicia lamenta, inquit *S. Thomas*, sese convertit ad precationis remedium ».

Etenim ut Dominum ad misericordiam sibi iterum exhibendam permoveat, universus populus

prius ei in memoriam quasi revocat quum miseriam omnimodam, quam ob patrum suorum suaque ipsius peccata patitur (5,1-7),

tum singulorum ordinum calamitates (5,8-14), atque praeprimis cultus divini templique destructionem (5,15-18),

atque deinde eum rogat, ne in aeternum sibi irascatur (5,17-22).

3.) Prophetia Baruch et epistola Ieremiae.

Ab Alexandrinis iam Ieremiae Prophetiae et Threnis duo alia opuscula adiungebantur, quorum unum (*Prophetia Baruch*) ab individuo ministro ac socio prophetae est compositum, alterum (*Epistola ad Iudaeos in Babyloniam abducendos*) Ieremiam ipsum habet auctorem. Quoniam a Vulgata nostra in unum quasi volumen contrahuntur, ita ut epistola sextum Prophetiae Baruch caput constituat, eorum analyses eodem ordine proponemus.

Baruch, filius Neriae, iam ante a. 4. Ioakim (a. 604) in ministerio Ieremiae fuit, in eoque non tantum usque ad urbis destructionem sed postea etiam in Palaestina et in Aegypto perseveravit, non obstantibus multis, quas cum magistro suo perferendas habuit, tribulationibus. A. 5. post urbis excidium a magistro suo, qui exsulum in Babylonia degentium semper curam habuit, ad eos ablegatus in eorum gratiam libellum suum composuit, in quo Dominum populum suum peccatis deditum gravibus quidem calamitatibus punire debuisse, sed poenitenti pristinas suas promissiones impleturum esse docet. Prophetiam hanc consolatoriam Baruch regi Iechoniae aliisque captivis legit ab iisque rogatus cum donis quibusdam Ierosolyma detulit, ut ibi quoque in templi ruinis opportuno tempore recitaretur. Continet autem *Prophetia Baruch* praeter historicam introductionem (1,1-14) duabus partibus precationem populi poenitentis (1,15-3,8) et prophetae sermonem consolatorium et exhortatorium ad contribules suos (3,9-5,9).

I. Introductio historica (1,1-14) praeter inscriptionem (1,1. 2) :

1. — *narrationem* continet, qua auctor Iechoniam reliquosque exsules libro Baruch praelecto pecunias collegisse easque cum vasis nonnullis sacris per Baruch Iudaeis palaestinensibus transmisisse refert (1,3-8);
2. — *epistolam,* qua exsules donorum suorum fine explicato rogant, ut sacrificia in templi ruinis offerantur, pro Nabuchodonosor eiusque filio Baltassar oretur atque liber, quem transmittunt, publice in domo Dei statis diebus praelegatur (1,9-14).

II. Pars prior (1,15-3,8) *populi poenitentis precationem exhibet.*

1. — *A confessione peccatorum,* quae inde a mosaico tempore patres sui non obstantibus prophetarum monitis commiserint (1,15-22), quibusque Deus ad poenam per Moysen praedictam populo non emendato infligendam coactus sit (2,1-10) exorsi exsules transeunt
2. — *ad divinam misericordiam implorandam* Deo velut motiva proponentes suam peccati agnitionem (2,11-13), divini nominis honorem (2,14-16), dolorem de peccatis conceptum (2,17-20).
3. — *Iustitiam poenae quoque profitentur* (2,21-26), at simul, quum ita impletae nunc sint minae a Moyse iam annuntiatae (2,27-29), sperant fore, ut promissiones quoque impleantur, quae poenitentibus sint propositae (2,30-35).
4. — *Qua spe nixi* ferventer precantur, ut pristinorum peccatorum oblitus Deus praesentem poenitentiam respiciat (3,1-8).

Pars altera (3,9-5,9) *prophetae consolationem et exhortationem continet.*

1. — *Celebrata vera sapientia, quae in Lege contineatur, veram viam salutis monstrat* (3,9-4,4).

a.) Velut exordium praemittit, filios Israel in calamitates

irruisse, quia fontem verae sapientiae reliquerint (3,9-13); unde discendum esse monet ubi inveniatur sapientia, per quam sint bona omnia (3,14).

b.) Non invenitur autem apud divites terrae ac proin thesauris non obtinetur (3,15-21), nec apud sagacissimos populos, ac proin sagacitate non acquiritur (3,22. 23), nec apud gigantes, ac proin potentia ius ad illam recipiendam non praebet (3,24-28); humanis igitur adiumentis ad eam perveniri nequit (3,29-31).

c.) Deus quippe omniscius eam solus cognovit eamque dedit filiis Israel (3,32-37), atque ipse postea in terra apparebit et cum hominibus conversabitur (3,38).

d.) Iam vero sapientia haec in Lege est revelata ac proinde Lex utpote via ad salutem amplectenda et diligenter retinenda est (4,1-4).

2. — *Qua via monstrata Baruch exsules ad fiduciam exhortatur; Israel enim, sicut a sapientia recedens in calamitatem irruit, ita ad Legem, i. e. ad sapientiam, revertens salutem iterum assequetur* (4,5-5,9).

a.) Post brevem praefationem, qua calamitatem, licet sit peccatorum poena, ad interitum et perditionem non esse monet (4,5-8),

b.) introducit Ierusalem ipsam civitates vicinas et filios suos in captivitatem abituros alloquentem;

α. — atque civitatibus quidem luctum suum manifestat de filiis suis ob suam ipsorum culpam in captivitatem abductis (4,9-16),

β. — filios autem suos consolatur; se quidem eos adiuvare non posse, sed a Deo, ad quem clamare debeant, venturum esse auxilium et captivitatis finem (4,17-29).

c.) Quae confirmans propheta ipsam Ierusalem consolatur punitionem hostium (4,30-35), reditum filiorum (4,36. 37), novam civitatis gloriam priore maiorem pollicitus (5,1-9).

Velut appendix quaedam in Vulgata nostra libello Baruch EPISTOLA IEREMIAE (*Bar.* 6,1-72) addita est, in qua propheta, ut Iudaeos in Babyloniam abducendos ab idololatria retineret, variis collectis argumentis simplicibus ac vulgaribus vanitatem inanitatemque idolorum demonstravit.

In EXORDIO (*Bar.* 6,1-6) propheta Iudaeos captivos in Babylonia diu permansuros praefatus (6,1. 2) thema suum proponit : sibi caveant exsules a timore et cultu idolorum, quae a Chaldaeis magno in honore haberi sint visuri, memores vero sint solum Dominum esse adorandum (6,3-6).

Variis argumentis (6,7-66), logico tamen, ut videtur, ordine non retento, ostendit

a.) idola illa, licet auro splendeant, coronis sint ornata armisque instructa, neque sua ipsorum ornamenta neque se ipsa posse defendere (6,7-15);

b.) omnibus quippe viribus illa esse destituta, ut neque videre, neque sordes a se averrere, neque ambulare neque sese, si ceciderint, erigere valeant (6,16-28);

c.) similiter illa, quamvis mulieres et sacerdotes habeant sibi inservientes, a ministris suis male tractari neque quidquam boni posse alicui facere (6,29-39);

d.) immo vero illa ab ipsis Chaldaeis non nisi libidinibus honorari, neque id esse mirum, quum a vilibus artificibus sint confecta et sacerdotum auxilio indigeant, ut ab hostibus abscondantur (6,40-51);

e.) demum illa laborare tanta impotentia, ut omni vel vilissimo vase sint inutiliora (6,52-58), adeo ut illa cum sole aliisque rebus maiore vi a Deo praeditis ullo modo comparare non liceat (6,59-66).

In epilogo (6,67-72) tandem illa bestiis ipsis inferiora atque avium formidinibus, quae in cucumeratis ponuntur, aliisque rebus inanimatis similia proclamans Ieremias eum sese ipsum opprobriis commaculare docet, qui ab idolis colendis sese non abstineat.

3. — *Prophetia Ezechielis.*

Tertius in maiorum prophetarum serie est *Ezechiel*, *filius Buzi*, sacerdos, qui una eum rege Iechonia in Chaldaeam abductus prope Chobar fluvium domicilium fixit ibique divinitus vocatus est, ut corruente iam antiquo theocratiae statu Iudaeos exsules ad novum praepararet et tamquam *fidelitatis divinae propheta* Deum promissis suis stare docens contribulium suorum animos nova spe repleret et ad Dominum Deum suum reduceret.

Prophetia Ezechielis enim multis vaticiniis et symbolicis visionibus actionibusque constat, quae partim quidem interitum urbis, templi, regni propter continua populi peccata ineluctabile esse ostendunt et iustissimum, partim autem reditum ex exsilio, restitutionem templi et urbis, inauditum novi regni splendorem promittunt. Quae duo ad plenam unitatem illa idea rediguntur, qua totum librum regi insinuavimus, Deum nimirum, utpote foederis cum populo Israel initi semper memorem, fidelissimum esse uti in poenis, quas populo peccanti comminatus est, infligendis, ita etiam in beneficiis, quae populo poenitenti promissa sint concedendis.

Porro liber a multis in duas partes praeter introductionem ita distribuitur, ut prior iudicia divina contra Iudaeos (3,22-24,27) et contra gentes (25,1-32,32) contineat, altera Israelis restaurationem hostiumque eius destructionem praedicat (33,1-39,29) et gloriosum regnum messianicum describat (40,1-48,35). Cum aliis tamen librum tripartitum dicere malumus : introductionem quippe sequuntur vaticinia ante urbis obsidionem promulgata, quibus certum esse ultimum regni Iuda excidium praedicitur (3,22-24,27); altera deinde pars vaticiniis constat, quae pleraque ipso obsidionis tempore prolata gentibus vicinis graviorem calamitatem annuntiant, eo quod de Israelis interitu laetentur (25,1-32,32); tertia demum consolationibus suis animos Israelitarum destructione urbis ac templi fractos ad novam spem erigit (33,1-48,35). Hanc igitur divisionem in analysi sequimur.

I. Exordium (1,1-3,21) *Ezechielis vocationem et institutionem ad munus propheticum exhibet.*

1. — Symbolicam visionem describit, qua propheta inauguratus est (1,1-29). Eius quippe tempore (5. die mens. 4. a. 5. transmigrationis Iechoniae i. e. a. 592.) et loco indicatis (1,1-3) se quatuor animantia (quibus Cherubim significari postea cognovit *cfr* 10,20 sq.) vidisse refert (1,4-14), quae currum ducebant (1,15-25), cui maiestas divina insidebat (1,26-28) [1].

1. De visionis ac symbolorum significatione cfr *P. Ios. Knabenbauer* Comment. in Ezechielis Prophetiam. Parisiis 1890, p. 33-41.

2. — Qua visione ab initio perterritus, sed mox confortatus (2,1. 2)
   a.) se ad populum rebellem esse mittendum audit, quare ut fortis sit monetur (2,3-8);
   b.) qualem nuntium populo afferre debeat, edocetur iussus comedere volumen plenum vaticiniis tristibus (2,9; 3,1);
   c.) quod postquam comedit (3,2. 3), a Deo instruitur et roboratur, ut munus suum obire valeat (3,4-9), et tamquam divinus legatus ad populum suum mittitur (3,10. 11).
3. — A spiritu divino in locum missionis suae transportatus (3,12-15) post septem dies in silentio peractos custos populo suo a Deo constituitur edoceturque, quae legationis suae sit sanctio quum relate ad ipsum, tum relate ad populum (3,16-21).

II. PRIMA PARS (3,22-24,27) *ineluctabile esse proximum urbis Ierusalem et regni Iuda excidium praedicens Deum docet fidelem esse in minis contra populum peccantem olim prolatis.*

1. — DUOBUS REALIBUS TOTIDEMQUE VERBALIBUS VATICINIIS (3,22-7,27) *Ezechiel urbi interitum populoque infelicem sortem certo instare praenuntiat.*
   1.) In campum egredi iusso gloria Dei iterum apparens praecipit, ut advenientem calamitatem prius in se repraesentet ac deinde verbis contribulibus suo tempore manifestet (3,22-27).
   2.) *Duplex autem est reale vaticinium, quod in se repraesentare debet* (4,1-5,17).
      a.) In latere quippe cocto urbem obsessam depingere (4,1-3) atque eam intuens recumbensque super latus sinistrum trecentis nonaginta diebus iniquitatem Israel et super latus dexterum recumbens quadraginta diebus iniquitatem Iuda portare iubetur (4,4-8), vili simul et foede concocto cibo, qui solus ei toto obsidionis tempore conceditur, calamitates obsessorum figurans (4,9-17).
      b.) Deinde comam radere iubetur eiusque partem comburere, partem gladio percutere, partem tertiam nonnullis pilis conservatis in campo dispergere (5,1-4).
      c.) Quam symbolicam actionem Dominus significare docet iudicium contra incolas Ierusalem exercendum secundum eius causam (5,5-9) et modum (5,10-17).
   3.) *Sequitur duplex verbale vaticinium de eadem re* (6,1-7,27).
      a.) In priore omnibus locis, in quibus filii Israel idololatriam exercuerant (i, e. omni terrae Israel) idololatrisque ipsis interitus praedicitur (6,1-7), ita tamen ut nonnullis spes conversionis relinquatur (6,8-10); quae poena iusta est, licet gravissima (6,11-14).

b.) Carmine quodam lugubri iudicium mox instare annuntiatur (7,1-27). Scilicet exitii adventuri decretum (7,3. 4) tribus strophis ita evolvitur, ut in prima illud iamiam instare doceatur (7,5-11), in altera eius gravitas describatur (7,12-18), in tertia spes omnis praecidatur (7,19-27).

2. — VISIONE DE URBIS INTERITU (8.1-11,25), *quae die* 5. *m.* 6. *a.* 6. *transmigrationis Iechoniae* (i. e. a. 591.) *ei ostenditur, propheta edocetur, quaenam sint causae poenae tam gravis.*

1.) Ecstatica visione in urbem et templum translato (8,1-4) *idololatria incolarum in templo ante oculos ponitur.*

a.) In porta septemtrionali templi scilicet idolum zeli (Baal) adoratum (8,5. 6) atque in interiore quadam templi parte omnibus idolis domus Israel (vitulis etc.) a septuaginta senioribus thus offerri videt (8,7-12),

b.) dum in sanctuarii atrio mulieres publice Thammuz (Adonidem) venerantur (8,13. 14) atque sacerdotes ipsi quoque solem adorant (8,15-18).

2.) *Ut tanta flagitia puniantur,* clamante Domino (9,1)

a.) accedunt sex viri armati et unus scriba, atque hic quidem omnes innocentes litera *Thau* signare (9,2-4), illi cunctos qui signati non sint, occidere iubentur, incipientes a templo per totam civitatem (9,5-11).

b.) Quibus peractis scriba ex throno Dei prunas ignitas sumere iubetur, quas super civitatem spargat (10,1-7); gloria autem Dei (cuius apparitio describitur uti 1,5 sqq.) e templo egressa super Cherubim in porta orientali consistit (10,8-22).

3.) *Antequam autem Dominus civitatem relinquit,*

a.) prophetam impiis principibus propter eorum peccata mortem annuntiare iubet (11,1-12).

b.) eundemque, quum subita morte unius ex principibus perterritus esset, consolatur reditu et plena conversione reliquiarum praedictis (11,13-21).

4.) Tum templo et urbe relictis gloria Domini requievit in monte Olivarum (11,22. 23), propheta autem ad se reversus exsulibus annuntiavit omnia, quae viderat (11,24. 25).

3. — TERTIO VATICINIORUM CYCLO (12,1-19,14) *a praedictione captivitatis regis Sedeciae et populi exorsus propheta causas calamitatis accuratius describit.*

1.) *Duplici actione symbolica infelicem sortem regis et populi praedicit* (12,1-28).

a.) Futuram Sedeciae fugam, captivitatem, caecitatem populique transportationem in se portendere (12,1-7) populoque

interroganti significationem portenti explicare iubetur (12,8-16);

b.) altero signo futuram calamitatem populi terraeque desolationem portendit (12,17-20) populumque edocet, nec cassas vanasve fore neque in longum differendas prophetarum minas (12,21-28).

2.) *Cuius calamitatis causa prima est corruptio eorum, qui populo invigilare debuerunt* (13,1-14,23).

a.) Atque primum quidem pseudoprophetas castigat (13,1-23).

α. — Vae dicit pseudoprophetis, quia se divinas visiones vidisse mentientes (13,1-9) vanis suis promissionibus populum in errorem inducant (13,10-16);

β. — vae quoque dicit mulieribus, quae lucri studio ductae mendacibus suis vaticiniis vanam fiduciam in populum excitent (13,17-23).

b.) A prophetis ad seniores populi venit (14,1-23).

α. — Senioribus, qui per prophetam Deum interrogant, Deus respondere renuit, quia in cordibus suis idololatriam retineant (14,1-4);

idololatris enim, nisi se convertant, Deus non respondet nisi interitu eorum, qui interrogant, et interitu prophetarum, qui respondere volunt (14,5-10), ut hac ratione populus edoceatur (14,11);

β. — terram autem idololatram fame, feris, bello, peste ita punict, ut ne iustissimi quidem viri (Noe. Daniel, Iob) precibus calamitatem avertant (14,12-23).

3.) *Altera causa est universi populi corruptio, quam parabolis illustrat* (15,1-17,24).

a.) Sicut lignum de vite praecisum prorsus est inutile et igne comburitur, ita Ierusalem (utpote palmes abscissa) comburenda est (15,1-8).

b.) Longiore parabola totam historiam religiosam Israel quasi depingit (16,1-63).

α. — Virginem (Ierusalem) origine sua abiectissimam et miserrimam (16,1-5) Deus certae morti eripuit maximisque donis ornatam sibi desponsavit (16,6-14);

β. — at ingrata sponsa pulchritudine sua confisa libidinibus pravis (idololatriae) se dedit (16,15-23) undequaque conquisitis idolis, quibuscum fornicaretur, donisque suis ea sibi acquirens (16,24-34).

γ. — Sed per eosdem punietur, per quos ad peccatum pervenit (16,35-42), atque iustissima erit poena, quia donis gratuitis divinis ita abusa est, ut vel ipsam Samariam et Sodoma superaverit (16,43-52).

δ. — Memor tamen foederis sui Deus reducet Ierusalem ad gloriam promissam tali electa via, ut de propriis meritis suis non amplius gloriari possit, sed summo pudore afficiatur (16, 53-63).

c.) Tertia parabola apostasiam politicam Israel adumbrat (17, 1-24).

α. — Parabolam de duabus aquilis et de vite narrat, quae ab una erat plantata, sed ad alteram inclinavit ideoque destructa est (17,1-10),

β. — eamque explicat de Nabuchodonosor (aquila priore), qui pro rege Iechonia abducto constituerat Sedeciam (vitem); sed foedere, quod iuramento confirmaverat, temere violato Sedecias a rege Aegypti (altera aquila) sibi auxilium quaesivit, atque hanc ob causam cum toto populo captivus abducetur, quia contra Dei voluntatem egit (17,11-21).

γ. — Nihilominus domus davidica non peribit, sed Deus ipse tenerum ramum conservabit, qui in magnam arborem excrescet (17,22-24).

4.) Ne vero putent Israelitae, se ob patrum tantum suorum peccata nunc pati neque proinde se ipsos conversione indigere, ut ea, quae promissa sunt, consequantur, *Deus eos edocet, unumquemque sua ipsius peccata expiare* (18,1-32).

a.) Principium enim proponit universale, omnem animam suis ipsius peccatis interire (18,1-4);

b.) nam vir, qui Legem observat, sibi quidem vitam acquirit (18,5-9), sed filium Legem violantem non salvabit (18,10-13);

similiter autem peccatoris filius, si patris peccata non imitatur sed Legem observat, vitam sibi acquirit, licet pater eius in peccatis sit mortuus (18,14-20);

atque peccator quoque, qui poenitentiam agit, vitam habebit, uti iustus, qui iustitia abiecta peccato se tradit, mortem sibi attrahit (18,21-29).

c.) Quapropter omnes ad Deum se convertant oportet, ut salutem consequantur (18,30-32).

5.) *Vaticiniorum cyclum hunc carmine parabolico terminat, quo interitum domus regiae et populi plangit* (19,1-14);

itaque cycli finis initio eius (*cfr* 12,1-28) respondet.

a.) Quoniam reges davidici regibus ethnicis (leonibus) similes esse voluerunt, unus ex eis (Ioachaz) abductus est captivus in Aegyptum (19,1-4), alter (Iechonias? Sedecias?) abductus est (abducetur) in Babyloniam (19,5-9).

b.) Populus autem, olim vitis fecunda, iam evellitur et in desertum proiicitur (19,10-14).

4. — QUARTO VATICINIORUM CYCLO (20,1-23,49), *cui dies* 10. *m.* 5. *a.* 7. i. e. a. 590.) *assignatur, causas poenae et poenam ipsam Ezechiel ita proponit, ut iudicium divinum non tantum populo emendando sed etiam gloriae divinae manifestandae inservire ostendat.*

1.) *Interrogantibus senioribus Deus respondere abnuit* (20,1-4), *eis tamen per prophetam conspectu historico* (*qui parabolae cp. 16. congruit*) *proposito necessitatem poenae probat* (20,5-44).

a.) Populus sine ullis suis meritis a Deo electus iam in Aegypto rebellem se exhibuit et idololatriae deditum; at propter honorem nominis sui Deus eum ibi delere noluit (20,5-9).

In desertum porro educti et patres (20,10-17) et filii (20, 18-26) iterum rebelles fuerunt iterumque Deus propter nomen suum iis pepercit.

b.) Demum in terram promissam introducti eodem modo, quo prius, idolis serviunt (20,27-29), et nihilominus Deum consulere audent; at Deus eis non respondebit sed in desertum gentium dispersos severo iudicio purgabit (20,30-38).

c.) Atque hac ratione gentem sibi creabit mundam, quae in terram suam reducta ipsi sit servitura (20,39-44).

2.) *Annuntiatio iudicii venturi* (20,45-21,32), *quae respondet visioni cpp.* 9-11.

a.) Parabola incendii saltus meridiani annuntiat regni Iuda destructionem (20,45-48).

b.) Quae parabola, utpote populo difficilior (20,49) explicatur annuntiato gladio super Ierusalem venturo (21,1-27).

α. — Dominus minatur, se gladium immissurum in Ierusalem (21,1-7) eiusque horrorem describit (21,8-17).

β. — Gladius autem hic erit gladius regis Nabuchodonosor, quem Dominus ducet versus Ierusalem (21,18-24), ut eam pontificatu et throno privet, donec venturus sit (Messias), cui iure competant (21,25-27).

γ. — Idem quoque gladius Ammonitas Israelitis irridentes penitus destruet (21,28-32).

3.) Quemadmodum poenam futuram parabola et proprio sermone annuntiaverat, ita nunc *causas poenae proprio sermone et parabola describit* (22,1-23,49).

a.) Nudo sermone peccata Ierusalem proponit (22,1-31).

α. — Caedes et idololatria peccata praecipua sunt, quibus Ierusalem interitum suum accelerat (22,1-6), at his coniuncta sunt multa alia scelera, quae gravem poenam merentur (22,7-16).

β. — In toto Israel non inveniuntur nisi scoriae igne conflatorii expurgandae (22,17-22).

γ. — Severum igitur iudicium requiritur, quia omnes or-

dines (prophetae, sacerdotes, principes, homines privati) vitiis sunt dediti (22,23-31).

b.) Idem argumentum propheta parabola prosequitur (simili illi quam cp. 16. proposuerat), ut utriusque regni Israel et Iuda idololatriam castiget (23,1-49).

α. — Duas sorores (Samariam et Ierusalem), licet in Aegypto iam fornicatae essent, Deus sibi desponsavit (23,1-4); at natu maior Oolla (Samaria) fornicata iterum est cum Assur et Aegypto ideoque in Assyriae potestatem tradita (23,5-10).

β. — Quibus non edocta altera Ooliba (Ierusalem) maiora flagitia cum Assur, Chaldaeo et iterum cum Aegypto commisit (23,11-21); propterea Dominus tradet eam in manus Chaldaeorum (23,22-31), ut eadem ratione, qua soror eius, puniatur (23,32-35).

γ. — Gravioribus deinde verbis utriusque simul fornicationem reprehendit (23,36-44) easque iudicio adulterae et homicidae iudicatum iri docet (23,45-49).

5. — VATICINIA *ipso die, quo Ierusalem obsideri coepta est* (*i. e. die* 10. *m.* 10. *a.* 9. *seu a.* 588.), *promulgata excidium regni et urbis instare docent* (24,1-27).

1.) Hunc diem propheta sibi adnotare (24,1.2) populoque sub parabola ollae, in qua frusta carnis penitus concoquuntur, instantem urbis et incolarum sortem describere iubetur (24,3-14).

2.) Deinde Deus annuntiat prophetae, uxorem eius esse morituram, eumque de illius morte luctum agere vetat (24,15-17). Eadem die mortua est uxor atque propheta iussa Dei exsecutus interroganti populo respondet, templum urbemque destructum iri neque de iis luctum esse agendum (24,18-24).

3.) Demum tacere (contribulibus suis) iubetur, donec nuntium de urbis interitu accipiat (24,25-27).

III. SECUNDA PARS (25,1-32,32) *vaticinia complectitur, quibus Ezechiel septem gentibus interitum praenuntiavit.*

1. — SEX POPULIS VICINIS *interitus annuntiatur, quia de destructione regni Iuda gavisi sint* (25,1-28,26).

1.) Paucis tantum sententiis poenam excidii propter iniuriam Israelitis illatam annuntiat *Ammonitis* (25,1-7), *Moabitis* (25,8-11), *Idumaeis* (25,12-14), *Philisthaeis* (25,15-17).

2.) *Longius et magnificentius est vaticinium contra Tyrum eiusque regem* (26,1-28,19).

a) Anno 11. (i. e. a. 586.) Tyri ipsius interitus praedicitur et carmine plangitur (26,1-27,36).

α. — Indicato Tyri peccato (26,1.2) eius ruina in genere annuntiatur (26,3-6). Deinde hostis nominatur eiusque labores describuntur, quibus Tyrum tam complete diruet (26,7-14), ut omnes insulae de eius ruina stupore afficiantur (26,15-18), nec quisquam amplius eius vestigia reperiat (26,19-21).

β. — Pulcherrima elegia describit pristinam Tyri opulentiam et potentiam sub imagine navis magnifice exornatae (27, 1-11), quae undequaque merces et opes conquirat (27,12-25), sed subito naufragio cum cunctis suis divitiis a mari deglutiatur (27,26.27), atque ab omnibus carmine lugubri plangatur (27,28-36).

b.) Simili modo regis Tyri interitus praedicitur (28,1-19).

α. — Regis castigatur superbia (28,1-5), propter quam morte infami peribit (28,6-10).

β. — In carmine lugubri prius singularis eius magnificentia describitur (28,11-14), qua ad superbiam adductus (28, 15. 16) proiici meruerit et interire (28,17-19).

3.) *Breve vaticinium contra Sidon* (28,20-26).

Sidon, quia contra Israel peccavit, plane interibit (28,20-24) Israel ipse autem ex captivitate revertetur, ut omnes cognoscant, quodnam sit Domini in puniendis gentibus consilium (28,25. 26).

2. — AEGYPTI INTERITUS *sex vaticiniis annuntiatur* (29,1-32,32).

1.) *Die* 11. *m.* 10. *a.* 10. (*i. e. a.* 587.) *Pharaoni universaeque Aegypto excidium praedicitur* (29,1-16).

a.) Pharao, quia se ipsum sui regni et potentiae suae putat creatorem, a Deo proiicietur, ut omnes habitatores Aegypti verum Deum cognoscant (29,1-6).

b.) Quoniam sese populo Israel exhibuit baculum arundineum, universa eius terra per quadraginta annos in desertum redigetur (29,6-12); quibus finitis Aegyptus resurgens non erit nisi regnum humile, in quo populus Israel fiduciam non amplius sit positurus (29,13-16).

2.) *Alterum adiungitur vaticinium multo recentius (die 1. m. 1. a. 27. i. e. a. 570. datum) quo praecedens accuratius definiri videtur* (29,17-30,19).

a.) Deus enim se Nabuchodonosori Aegyptum velut mercedem dedisse promulgat, eo quod in devastanda Tyro decretum strenue sit exsecutus (29,17-21).

b.) Quod vaticinium explicans (30,1-19) declarat

α. — vicinum esse toti Aegypto diem iudicii (30,1-5),

β. — in iudicii autem die totam potestatem Aegypti confrac-

tum iri per Nabuchodonosor, qui hominum magnam stragem facturus ac terram devastaturus sit (30,6-12),

γ. — idola quoque Aegypti munitionesque eius destructum iri; eius autem iuvenes gladio esse perituros et filias in captivitatem abituras (30,13-19).

3.) *Tertium vaticinium (promulgatum die 7. m. 1. a. 11. i. e. a. 586., postquam Aegyptii, qui Ierosolyma obsessa liberare voluerant, a Chaldaeis erant devicti) Deum praedicit debilitaturum esse brachium Pharaonis et confortaturum brachium regis Chaldaeorum* (30,20-26).

4.) *Quartum (die 1. m. 3. a. 11. promulgatum) comparatione Pharaonis cum rege Assyriae eius interitum annuntiat* (31,1-18).

a.) Praemissa interrogatione, cui magnitudo Pharaonis comparari possit (31,1. 2),

b.) Assyria describitur velut magnifica cedrus Libani ita elevata super omnia arbusta, ut aliae omnes arbores ei inviderent (31,3-9), sed superbia elatam alieni succiderunt et proiecerunt (31,10-14), et ruina eius stupore implevit omnes gentes (31,15-17).

c.) Haec erit sors Pharaonis (31,18).

5.) *Quintum (die 1. m. 12. a. 12. i. e. a. 585. promulgatum) est elegia quaedam de interitu Pharaonis* (32,1-16).

a.) Pharaonem, draconem maris, gentes ex aquis extrahunt et bestiis devorandum tradunt (32,1-5);

b.) interitus eius in coelo et terra stuporem excitat (32,6-10).

c.) Quae explicans Deus regem Babyloniae Aegyptum occupaturum ac devastaturum esse declarat (32,11-16).

6.) *Sextum (die 15. m. 2. a. 12. promulgatum) altera est elegia de interitu Aegypti* (32,17-32).

a.) Pharao ad inferos deducendus est (32,17-21)

b.) ibique malorum socios inveniet, qui olim in terra potentes fuerunt, Assur et Aelam et Mosoch Thubalque et Edom aliosque (32,22-30),

c.) eosque videns eorum societate sese consolabitur (32,31.32).

IV. PARS TERTIA (33,1-48,35) *vaticinia consolatoria complectitur, quibus Deus se in promissionibus quoque fidelem esse demonstrat.*

1. — PRO HUIUS PARTIS INTRODUCTIONE *Deus falsam fiduciam, quam filii Israel ponunt in promissionibus, destruit prophetae munere iterum inculcato et praeiudicio populi impugnato* (33,1-33).

1.) *Instructio prophetae tradita, qua innuitur, quid opus sit, ut quis promissionum particeps fiat* (33,1-20).

a.) Custos terrae, qui de adveniente periculo incolas monuit,

expers est culpae, etsi incolae moniti sibi non caveant (33,1-6); eadem ratione propheta, utpote custos datus populo, expers erit culpae, si populum monuerit (33,7-9).

b.) Monere autem debet populum, qui peccata sua agnoscit, Deum non mortem peccatoris, sed eius conversionem velle; sciant autem oportet, hanc esse viam Domini, ut iustus, qui peccat, non salvetur, peccator autem, si resipuerit et poenitentiam egerit, vitam obtineat (33,10-20).

2.) Indicato deinde tempore, quo ad haec loquenda os suum sit apertum, die 5. m. 10. a. 12. (11.) accepto nuntio expugnatae urbis (33,21.22)

a.) *destruit propheta fiduciam eorum,* qui quia filii sint Abrahae ius ad terram promissam sese habere arbitrantur (33,23. 24); peccatoribus enim terra illa non est destinata, ideo omnes illi, qui remanserant, eiiciendi sunt (33,25-29).

b.) Propheta ipse edocetur, qui futuri sint fructus praedicationis eius (33,30-33).

2. — VATICINIA DE RESTITUTIONE REGNI ISRAEL EIUSQUE FUTURA GLORIA (34,1-39,29).

1.) *Pastorum infidelium locum occupabit bonus pastor* (34,1-31).

a.) Praecipua ratio interitus populi in eo est sita, quod a pastoribus regebatur, qui sua quaerentes gregem aberrare siverunt (34,1-6), quare Deus pastores illos reiicit (34,7-10).

b.) Atque ipse deinde gregem suum in omnes terras dispersum iterum congregabit (34,11-17) eumque ab ovibus rebellibus mundabit (34,18-22),

c.) ac demum gregi purificato suscitabit genuinum pastorem David (34,23-25) et cum grege inibit foedus pacis, benedictionibus effusis in terram, in qua populus Israel securus ab hostibus habitabit (34,26-31).

2.) *Deus, dum Idumaeam gentesque alias devastationi tradet, Israeli pristinum splendorem restituet propter honorem nominis sui* (35,1-36,38).

a.) Edomitarum gentiumque destructio, Israelis plena restitutio (35, 1-36,15).

α. — Idumaeae devastationem propheta annuntiare iubetur (35,1-4). Quoniam enim Edomitae semper inimico animo Israelem persecuti sunt, ideo interficientur (35,5-9), et quia terram Israel occupare voluerunt, eorum terra devastabitur (35,10-15).

β. — Quae Edomitis minatus est, ea ad omnes gentes vicinas extendit, quippe quae, quia Israelis hereditatem ambierint, humiliandae sint (36,1-7).

γ. — E contra Israelis montes ad novum splendorem resurgent eumque perennem (36,8-15).

b.) Cur Deus restiturus sit Israel (36,16-38).

α. — Israel polluerat nomen Domini in terra sua, ideo dispersus est; sed dispersus quoque polluit nomen Domini inter gentes, ita ut Deus nomini suo sancto providere sit coactus (36,16-21).

β. — Propter nomen suum igitur Israelitas iterum colliget, in terram suam reducet, aqua munda lavabit, corde novo donabit, ut in praeceptis divinis ambulantes sint iam Dei populus (36,22-28).

γ. — Reduces autem ditabit omnibus bonis, ut pristinorum peccatorum non nisi poenitentes recordentur (36,29-32); unde nova gloria divino nomini accedet apud omnes gentes in circuitu (36,33-36).

δ. — Confirmationis gratia Deus repetit, se multiplicaturum esse populum Israel (36,37.38).

3.) *Duabus parabolis resuscitationem et unionem Israel vaticinatur* (37,1-28).

a.) Resuscitatio Israelis (37,1-14).

α. — Visione imaginaria propheta in campum repletum ossibus mortuorum ducitur, qui eo vaticinante nova vita donantur (37,1-10);

β. — quae visio de populo explicatur voce divina ad novam vitam resuscitando (37,11-14).

b.) Unio duorum regnorum (37,15-28).

α. — Propheta duobus lignis nomina duorum regnorum inscribere lignaque manu sua coniungere populoque interroganti respondere iubetur, eadem ratione duo regna iterum in unum esse coalitura (37,15-20).

β. — Quam unionem ulterius describens Deus promittit, se utriusque regni incolas esse reducturum et sub uno rege uniturum et a peccatis mundaturum (37,21-23), ita ut sub servo suo David futuri sint populus sanctus, quocum novum foedus aeternum sit initurus (37,24-28).

4.) *Victoria de hostibus innumeris duce Gog novum regnum in novissimo tempore aggressuris promittitur* (38,1-39,29).

a.) Hostium in aggrediendis Israelitis consilio opponitur Dei consilium aggressionem permittentis (38,1-23).

α. — Deo incitante Gog cum multis populis barbaris in novissimis diebus veniet contra terram Israel, in qua reduces quieti habitant (38,1-9), ut improvidos aggrediatur et depraedetur (38,10-13).

β. — Deus autem eum adducet, ut ipse in eius clade glori-

ficetur (38,14-16); nam contra hostem illum, quem antiqui prophetae iam annuntiarunt, Deus in ira sua suscitabit gladium omnesque plagas, atque omnes gentes cognoscent, quia Deus est Dominus (38,17-23).

b.) Describitur hostium strages et splendidus victoriae fructus indicatur (39,1-29).

α. — In montibus Israel Gog cum omnibus copiis suis peribit, nam Deus nunc defendet populum suum (39,1-7).

β. — Stragis horror variis imaginibus exaggeratur.

Tantus erit occisorum numerus, ut Israelitae armis eorum septem annis ignem alant (39,8-11), septemque mensibus ad eorum cadavera sepelienda indigeant (39,12-16), propheta autem bestias omnes ad prandium invitare iubeatur, quod cadavera occisorum illis praebeant (39,17-20).

γ. — Hoc iudicio cognoscent gentes et Israel, Dominum populum suum antea ob peccata eius in hostium manus tradidisse (39,21-24), sed reduces non amplius esse derelicturum, quum eis spiritum suum dederit (39,25-29).

3. — PROPHETICA DESCRIPTIONE NOVI REGNI ISRAEL (40,1-48,35) FUTURUM REGNUM *messianicum adumbratur*.

Templum destructum iacebat, cultus cessaverat, populus ex sua terra erat eiectus; ex his igitur propheta symbola desumit, quibus regnum messianicum describat; novum quippe videt templum, novum cultum, novam Palaestinae distributionem.

1.) *Novi templi descriptio* (40,1-42,20),

cuius summa tantum capita indicamus, quia singula, nisi addatur explicatio, non intelliguntur.

a.) Die 10. m. 1. (?) a. 25. (i. e. a. 572.) prophetae in montem excelsum terrae Israel translato ostenditur novum templum ibi erectum (40,1-4).

b.) Ex ordine deinde describuntur eius atrium exterius (40,5-27), atrium interius (40,28-46), templi vestibulum (40,47-49), sanctum et sanctissimum cum aedificiis adiacentibus (41,1-26), aedificia in atriis erecta (42,1-14), spatium, quo aedificia sancta a profano loco separantur (42,15-20).

2.) *Novi cultus descriptio* (43,1-46,24).

a.) Novum templum inauguratur (43,1-44,3).

α. — In templum terminatum propheta maiestatem divinam eadem ratione, qua egredientem spectaverat, iterum ingredientem videt (43,1-5), Deumque pollicentem audit, se ibi semper mansurum, populum autem divina mandata in posterum esse observaturum (43,6-12).

β. — Descripto deinde altari holocaustorum (43,13-17) edocetur propheta, quomodo sit consecrandum (43,18-27);

γ. — moneturque, portam orientalem, per quam ingressus sit Dominus, semper fore clausam principemque solum in ea celebraturum epulas sacrificales (44,1-3).

b.) Praecepta de sacerdotibus (44,4-31).

α. — Propheta populum docere iubetur, Deum nolle pristinum cultum immundum, sed nova haec praecepta esse observanda (44,4-8) :

β. — uti alienigenis in templum intrare non licet, ita Levitis quoque, quia in excelsis olim ministrarunt, sacerdotio fungi non licebit, sed inferiora tantum ministeria in templo eis sunt obeunda (44,9-14).

γ. — Soli sacerdotes levitae ex familia Sadoc, quia semper fideles manserunt, sacerdotio fungentur (44,15. 16). Eorum officia et iura accuratius explicantur (44,17-31).

c.) Praecepta de oblationibus et sacrificiis (45,1-46,24).

α. — Terram sorte dividentes certam portionem cultui (templo, sacerdotibus, Levitis) alteramque principi offerant (45,1-7), qui in posterum populum tributis non onerabit, sed iustitiam exercebit (45,8-12).

β. — Quae et quanta populus principi offerre teneatur definitur, ut ex iis sacrificia parentur (45,13-17).

γ. — Sacrificia enumerantur in festis (45,18-25), in sabbatis et neomeniis (46,1-12), singulis diebus offerenda (46, 13-15).

δ. — quibus adduntur nonnulla de donis principis (46,16-18) et de locis, in quibus epulae sacrificales sacerdotum et populi praeparentur (46,19-24).

3.) *Terrae promissae immutatio et nova distributio* (47,1-48,35).

a.) Terra immutatur torrente, qui sub limine templi egrediens et continuo crescens mare mortuum implebit omniaque sanabit, ad quae perventurus est (47,1-12).

b.) Novis terminis definitis terra inter duodecim tribus aequali modo ita distribuenda praecipitur, ut suam quoque hereditatem advenae ubique habeant (47,13-23).

c.) Quae divisio accuratius definitur. A septemtrione incipientes habitabunt septem tribus, inter quas ultima Iuda (48,1-7); a cuius terminis incipit territorium templo et urbi, sacerdotibus, Levitis, principi reservatum (48,8-22), atque deinde Beniamin sequitur cum aliis quatuor tribubus (48,23-29).

b.) Demum nova civitas describitur, cuius nomen erit DOMINUS IBI (48,30-35).

4. — *Prophetia Danielis.*

Locum plane singularem inter prophetas ultimus ex quatuor maioribus tenet, ita ut Iudaei palaestinenses scripta eius inter hagiographa quam inter prophetica collocare maluerint. Neque enim tantum sicut Ezechiel in terra aliena dono prophetico a Deo est ornatus, sed illo etiam in gratiam ethnicorum usus vix minus ethnicorum quam contribulium propheta vocari meretur. Ex nobili quippe tribus Iuda familia oriundus *Daniel* iam a. 4. Ioakim (a. 604.) in Chaldaeam abductus ibique iubente Nabuchodonosore cum tribus amicis lingua literisque Chaldaeorum imbutus toto fere exsilii tempore usque ad Cyrum in aula regia degebat et ad summos honores iam a Nabuchodonosore promotus in publicis chaldaici regni rebus administrandis occupabatur et post illius destructionem Dario Medo (Cyaxari II.) et Cyro familiaris erat. Quia autem medios inter ethnicos Legi mosaicae cum amicis suis strenue inhaerebat neque minis ab eius praeceptis implendis absterrebatur, iuvenis iam supranaturali sapientia intelligentiaque visionum et somniorum instructus est, ut munere quasi duplici fungens una ex parte contribules suos, qua cum fidelitate etiam in exsilio Lex esset observanda, vita et exemplo doceret visionibusque suis de futuro regno messianico consolaretur, altera vero ex parte ethnicis tamquam *praeco maiestatis divinae* quum signis, quae in eo et amicis eius facta sunt, tum praedictionibus de ethnicorum regum regnorumque fatis potentiam magnitudinemque veri Dei manifestaret.

Porro *Prophetia Danielis*, quam Ecclesia semper velut canonicam recepit, hodierno libro hebraico, quem solum Iudaei et Protestantes agnoscunt, copiosior est; velut partes deuterocanonicae enim ei inseruntur oratio Azariae et hymnus trium amicorum Danielis (2,24-90) eique adduntur historia Susannae (13,1-65) et narratio de Bel et dracone per Danielem destructis (14,1-42). Iamvero uti Daniel ipse duplici suo munere a reliquis prophetis differt, ita argumento suo eius liber quoque a plerisque aliis propheticis discrepat. Licet enim alii quoque prophetae concionibus vaticiniisque suis historica quaedam addere soleant, in Danielis tamen opere historica praevalere dicenda sunt; nam ipse iam protocanonicus liber paene aequaliter narrationibus constat ac vaticiniis, deuterocanonica autem additamenta historicae parti sunt adnumeranda.

Ad hanc autem argumenti diversitatem attendentes totum opus apte ita distribuemus, ut praeter introductionem historicam de Danielis primis fatis (1,1-21) duas esse libri partes statuamus, priorem historicam (2,1-6,28) et alteram propheticam (7,1-12,13), atque duas appendices historicas pro epilogo habeamus (13,1-14,42). Quomodo autem omnes narrationes et praedictiones ad unius veri Dei maiestatem probandam conspirent, synopsis satis docebit.

I. INTRODUCTIO HISTORICA (1,1-21) *enarrat, quomodo Daniel ad duplex munus, quo inter ethnicos et inter Iudaeos fungi debuit, sit praeparatus.*

1.) Ierosolymis prima vice a Nabuchodonosor occupatis Daniel ac tres eius amici una cum aliis Iudaeis nobilibus in Babyloniam transportati cliguntur, ut literis Chaldaeorum ad aulica ministeria praeparentur (1,1-7);

2.) qui ne Legem suam violent, precibus suis impetrant, ut a cibis regiis, quae eis dabantur, sese abstinentes solis leguminibus et aqua vitam sustentare permittantur (1,8-16);

3.) quae eorum fidelitas et abstinentia Deo tantopere placuit, ut iuvenibus singularem sapientiam atque imprimis Danieli somniorum quoque ac visionum intelligentiam daret; propter sapientiam autem suam, qua reliquos iuvenes omnes superabant, in aulicorum ministrorum numerum sunt recepti (1,17-21).

II. PARS PRIOR HISTORICA (2,1-6,28), *quomodo Dominus exsilii babylonici tempore magnitudinem suam inter ethnicos revelaverit, quinque illustribus eventibus narratis ostendit.*

1. — *Daniel regi Nabuchodonosori somnium de statua variis metallis composita manifestat et explicat* (2,1-49).

1). *Somnii cognitionem et interpretationem Daniel precibus a Deo impetrat* (2,1-23).

a.) A. 2. (vel 12.) regni sui Nabuchodonosor somnio, cuius non amplius accurate recordabatur, perterritus magos convocatos sibi illud manifestare et explicare iussit (2,1-6); quod quum non possent, rex iratus omnes sapientes Babyloniae, ex quorum numero Daniel quoque amicique eius erant, capitis condemnavit (2,7-13).

b.) Daniel autem tempore, quo responsum a rege quaesitum inveniret, obtento cum amicis suis ad precandum Deum conversus in visione somnium eiusque interpretationem vidit (2,14-19); quo de beneficio Domino gratias egit (2,20-23).

2.) *Daniel regi somnium manifestat et interpretatur* (2,24-45).

a.) Daniel, quum ad regem arcessitus esset, a solo Deo vero mysterium illud revelari potuisse praefatus (2,24-28)

b.) somnium manifestat de statua a rege visa, cuius caput aureum, pectus argenteum, femora aerea, tibiae ferreae, pedes autem partim ferreae partim fictiles fuerint, quaeque destructa sit a parvo lapide postea in montem praegrandem excrescente (2,29-35),

c.) illudque interpretatus docet, aureo capite regnum chaldaicum significari (2,36-38), aliis autem statuae partibus tria regna post chaldaicum exoritura et inter se succedentia (2,39-

43), quae demum locum cessura sint novo cuidam regno in aeternum duraturo (2,44. 45).

3.) *Stupefactus somnii sui manifestatione et explicatione Nabuchodonosor Deum Danielis proclamat esse deum deorum* (2,46. 47), Danielem autem cunctis regni sui sapientibus praeficit eique eiusque tribus amicis provinciam Babyloniam administrandam tradit (2,48.49).

2. — *Danielis amici, Ananias, Misael, Azarias, iussu regis in ignem coniiciuntur, sed divinitus conservati laudes Dei praedicantes Nabuchodonosorem adducunt, ut et ipse Dei veri maiestatem agnoscat* (3,1-97 [30]).

1.) *Ob negatam statuae adorationem Ananias sociique eius in caminum ignis proiici iubentur* (3,1-23).

a.) Nabuchodonosor (iuxta text. graec. a. 18. regni sui) statuam magnam erexerat, quam a cunctis suis populis per eorum magistratus sub poena ignis adorari iussit (3,1-6);

b.) omnibus autem obedientibus (3,7) soli abnuerunt amici Danielis neque regis minis ad idololatriam seduci potuerunt (3,8-18);

c.) quare iubente rege in fornacem ignis proiecti sunt (3,19-23).

2.) *Azarias cum sociis suis Deum celebrat* (3,24-90).

[Additamentum deuterocanonicum.]

a.) Medio autem in igne Azarias iudiciorum divinorum contra populum suum iustitiam professus (3,24-33) Deum rogat, ut promissionum olim patriarchis datarum, quibus infelix contribulium suorum status praesens tam parum respondeat, recordatus (3,34-40) iterum erga eos, quum iam sint emendati, misericordiam suam exerceat (3,41-45).

b.) Angeli deinde apparitione confortati et recreati (3,46-50) amici Deum hymno celebrant (3,51-90):

α. — Ab eius quippe maiestate, quae in sui populi non minus quam totius mundi gubernatione sese manifestet, praedicanda exorsi (3,51-56),

β. — cunctas creaturas coelestes (3,57-63) una cum tempestatis temporumque vicissitudinibus (3,64-73),

γ. — ac similiter cum terrestribus creaturis omnibus (3, 74-81) diversas hominum classes (3,82-87),

δ. — demumque se mutuo invitant ad divinam misericordiam laudandam (3,88-90).

3.) *Nabuchodonosor miraculo perspecto maiestatem veri Dei agnoscit* (3,91-97 [24-30])

a) Angelum cum tribus viris medio in igne ambulantem videns rex eos ex fornace prodire iussit (3,91-93),

b.) eosque miraculo servatos esse intelligens Deum eorum celebravit decretoque prohibuit, ne quis eum blasphemaret (3,94-97).

3. — *Nabuchodonosor somnium suum de excelsa arbore praecisa per Danielem explicatum eiusque impletionem omnibus suis populis ad veri Dei honorem annuntiat* (3,98 [31]-4,34).

1.) *Regis somnium a Daniele explicatur* (3,97-4,24).

a.) In inscriptione epistolae rex testatur, se mirabilia Dei omnibus regni sui populis velle manifestare (3,97-100).

b.) Somnium quippe se vidisse refert, quod quum a suis sapientibus explicari non potuisset, Danieli interpretandum proposuisset (4,1-6); sibi nimirum arborem excelsam ostensam esse, quae iubente Deo ita esset praecidenda, ut sola eius radix per septem tempora medias inter feras relinqueretur (4,7-15);

c.) Danielem autem istud somnium explicasse de rege ipso, qui septem tempora regno privatus medias inter feras sicut una ex illis esset victurus, demum vero in thronum reversurus (4,16-23); hinc eum monuisse regem, ut eleemosynis divinam iram placare studeret (4,24).

2.) *Praedictionis impletio* (4,25-34).

a.) Revera se anno post, quum superbiens civitatem suam contemplaretur, voce coelesti de impletione somnii admonitum esse addit (4,25-29);

b.) atque (subita vesania correptum) inter feras degere coepisse donec tempore expleto coram Altissimo se humiliasset et in regno suo esset restitutus (4,30-33).

c.) Epistolam autem terminat Deo gratias agens, cuius omnes viae sint iustae (4,34).

4. — *Regis Baltassar interitus per scripturam arcanam, quam solus Daniel interpretari potuit, praedictus* (5,1-31).

1.) *Arcana scriptura Baltassari a Daniele explicatur* (5,1-29).

a.) Regi magnum convivium celebranti, in quo vasis sacris templi ierosolymitani abutebatur, in pariete apparuerunt arcana quaedam verba, quae magi accersiti legere non potuerunt (5,1-8).

b.) Admonitus igitur a matre rex Danielem advocavit (5,9-12), qui ab eo rogatus (5,13-16) prius quidem ob superbiam, qua patrem suum Nabuchodonosor imitatus esset, regem gravissime vituperavit (5,17-24) ac deinde arcana vocabula, quae in pariete apparuerant, de instanti regni et regis interitu completo interpretatus est (5,25-29).

2.) *Eadem nocte impleta est praedictio* occiso Baltassare et regno tradito Medis (5,30. 31).

5. — *Daniel a Dario Medo in lacum leonum missus sed a Deo servatus* (6,1-28).

1.) *Daniel leonibus discerpendus obiicitur* (6,1-17).

a.) Apud Darium Medum Daniel tanta in gratia fuit, ut reliquorum satraparum invidiam sibi attraheret; quare, ut eum perderent, regi persuaserunt, ut lege prohiberet, ne quis per triginta dies deum quemcumque praeter ipsum regem invocaret (6,1-9).

b.) Daniel vero, quum pro more suo quotidie Deum adoraret, ab invidis apud regem accusatus et secundum legem latam leonibus discerpendus proiectus est (6,10-17).

2.) *Miraculo Daniel inter medios leones incolumis servatur* (6,18-28).

a.) Rex, qui invitus Danielem condemnaverat, summo cum gaudio eum postridie invenit illaesum; itaque eum ex fovea extraxit accusatoresque eius leonibus obiici iussit (6,18-24);

b.) publico autem decreto sanxit, ut omnes sui subditi Deum Danielis timerent (6,25-28).

III. Pars altera prophetica (7,1-12,13), *quomodo Deus maiestatem suam in ethnicis regnis sit manifestaturus, quatuor visionibus docet.*

1. — *Visio de quatuor bestiis quatuor regna significantibus, quae locum suum regno filii hominis cessura sint* (7,1-28).

1.) *Visionis descriptio* (7,1-14).

a.) Anno 1. Balthassar propheta e mari tumultuante (populorum) progredi vidit quatuor bestias, leonem alatum, ursum voracem, pardum quatuor alis quatuorque capitibus praeditum, et quartam terribiliorem, quae decem cornua habuit, in quorum medio surrexit et crevit aliud cornu, quod oculis et ore praeditum tria ex prioribus cornibus destruxit (7, 1-8).

b.) Tum apparebat senex venerandus cum innumeris ministris, quorum sententia quarta bestia destructa est, sicut alia animalia perierant. Apparenti autem filio hominis a sene potestas traditur, ut omnes populi ei serviant (7,9-14).

2.) *Visionis explicatio* (7,15-28).

a.) Daniel visione perterritus ab uno ex assistentibus explicationem eius exquirit edoceturque, quatuor bestiis significari quatuor regna, quibus successurum sit aeternum sanctorum regnum (7,15-18).

b.) Accuratius deinde de quarta bestia inquirens (7,19-22) edocetur, regnum quartum potentissimum fore ex eoque exoritura decem regna (cornua) et undecimum (parvum cornu) multo fortius et superbius (regnum antichristi); quo destructo

regnum universale et sempiternum sanctorum esset exoriturum (7,23-28).

2. — *Visio de ariete et hirco, quibus secundum regnum ac tertium figurantur* (8,1-27).

1.) *Descriptio visionis* (8,1-14).

a.) A. 3. Baltassar Daniel Susis vidit arietem bicornigerum, cuius unum cornu altero altius, quique veruss occidentem, septemtrionem et meridiem omnia conculcabat. Sed contra eum ab occidente venit hircus unicornis, a quo superatus est (8,1-7).

b.) Quum autem potens factus esset hircus, fractum est cornu eius et eius in loco quatuor cornua prodierunt; in quorum uno parvum crevit cornu, quod magnum factum contra terram sanctam insurrexit et contra sanctuarium (8,8-12).

c.) Audivit autem propheta, desolationem duraturam esse bis mille trecentis diebus (8,13. 14).

2.) *Visionis explanatio* (8,15-27).

a.) Danieli porro apparuit Gabriel, qui se visionem ei explicaturum pollicitus (8,15-19)

b.) eum edocuit, ariete regnum medico-persicum, hirco regnum graecum significari ex quo proditura essent quatuor regna diadochorum (8,20-22). Parvum vero cornu esse regem impium (Antiochum Epiphanem, typum antichristi), qui populum sanctum vexaturus esset et contra principem principum consurrecturus, sed sine manu interiturus (8,23-25).

c.) Hanc visionem signare iubetur Daniel, quia post multos dies sit implenda (8,26. 27).

3. — *Visio de septuaginta hebdomadis* (9,1-27).

1.) *Danielis precatio* (9,1-19).

a.) A. 1. Darii Medi Daniel, quum vaticinium Ieremiae de septuaginta exsilii annis consideraret, Dei misericordiam implorare coepit (9,1-3);

b.) atque ante omnia humiliter profitetur, iustam esse populi sui poenam propter eius peccata (9,4-14),

c.) dein vero instanter precatur, ut Deus magna populi calamitate permotus propter honorem nominis sui civitatem sanctam et templum restituat (9,15-19).

2.) *Precanti Danieli apparet angelus Gabriel* (9,20-22), eumque edocet de tempore, quod a permissione reaedificandae urbis usque ad adventum Messiae sit futurum (9,23-27).

4. — *Revelatio de regnis Graecorum et de persecutore populi electi* (10,1-12,13).

1.) *Descriptio apparitionis, qua revelatio traditur* (10,1-11,1).

a.) Anno 3. Cyri Danieli per tres hebdomades lugenti et ieiu-

nanti apparet ad ripam Tigris angelus (Gabriel) tam splendida specie, ut propheta terrore perculsus sit (10,1-9).

b.) Angelus vero eum confortat monens, precationem eius esse exauditam, moram interiecisse angelum Persarum, donec auxiliante Michaele sit devictus (10,10-13); nunc se venisse, ut ei annuntiaret, quae essent futura in novissimis diebus; se enim una cum Michaele semper dimicare pro populo (10,14-11,1).

2.) *Sermo propheticus* (11,2-12,3).

a.) Pro introductione primis fatis regni persici regnique Alexandri M. brevissime indicatis (11,2-4),

b.) fusius et accuratius ea traduntur, quae futura sint de duobus praecipuis regnis ex regno macedonico exorituris, scilicet de regnis Austri (Aegypto) et Aquilonis (Syriae) inter se mox foederatis mox bello de hegemonia et de terra sancta acriter colluctantibus usque ad initium regni Antiochi Epiphanis (11,5-20).

c.) Deinde agitur de Epiphanis bellis contra Aegyptum (11,21-30) atque maxime de eius sacrilegiis contra templum et crudelitate contra pios Legis observatores (11,31-35);

d.) a quibus transitur ad Epiphanis antitypum, antichristum, persecutionemque gravissimam ab eo excitatam (11,36-45), in qua Michael dimicaturus sit pro populo electo (12,1-3).

3.) *Altera apparitio, qua revelatio terminatur* (12,4-13).

a.) Daniel hanc revelationem signare iussus duos alios angelos videt in oppositis fluminis ripis stantes, et primum angelum de duratione mirabilium praedictorum interrogantes (12,4-7);

b.) cuius responsum quum non intellexisset, Daniel ipse interrogat atque aliud responsum, quo ad prioris intelligentiam pervenire possit (12,8-12), promissionemque futurae salutis accipit (12,13).

IV. DUAE APPENDICES HISTORICAE (13,1-14,42).

[Pars deuterocanonica.]

1. — *Historia Susannae* (13,1-64).

1.) *Susanna innocens accusata et damnata* (13,1-41).

a.) Susanna, pia divitis cuiusdam Iudaei uxor, quum duobus populi iudicibus, a qua ad adulterium sollicitabatur, fortiter restitisset (13,1-23),

b.) ab iis adulterii incusata et, licet innocens esset, mortis damnata est (13,24-41).

2.) *Auxilium innocenti divinitus per Danielem praestitum* (13,42-64).

a.) Susannam auxilium petentem Deus exaudivit (13,42-44);

b.) quum enim ad mortem duceretur, Daniel iuvenis a Domini Spiritu suscitatus sententiam iniustam seseque a sanguine huius innocentem esse proclamans effecit, ut novum ei concederetur iudicium (13,45-49);

c.) in quo Daniel prudenti sua interrogatione iudices illos iniustae accusationis ac falsi testimonii coram toto populo convicit (13,50-59) mulieremque liberavit, iudices autem iuxta Legem Moysi punivit (13,60-64).

2. — *Narratio de Bel et dracone destructis* (13,65-14,42).

a.) Initio regni Cyri Daniel a rege interrogatus, cur idolum Bel non adoraret, se solum Deum vivum adorare respondit; monenti autem regi, Bel quoque vivere, etenim eum manducare (13,65-14,5), propheta ad oculos demonstravit, cibos idolo appositos a sacerdotibus familiisque eorum clam manducari (14,6-19). Sacerdotes fraudis convicti ad mortem damnantur et Bel destruitur (14,20-21).

b.) At draconem saltem, quem adoraverunt Babylonii, velut deum vivum adorandum esse contendit rex, Daniel autem obtenta permissione sine gladio et fuste eum occidit (14,22-26).

c.) Babyloniis de idolorum destructione iratis rex Danielem leonibus proiiciendum permisit (14,27-29); propheta autem in lacu leonum septem diebus incolumis servatus et per prophetam Habacuc nutritus est (14,30-38). Quo miraculo viso rex magnitudinem Dei Danielis agnovit atque eum ab omnibus timeri iussit (14,39-42).

II. — Prophetae minores.

5. — *Prophetia Osee.*

Quatuor prophetas, qui ob voluminum quae nobis reliquerunt prolixitatem maiores vocantur, duodecim alii in nostro canone sequuntur, qui quia eorum libri cum prioribus comparati breves sunt *minores* appellari et uno volumine ab Hebraeis comprehendi solent.

Ordine primus inter eos est *Osee, filius Beeri*, qui exeunte saec. 9. ut videtur in regno Israel natus ibidem eodem tempore, quo Isaias in regno Iuda, munere prophetico functus est; in diebus enim Oziae, Ioathan, Achaz, Ezechiae, regum Iuda, quos etiam Isaias in sua inscriptione nominat, et Ieroboam (II.), regis Israel, verbum Domini ad se factum esse testatur. Itaque quum regnum Israel eiusque civitas regia Samaria a. 6. Ezechiae (a. 720.) ab Assyriis destructa sint, Osee populum suum a summo gloriae culmine, ad quod per Ieroboam II. adductus erat, in profundissimam calamitatis abyssum ruere vidit, atque simili modo, quo centum quinquaginta circiter annis postea Ieremias in regno Iuda, contribules suos, iustitia ac necessitate ultimae quae iam imminebat calamitatis demonstratis, ad poenam debito modo accipiendam praeparare ac feliciore sorte poenitentibus promissa praemunire debuit, ne animis caderent.

Revera summum argumentum *prophetiae Osee* hoc fere est : Dominus populum Israel, quia beneficiorum divinorum immemor innumeris sceleribus ac potissimum idololatriae sese tradidit, severe quidem puniet neque tamen pro toto iustitiae suae rigore; nam poenae populo erunt saluti, quum Deus promissionum pristinarum memor eum non deleturus sed emendatum salvaturus sit.

Pro duobus autem divinae iustitiae misericordiaeque attributis, ad quae própheta maxime respicit, duas apte distinguimus partes, in quarum priore iustitia et necessitas poenae, in altera eius utilitas magis effertur; duabus autem partibus introductio praemittitur, quae duobus prophetae matrimoniis narratis et explicatis idem argumentum praefiguratum esse docet.

I. Introductio (1,2-3,5) *typica ratione duorum matrimoniorum, quae Osee contrahere divinitus iussus est, explicata poenam populi non tantum certam ac iustam esse, sed etiam salutarem fore demonstrat.*

1. — *Prius prophetae matrimonium typicum* (1,1-2,24).

1.) *Matrimonium narratur* (1,2-2,1)

a.) Propheta uxorem olim fornicariam (ac proin abiectam) ducere ex eaque filios gignere iubetur (1,2), quorum nomina

symbolica futuram populi sortem designent : reiectionem nimirum domus regiae Iehu (1,3-5), severam punitionem populi Israel (1,6. 7) eiusque reprobationem (1,8. 9);

b.) quibus minis ex abrupto promissio futurae sortis melioris additur, qua nomina symbolica infaustam suam significationem sint amissura (1,10-2,1).

2.) *Typicam rationem Dominus ipse explanat populi tamquam uxoris adulterae peccata reprehendens, sed poenitenti instaurationem promittens* (2,2-24).

a.) A vehementi quippe increpatione adulterae exorsus se eam poenis ad se reducturum esse comminatur (2,2-7); illi enim, quia se bona, quibus fruitur, ab amasiis suis i. e. idolis accepisse opinatur, omnia ista bona auferet (2,8-13);

b.) illamque iterum in solitudinem abducet, ut ibi resipiscat, atque deinde novum, quod sanctitate et bonis omnibus erit insignitum, foedus cum illa feriet (2,14-24).

2. — *Alterum matrimonium typicum eiusque significatio* (3,1-5).

Propheta adulteram in matrimonium ducere iussus, ab ea autem statim longo tempore donec corrigatur sese separans (3,1-3) suo exemplo diuturnam captivitatem docet fore viam, qua populus salute messianica se dignum reddere debeat (3,4.5).

II. In priore parte (4,1-9,9) *quatuor sermonibus scelera populi reprehenduntur eorumque intimantur poenae iustae.*

1). *Prima reprehensio criminum totius populi* (4,1-19).

a.) Graphice Osee universi populi omnimodam perversitatem, quae et singulorum et totius populi punitionem postulet, describit (4,1-5), intimamque perversitatis causam (Legis reiectionem) manifestat, quae omnibus sit communis (4,6-10).

b.) Speciatim deinde idololatriam impuraque vitia cum illa coniuncta vituperat (4,11-14) atque Iudam monens, ne Ephraim exemplum sequatur, subitum Ephraim interitum praenuntiat (4,15-19).

2.) *Secunda reprehensio ad populi duces dirigitur* (5,1-6,3).

a.) In sacerdotes et reges propheta invehitur, qui populo facti sint scandalo omnesque seduxerint, ita ut omnes, Ephraim et Iuda, iam puniri mereantur (5,1-5);

b.) neque sacrificiis avertere poenam possunt, sed Deus super Ephraim et Iudam effundet iram suam (5,6-12), nec quidquam eos iuvabit foedus cum Assur (5,13. 14);

c.) Deus enim exspectabit, donec ad ipsum revertantur, et tunc eorum erit salvator (5,15-6,3).

3.) *Tertia reprehensio populi culpam exaggerat docens remedia a Deo adhibita fructum non attulisse* (6,4-7,16).

a.) Quasi desperabundus Deus interrogat, quid tandem facere debeat, quum nec increpationes suae per prophetas nec calamitates immissae quidquam iuverint, id quod pessima Ephraim corruptio atque ipsius quoque Iuda conditio doceat (6,4-11);

b.) nam quando Deus eos sanare voluit, aperta eorum iniquitas prorupit (7,1. 2); omnino securi applaudentibus regibus sese dederunt effrenatae idololatriae, atque hac ratione Ephraim indolem ethnicam induit (7,3-8).

c.) Peccatis suis autem Ephraim quasi nescius fortitudinem suam perdidit, neque ut eam recuperaret, ad Deum se convertit, sed ab Aegyptiis et Assyriis speravit salutem (7,9-12); at vae ei, cadet enim et subsannationi erit illis ipsis, a quibus salutem sperat (7,13-16).

4.) *Quarta reprehensio destructionem regni tamquam peccatorum poenam annuntiat* (8,1-9,9).

a.) Populo Israel propheta interitum annuntiare atque salutis spem adimere iubetur, quia foedere et Lege abiectis Israel reges contra voluntatem Dei sibi constituit et idola sibi adornavit (8,1-6).

b.) Igitur tempestas regnum Israel devastabit; frustra ab externis auxilium petent, frustra quoque altaria et sacrificia multiplicant, quum haec ipsa augeant scelus (8,7-13); sed neque civitatibus munitis, quibus Iuda confidit, Dominus parcet (8,14).

c.) Accuratius demum describitur poena : fame premetur regnum Israel eiusque incolae exsulare cogentur (9,1-6); Deus enim peccatis dignam retribuet poenam (9,7-9).

III. In altera parte (9,10-14,9) *quatuor aliis sermonibus poena quidem praedicitur, sed eam ad salutem fore promittitur.*

1.) *Primus sermo* (9,10-10,15) *beneficiis olim populo praestitis praesentia eius peccata opponens omnimodam poenae iustitiam ostendit, sed meliorem quoque conditionem poenitentia acquirendam annuntiat.*

a.) Velut uvas in deserto et praecoces ficos Deus populum arripuit, at illi impurae idololatriae sese tradiderunt; quapropter Ephraim, quamvis videatur potens, interitui est proximus (9,10-14); propter peccata, quae in Gabaa committuntur, merito excidetur (9,15-17).

b.) Dei beneficio pulcherrima plantatio erat Israel, at pro potentia sua multiplicavit scelera sua, sed in suam perniciem et confusionem, qua omnes comprehendantur (10,1-8).

c.) Inde a diebus Gabaa peccare coepit Israel, nunc autem punietur; ideo ad Dominum revertens fructus iustitiae et

salutis sibi praeparet, nam regnum eius destruetur (10,9-15).

2.) *Secundus sermo* (11,1-12) *simili modo beneficiis divinis peccata populi opponens necessitatem poenae ostendit, sed Deum non deleturum esse populum praedicit.*

a.) Beneficia, quibus Deus Israel cumulavit, enumerat et quid Israel Deo suo rependerit propheta describit, ut in duram servitutem iam nunc populum tradendum esse doceat (11, 1-7).

b.) Completam quidem destructionem meruit Israel, sed non secundum furorem irae suae aget Deus, immo reditum ex captivitate promittit (11,8-12).

3.) *Tertius sermo* (12,1-13,15) *Israelitis exemplum Iacob ob oculos ponit, ut quantopere ab eo dissentiant clarius cognoscentes se poenis dignos esse videant; at poenam non fore ad interitum simul docet.*

a.) Israelitarum impietas increpatur, qua ab exteris gentibus auxilium quaerunt, eademque in culpa Iudam esse insinuatur; quantum igitur distant a suo patre Iacob, qui divina beneficia fortitudine sua meruit; si populus convertetur, ipse quoque a Deo bona sperare potest (12,1-6).

b.) Ephraim Chanaani similis factus de suis peccatis gloriatur, neque recogitat Dominum esse Deum suum, qui nova beneficia praestare vult (12,7-11). Dum Iacob bona sibi acquirere debuit, Deus populum sine ullis eius meritis per prophetam ex Aegypto eduxit; nihilominus Dominum ad iracundiam peccatis suis provocat (12,12-14).

c.) Licet propter idololatriam gloriam suam pristinam amiserit, Israel tamen peccata sua auget novis poenis coercendus (13,1-3). Beneficiis a Deo acceptis superbivit et rebellis factus est, sed graviores poenas nunc luet (13,4-8); nullus ei remanet auxiliator praeter Deum, at Deus quoque eum a morte liberabit (13,9-14).

4.) *Quartus sermo* (13,15-14,9) *paucis proponit poenam imminentem, ad conversionem invitat, conversis magnam salutem promittit.*

a.) Poenae imminentis descriptioni (13,15; 14,1) adnectit propheta exhortationem ad poenitentiam conversionisque modum declarat (14,2-4),

b.) futuram autem salutem fusius describit (14,5-9).

IV. BREVISSIMO EPILOGO (14,10) propheta contribules suos exhortatur, ut ad sua vaticinia attendant.

6. — *Prophetia Ioel.*

Ioel filius Phatuel iuxta probabiliorem sententiam sub initiis regni Oziae in regno meridionali munus propheticum exercuit. Praecedenti libro similis *Prophetia Ioelis* duabus partibus constat, quarum prior tota est in poenitentia postulanda, altera poenitentibus bona promittit. Locustis quippe messem vastantibus atque magna simul siccitate spem futurae messis auferente propheta in hac calamitate praesagium severioris iudicii divini propter populi peccata perspiciens contribules suos ad poenitentiam exhortatur, qua Dei castigationem a se avertant. Cui exhortationi obsecutus populus promissione uberrimae messis ac praesertim abundantium spiritualim donorum confortatur.

I. Pars prior (1,2-2,17) *populum ad poenitentiam agendam exhortatur.*

1.) *Descriptione plagae exhortatio praeparatur* (1,2-2,11).

a.) Tantam plagam, ut quatuor locustarum agminibus sibi continuo succedentibus tota messis sit deleta, nunquam auditam esse praefatus (1,2-4)

b.) propheta vastationis gravitatem per singula describit, ut omnium luctum augeat (1,5-20).

α. — (Peccatum causam calamitatis esse insinuans) incipit ab ebriis, qui vineis destructis voluptate consueta privati lugere iubentur (1,5-7). At non sola superflua abstulit calamitas, quapropter

β. — populus omnis, quasi sponsa de sponso amisso, lugere monetur, propterea quod propter agrorum vastationem debita sacrificia non amplius possit offerre et omne eius gaudium perierit (1,8-12); (ex quo merito possit timere, ne sponsum suum Dominum amittat).

γ. — Sacerdotes propter sacrificiorum defectum plangere et cum populo sanctificato et congregato in templo Domino ipsi magnitudinem calamitatis, quae praesagium sit diei Domini, ante oculos ponere iubentur (1,13-17)[1].

δ. — Descriptionem calamitatis terminat irrationalium quoque animalium tormentis commemoratis (1,18) et brevi precatione, qua omnia complectitur (1,19.20).

c.) Accuratius deinde, ut luctum augeat, diei Domini, cuius locustarum pestem praesagium esse innuerat (1,15), horrorem delineat descriptis hostibus, quibus Deus tamquam iu-

1. In 1,16 cum Ribera aliisque praeferimus lectionem Hebr. Alex. Syr. « coram oculis *nostris* » (pro : vestris) et in 1,17 cum plerisque modernis vertendum censemus : « *grana computruerunt in glebis* » (pro : iumenta computruerunt in stercore suo). Neque enim in 1,13.17 anticipatam exhortationem ad poenitentiam videmus; nam licet 1,14 similis sit versibus 2,15. 16, causa tamen et finis congregati coetus etc. differunt.

stitiae suae vindicibus sit usurus; qua in descriptione locustarum plagam semper prae oculis tenet (2,1-11).

2.) *Sequitur exhortatio ad poenitentiam* (2,12-17),

a.) quae interna sit omnino necesse est atque in Dei misericordia fundata (2,12-14),

b.) attamen externis quoque operibus sese manifestet (2,15-17).

II. PARS ALTERA (2,18-3,21) *populo poenitentiam agenti* (2,18.19) *multa et insignia bona promittit.*

1.) *Pro tempore praesente* (2,19-27).

a.) Auferet Deus calamitatem et destructo hoste omnes ii, qui lugere iussi erant, iam nunc gaudere monentur ob frugum ubertatem, quam Dominus daturus sit (2,19-24).

b.) Immo restituturum se promittit ea, quae calamitate amiserant, ut se suos non derelinquere populus videat (2,25-27).

2.) *Pro tempore messianico* (2,28-3,21).

a.) Uberrima dona spiritualia se suis daturum esse promittit atque in die Domini singularem protectionem iis, qui invocaturi sint nomen suum (2,28-32).

b.) Quare haec protectio requiratur et quae sit, accuratius explicatur (3,1-21).

α. — Deus enim, quando restituet Iuda et Ierusalem, de omnibus hostibus, qui eis iniuriam intulerunt, gravem sumet vindictam (3,1-3);

β. — eam porro proxime de vicinis gentibus Tyro Sidone Philisthaea sumendam indicat (3,4-8), ut deinde ad bellum sanctum contra reliquos omnes hostes gerendum transeat (3,9-16).

γ. — Hostibus autem profligatis Deus apparebit tamquam protector Iudae et Ierusalem, quae benedictionibus abundabunt, dum hostium terrae (Aegyptus, Idumaea) in deserta convertentur (3,17-21).

7. — *Prophetia Amos.*

Ex meridionali regno oriundus, utpote Thecuae, in oppidulo tribus Iuda, natus, *Amos* versus finem regis Ieroboam II. ad septemtrionalis regni incolas vitulorum cultui omnibusque vitiis deditissimos a Deo est missus, ut divinis poenis praenuntiatis eos ex peccati torpore excitaret et saltem aliquos ex eis salvaret. Pro auctoris ergo missione libellus, quo quasi summa capita exhortationum visionumque suarum comprehendit, totus est comminatorius et in castigandis sceleribus poenisque divinis praedicendis versatur, leviter tantum in fine salute promissa. Praeter introductionem, qua minae divinae contra Israel quodam modo praeparantur, duas *prophetiae Amos* distinguere licet partes, quarum prior ser-

monibus, altera visionibus symbolicis poenarum certitudinem necessitatemque ostendunt easque describunt.

I. PRO INTRODUCTIONE (1,2-2,16) *a Ioelis, aequalis sui, sententia quadam, qua divina iustitia in universum praedicatur, exorsus* (1,2). *Amos, ne Israelitae minas contra se pronuntiatas velut iniustas repudient, Deum cunctos peccatores iuxta eandem iustitiae normam punire poenis contra alias nationes praedictis demonstrat.*

1. — *Atque primum quidem tribus extraneis gentibus ob crimina contra populum electum commissa interitum praenuntiat iisdem semper loquendi formulis utens* (1,3-10)

1.) *Vaticinium contra Damascum* propter eius crudelitatem contra Galaaditas (1,3-5);

2.) *contra Philisthaeos,* quoniam Israelitas Idumaeis vexandos tradiderint (1,6-8);

3.) *contra Tyrios* propter idem crimen (1,9.10).

2. — *Deinde iisdem loquendi formulis denuntiat poenas tribus populis cognatis* (1,11-2,3):

1.) *Idumaeis* propter continuas eorum inimicitias (1,11.12),

2.) *Ammonitis* propter interemtionem Galaaditarum (1,13-15),

3.) *Moabitis* propter impiam violationem sepulcri regis Idumaeorum (2,1-3).

3. — *A quibus iam ad electum populum transit, qui ex poenis hostibus eius denuntiatis colligere potest, quam iustae sint poenae contra ipsum denuntiandae* (2,4-16).

1.) *Regno Iudae* iisdem formulis propter idololatriam interitum quasi transiens praedicit (2,4.5),

2.) ut in *regni Israel* castigandis sceleribus immoretur (2,6-16).

a.) Eadem formula exorsus perstringit propheta Israelitarum iniustitiam erga pauperes, foedasque eorum libidines (2,6-8), ingratitudinem de divinis beneficiis acceptis atque divinorum monitorum reiectionem (2,9-12);

b.) quare poenam eis annuntiat, quae humano auxilio neque averti neque evitari queat (2,13-16).

II. PRIOR PARS (3,1-6,15) *tribus concionibus certitudinem, necessitatem, gravitatem calamitatis imminentis ostendit.*

1. — *Prima concio populo certissimam imminere poenam annuntiat* (3,1-15).

a.) Populum singulari modo electum, si peccaverit, severius punitum iri praefatus (3,1.2),

b.) certam esse poenam demonstrat. Variis enim similitudinibus ostendit, eum esse rerum inter se nexum, ut ex una ad alte-

ram legitime concludatur (3,3-6); iam vero Deus sua consilia manifestat prophetis, quapropter si prophetae poenas annuntiant, illae certo sunt eventurae (3,7. 8).

c.) Quaenam sit poena, explicat. Nam propter scelera populi, quae omnibus sunt manifesta (3,9. 10), adveniet hostis, qui omnia devastaturus sit, ut paucissimi tantum effugiant (3,11. 12), atque altaria Bethel una cum cunctis magnatum aedibus destructurus (3,13-15).

2. — *Secunda concio propter contumaciam populi poenam novam necessariam esse docet* (4,1-13).

a.) A poena mulieribus imminente, quae non minus quam earum mariti vitiis indulgeant (4,1-3), et ab irridendo Israelitarum idololatrico cultu incipiens (4,4. 5)

b.) propheta varias plagas enumerat, quibus Dominus eos ad se revocare frustra conatus sit, famem, siccitatem terrae, locustas, pestem et infelicia bella (4,6-11);

c.) annuntiatque, quoniam istae fructum non attulerint, ad graviorem poenam deveniendum esse, ad quam populus sese praeparare iubetur memor omnipotentiae divinae (4,12. 13).

3. — *Tertia concio poenam accuratius describit, interitum nimirum regni et captivitatem populi simul eius causam indicans viamque salutis monstrans* (5,1-6,15)

a.) Brevi elegia quadam summatim plenam ruinam populi deplorat (5,1-3),

b) ut fusius deinde ruinae causam definiat. Dei monitum, qui se quaeri et idololatriam vitari iusserat, spernentes (5,4-7) neque ad potentiam eius, qui iusserat, attendentes (5,8-10) iniustitiis suis divinam iram provocaverunt (5,11. 12). Viam salutis, quam Deus eis monstraverat (5,13-15), ingredi noluerunt; idcirco erit planctus universalis, quia Dominus iudicabit populum suum (5,16. 17).

c.) Quoniam tale iudicium instat, vae annuntiatur illis, qui diem Domini desiderant, quasi bona tantum sit allaturus; diem Domini enim fore horrendum (5,18-20) neque terrores eius diminui posse mere externis illis sacrificiis, quae Deus respuit (5,21-24), quia illis non indiget, id quod historia peregrinationis in deserto docet (5,25. 26). Itaque timeant, quia dies Domini afferet exsilium (5,27).

d.) Alterum vae annuntiatur utriusque regni optimatibus, qui opibus regnorum suorum temere confisi (6,1-3) luxuriosae vitae indulgent; nam illi quoque in captivitatem abducentur (6,4-7). Quas minas Deus iuramento confirmat; totum regnum Israel plane destruetur illa in extensione, quam sub Ieroboamo II. acquisiverat (6,8-15).

III. ALTERA PARS (7,1-9,15) *quinque visionibus symbolicis interitum regni illustrat.*

1. — *Poenae duabus primis visionibus significatae precibus prophetae avertuntur* (7,1-6).

1.) *Locustas herbam devorantes* propheta vidit, sed eo precante Deus promittit se illas non esse missurum (7,1-3);

2.) *ignem* (*siccitatem*) quoque, qui devoraturus erat terram, precibus suis propheta avertit (7,4-6).

2. — *Duabus aliis visionibus imminens interitus domus Ieroboam et regni Israel praedicitur* (7,7-8,14).

1.) *Visio de trulla caementarii*[1] (7,7-17).

a.) Propheta Deum super murum, quem eousque stanno fortem reddiderat, stantem videt auditque eum dicentem, se iam ab hoc opere esse cessaturum : regnum Israel destructum iri et domum Ieroboam gladio periturum (7,7-9).

b.) Qua de re Amasias sacrificulus prophetam apud regem accusat (7,10. 11) nec quidquam efficiens ipse eum in Bethel ultra vaticinari vetat (7,12. 13); sed propheta ad divinam suam missionem provocans (7,14. 15) sacrificulo poenam praedicit et futuram populi captivitatem confirmat (7,16. 17).

2.) *Visio de uncino pomorum* (8,1-14).

a.) Canistrum messi praeparatum videt propheta; quo symbolo finem regni Israel designari edocetur (8,1-3).

b.) Cui visioni adnectitur nova increpatio et iudicii denuntiatio. Propter iniustitias enim, quibus pauperes expilantur (8,4-6), Deus iudicabit terram diesque festos convertet in luctum (8,7-10); velut maximam autem poenam comminatur inopiam verbi divini (8,11-14).

3. — *Ultima visio ruinam et restaurationem theocratiae praenuntiat* (9,1-15).

a.) Propheta Deum super altare stantem videt auditque eum praecipientem, ut sub templi ruinis omnes conterantur, fugientes autem gladio pereant (9,1-4), nam ipse est iudex omnipotens (9,5. 6), Israel autem poenam meruit, quia gentibus factus est similis (5,7).

b.) At si regnum perdet, Deus non destruet innocentes sed solos peccatores (5,8-10), e contra suscitabit tabernaculum David eiusque regnum ad omnes nationes extendet (5,11. 12), atque felicissima tempora adducet super populum reducem, qui e possessione sua non amplius expelletur (5,13-15).

1. Vel rectius : de stannatione cessante. De genuina vocabuli אֲנָךְ significatione, quod a S. Hier. *trulla caementarii*, ab Alex. ἀδάμας, ab Aq. γάνωσις, a modernis plerisque *perpendiculum* vertitur, egregie disserit *Knabenbauer* Proph. Min. I. p. 314 sq.

8. — *Prophetia Abdiae.*

Tribus prioribus prophetis minoribus aequalis vel iis paullo antiquior *Abdias* fuisse recte censetur, cuius libellus, omnium propheticorum brevissimus, unico constat vaticinio contra Idumaeos. Quod Amasiae probabiliter tempore vel forte sub initiis regni Oziae (Azariae) editum est, quorum prior Idumaeam iterum regno Iuda subiicere coepit, alter eam plane subiugavit (cfr 4 *Reg.* 14,7. 22; 2 *Par.* 25, 5 sqq.; 26,1 sq.). Tribus enim oraculi sui partibus Abdias Idumaeis completum interitum, domui Iacob autem futuram restaurationem praedicit salutemque messianicam indicat.

1. — *Idumaeae ruina praenuntiatur* (1-9).
   a.) Consilium Dei, qui Idumaeam, non obstantibus praeruptae altitudinis castellis, quibus confidat, destruendam decrevit, propheta promulgat (1-4),
   b.) ac futuram decreti exsecutionem vividis coloribus describit; hostes depopulabuntur terram, quae ab amicis derelicta et illusa atque proprii consilii inops prorsus interibit (5-9).
2. — *Ruinae causa declaratur* (10-16).
   a.) Iniurias Edom intulit fratri suo Iuda, de cuius calamitate gavisus erat et cuius hostibus se adiunxerat (10-14);
   b.) ideo fiet ei, quod aliis fecit; prope enim est dies Domini, in quo Deus omnes gentes propter iniurias populo electo illatas puniturus sit (15. 16).
3. — *Restauratio regni Iuda* (17-21).
   a.) Attamen quando Deus iudicabit gentes, in monte Sion salus erit : Iuda et Israel uniti Idumaeam destruent finesque regni sui extendent (17-19),
   b.) milites autem et incolae Ierusalem ex captivitate reduces terras expugnatas possidebunt et « erit Deo regnum » (20. 21).

9. — *Prophetia Ionae.*

Historicis potius quam propheticis scriptis libellus adnumerandus videtur, qui *Prophetia Ionae* inscribitur; quoniam autem tota res, quae in eo narratur, vera populi exhortatio atque simul futurae rei praedictio est, eodem cum iure, quo priora Danielis capita, a canonis collectore propheticis libris est adnumeratus.

Ex tribu Zabulon autem oriundus *Ionas filius Amathi* in regno septemtrionali functus est prophetae munere tempore regis Ieroboami II., cui felicem bellorum exitum praedixit (cfr 4 *Reg.* 14,25) cuiusque ultimis uti videtur annis in Assyriam a Deo est missus. Pro duplici autem mandato, quo propheta in urbe Ninive iussus est praedicare, uno cui fuga se subtrahere conatus est, altero cui obedivit, sua sponte duae libelli partes distinguuntur.

PRIOR PARS (1,1-2,11) *narrat, quomodo Ionas sese divino mandato subtrahere frustra conatus sit.*

1. — *Ionae fuga et castigatio* (1,1-16).

a.) Ionas filius Amathi a Deo Ninivitis poenitentiam praedicare iussus conscensa navi in Tharsis (Tartessum) fugere conatus est (1,1-3);

b.) subito autem exorta tempestate nautae timentes ad preces confugerunt et sortem miserunt, quibus calamitatis auctorem cognoscerent (1,4-7);

c.) sors vero Ionam designavit, qui fugam suam esse causam calamitatis professus nautas rogavit, ut se ad tempestatem sedandam in mare mitterent (1,8-12).

d.) Qui prius quidem abnuerunt, postea tamen, quum se periculum effugere non posse viderent, eum e navi eiecerunt atque statim sedatum est mare; qua de re admirati sacrificiis oblatis Domino gratias egerunt (1,13-16).

2. — *Ionae poenitentia et salvatio* (2,1-11).

a.) Ionam vero in mare missum et a magno pisce deglutitum Deus in ventre piscis vivum servavit (2,1);

b.) atque propheta de salute obtenta psalmo quodam Deo gratias agit (2,2).

Precationem autem suam a Deo exauditam esse praefatus (2,3)

periculum in quo versatus est auxiliumque quod obtinuit describit (2,4-8)

hymnoque actis gratiis finem imponit (2,9. 10).

c.) Deo autem iubente piscis prophetam in terram eiecit (2,11).

ALTERA PARS (3,1-4,11) *refert, quomodo propheta in expeditione sua ninivitica sese gesserit.*

1. — *Ionae praedicatio inter Ninivitas eiusque fructus* (3,1-10).

a.) Secunda vice propheta Ninivitis praedicare iussus statim est profectus urbemque Ninive ingressus proximum eius interitum annuntiavit (3,1-4).

b.) Qua praedicatione audita Ninivitae statim una cum suo rege seriam poenitentiam egerunt, ut iram divinam averterent (3,5-9);

c.) poenitentia autem Deus permotus est, ut minas suas exsecutioni non daret (3,10).

2. — *Ionae ira et correptio* (4,1-11).

a.) Iam vero propheta, quum Deum Ninivitis poenitentibus parcere vidisset, de hac misericordia cum Deo expostulare coepit sibique mortem exoptavit; quapropter primo leniter a Deo increpatus est (4,1-4).

b.) Egressus deinde de civitate, ut videret quid perpessura sit, sibi umbraculum fecit, iuxta quod Deus paravit hederam (ricinum), cuius umbra propheta protegeretur et cuius subito interitu erudiretur; planta enim a verme corrosa mox exaruit et novam Ionae iram provocavit (4,5-8).

c.) Interroganti demum Deo, num iuste irasci sibi videretur, haud sine arrogantia Ionas affirmavit, unde Dominus eum gravius corripuit monens, si de rei tam vilis interitu homo iam doleret, nihil esse mirandum, quod divina misericordia civitati tam amplae a se omnino dependenti parcere voluisset (4,9-11).

10. — *Prophetia Michaeae.*

Michaeas Morasthites, quum eosdem fere, quos Isaias, reges in libelli sui inscriptione nominet (1,1), eodem, atque ille, tempore munus propheticum et quidem in regno meridionali exercuisse dicendus est. Revera simili quoque ratione magnatum pseudoprophetarumque vitia reprehendit et utriusque regni ruinam ac populi utriusque exsilium praedixit, sed etiam theocratiae restaurationem messianicamque salutem promisit.

Libellus in tres partes recte a plerisque dividitur.

PARS PRIMA (1,2-2,13) *utrique regno iudicium divinum annuntians causam eius declarat ita ut spem futurae restaurationis relinquat.*

1. — *Ac primum quidem poenam imminentem denuntiat* (1,2-16).

a.) Omnes populos ut attendant exhortatus propheta, descripta divina maiestate ad iudicium agendum adveniente (1,2-4), a completo Samariae interitu praedicendo et plangendo exordiatur (1,5-8).

b.) Accuratius autem de regni Iuda poena agit (1,9-16).

Quoniam poena Israel pertinget usque ad Iuda, monet propheta, ne invidis hostibus haec pandatur (1,9. 10);

atque deinde, quomodo poena ista per totam terram quasi serpat ac repat, describit undecim enumeratis civitatibus, quarum nomina significatione aut assonatione sua ei inserviunt, ut calamitatem per partes delineet (1,11-15);

quam descriptionem terminat exhortatione ad luctum agendum (1,16).

2. — *Deinde vero poenae causam indicat populoque falsae suae fiduciae fulcra abripit* (2,1-11).

a.) Propter iniustitiam, qua magnates pauperes hereditate privant, Deus populum hereditate sua privabit eamque alienis tradet (2,1-5).

b.) Pseudoprophetae quidem prohibent, quominus talia annuntientur, et populus eis stulte consentit (2,6. 7); quare propheta repetit suam iniustitiae eorum accusationem (2,8. 9.) minasque suas confirmat (2,10. 11).

3. — *Brevis promissio* demum futurae salutis quasi ex abrupto adnectitur (2,12. 13).

Altera pars (3,1-5,14) *gravibus poenis, quas pro ducum peccatis denuntiat, restaurationem messianicam, ad quam populum praeparant, opponit.*

1. — *A poenis denuntiandis inchoatur* (3,1-12).

a.) Principes iniustitiis suis populum torquent et excoriant; ideo Deus eos derelinquet nec exaudiet, quando calamitatis tempore ad eum sint clamaturi (3,1-4).

b.) Pseudoprophetae turpis lucri causa populo bona faustaque praedicunt; ideo Deus eos magnis calamitatibus obruet et confusione, quandoquidem a veri prophetae munere longissime aberrent (3,5-8).

c.) Propter iniustitiam avaritiamque ducum, sacerdotum, prophetarum theocratia destruetur : arx regia, urbs, ipsum templum evertentur (3,9-12).

2. — *Quibus praemissis salus messianica promittitur, via salutis indicatur, salvator describitur* (4,1-5,14).

a.) Triplici enim poenae, quam in sectionis praecedentis fine ostenderat, ordine inverso propheta praeprimis triplicem restaurationem opponit (4,1-8) :

α. — Mons templi exaltabitur et fiet centrum regni pacis, quod totum mundum complectetur (4,1-4);

β. — cum aliis gentibus autem etiam reliquiae populi Israel, utpote qui a Deo reiectus sit, ad montem Sion revertentur, ut ibi manentes in magnum populum iterum crescant (4,5-7[a])

γ. — et Dominus ibi regnabit in aeternum (4,7[b]. 8).

b.) Via autem ad restaurationem erit exsilium babylonicum (4,9. 10) et bellum sanctum contra hostes Domini (4,11-13).

c.) Salvator ipse describitur (5,1-14).

α. — Eo tempore, quo abiectus erit Israel (5,1), exorietur ex Bethlehem novus populi pastor (5,2-4), qui populum suum ab hostibus liberaturus (5,5. 6) plenamque ei daturus sit pacem (5,7. 8).

β. — Desiderantibus autem, ut mox hostibus devictis adveniat (5,9) respondetur, prius auferendum esse fastum bellicum, quo populus confidit (5,10. 11), atque abolendam idololatriam ex populo (5,12-14).

Tertia pars (6,1-7,20) *tres quasi iudiciarias actiones exhibet inter Deum electumque populum, quibus huius quidem culpa, divina autem iustitia ac misericordia clarius demonstrantur.*

1. — *In prima actione Deus, omnibus ut suo iudicio intersint invitatis* (6,1. 2), *cum populo de eius ingratitudine agit* (6,3-8).
   a.) Paucis quippe *Deus* populo antiqua sua beneficia in memoriam revocat (6,3-5);
   b.) *Israeli* autem anxie, quid hisce beneficiis rependere debuerit, interroganti (6,6. 7),
   c.) *propheta* respondet, iustitiam esse exercendam, diligendam misericordiam, cum Deo ambulandum (6,8).
2. — *Altera actione de populi peccatis tractatur* (6,9-7,10).
   a.) *Dominus* enumeratis populi peccatis (6,9-12) graves ei poenas denuntiat (6,13-15) gravioremque propter foedum idolorum cultum (6,16).
   b.) Quam accusationem *propheta* confirmat peccatis populi diligentius descriptis (7,1-6).
   c.) *Populus* autem Deo confisus poenae iustitiam agnoscit suamque salutis spem profitetur (7,7-10).
4. — *Tertia actio de divina misericordia est* (7,11-20).
   a.) *Propheta* populum alloquens futuram restaurationem et hostium cladem promittit (7,11-13), Domino autem supplicat, ut populi sui curam gerat (7,14).
   b.) Quibus *Deus* respondet maiora promittens, quam quae petita sunt (7,15-17);
   c.) atque *populus* misericordiam divinam celebrat suaeque fiduciae sensus exprimit (7,18-20).

11. — *Prophetia Nahum.*

Sex priores prophetae minores ante regni septemtrionalis interitum (a. 720.) vaticinantes in suis concionibus et oraculis utriusque regni vitia carpunt et futuram sortem praedicunt; tres autem, qui proximi sequuntur ad saec. 7. pertinent, ita ut solum regnum Iuda ante oculos habeant. Antiquior tamen inter eos, *Nahum Elcesaeus*, qui ex tribu *Z*abulon ac proinde ex regno Israel oriundus erat, versus finem ut videtur regis Manasse Assyriis patriae suae destructoribus et devastatoribus, divinam poenam, quam criminibus suis sibi attraxerant, denuntiat[1]. Unicum quippe, quod nobis reliquit, vaticinium *Onus Ninive* (i. e. oraculum minax contra Ninive) inscripsit in eoque completum imperii assyriaci et civitatis Ninive interitum praenuntiavit et quasi delineavit.

1. Haud improbabile est, prophetam Nahum testem fuisse insignis illius cladis, qua Deus per Iuditham et Bethuliotas exercitum destruxit, quem Asurbanipal, rex Assyriorum, duce Holoferne ad occidentalem Asiam redigendam miserat, ad eamque in hoc vaticinio respicere.

Tres pro capitum numero apte nobis distinguere videmur partes, quum in primo totum argumentum extremis quodam modo lineamentis adumbretur, in altero civitatis regnique destructio accuratius depingatur, in tertio poenam hanc iustam et ineluctabilem fuisse ostendatur.

PARS PRIMA (1,2-15 [2,1]) *Deum propter suam iustitiam et bonitatem Niniven, Assyriae caput, deleturum, populum autem suum servaturum esse annuntiat.*

1. — Dei iusti vindicis terrore et potentia, cui nemo resistere possit, magnificentissime descriptis (1,2-6),
2. — propheta Dei bonitatem, qui amicos suos non derelinquat, celebrat populumque electum non iterum ab Assyriis afflictum iri declarat (1,7-10)
3. — Niniven autem, a qua hostis Dei exivit [1], et terram Iuda, quae calamitatem passa est, vicissim alloquens completum annuntiat Ninives interitum, terram vero Iuda, quum eius hostis iam sit destructus, festa sua denuo celebrare iubet (1,11-15)

PARS ALTERA (2,1-13 [2-14]) *futuram Ninives destructionem et depopulationem tribus strophis describit.*

1. — Niniven ironice ad fortitudinem exhortatus contra hostes, qui ad vindictam de Israele conculcato sumendam iam adveniant, eorum fortitudinem et multitudinem propheta descriptione sua innuit (2,1-4);
2. — Ninivitarum obsessorum deinde irritis conatibus indicatis occupationem urbis, incolarum captivitatem, opum direptionem vividis coloribus depingit (2,5-9),
3. — demum vastitatem urbis sub metaphora mulieris captivae et contumeliose tractatae describens eamque cum priore eius opulentia comparans perpetuam iuxta iudicium Dei fore hanc destructionem denuntiat (2,10-13).

PARS TERTIA (3,1-19) *interitum, quem Ninive ob peccata sua meretur, iustum esse neque ulla iam ratione averti posse docet.*

1. — Ninivitarum enim primum crudelitates fraudes rapinasque, propter quas hostes eam sint devastaturi (3,1-3), atque fornicationes idololatriamque Nahum castigat, propter quas Deus ei aeternae ignominiae notam sit inusturus (3,4-7).
2. — Deinde destructione Thebarum (Alexandriae gentium) in memoriam vocata futuram sortem infelicem Ninives confirmat, quippe quae Thebis neque melior sit neque fortior ac proinde non meliorem sed peiorem sortem sit habitura (3,8-13).

1. Pro « *ex te exibit* » (1,11), quod exhibet Vulg. Clement., cum Amiatino aliisque codd. latinis et cum text. hebr. omnino legendum videtur : « ex te exivit ».

3. — Irritos demum fore omnes defensionis conatus edicit, irreparabilem fore urbis ruinam eiusque nuntium omnes populos gaudio esse impleturum (3,14-19).

12. — *Prophetia Habacuc.*

Ultimis uti videtur regis Manasse diebus, quando incolarum regni meridionalis mores corruptissimi erant divinamque iram provocabant, etiam *Habacuc* propheticum munus sustinuit; de eius autem persona ac vita nihil nisi nudum nomen nobis traditum est. Uti Nahum Assyriis, qui regnum Israel destruxerant, interitum praedixit, ita Habacuc Chaldaeis, iam antequam ad magnam potentiam pervenerunt, interitum praedixit ob crimina, quae in destructione regni Iuda commissuri essent; attamen notandum est, prophetam a poena contribulibus suis iniustis per Chaldaeos infligenda exordiri, ut clarius iustitia divina splendeat, quam celebrare vult.

Ceterum *Onus quod vidit Habacuc* duabus partibus forma diversis constat; prior dialogo constituitur, altera est iustum carmen dithyrambicum.

I. PARS PRIOR (1,2-2,20) *dialogo quodam inter prophetam et Deum Iudaeis peccantibus poenam per Chaldaeos infligendam annuntiat, Chaldaeis autem interitum praedicit.*

1.) *Prior prophetae querela Deique responsum* (1,2-11).

a.) Propheta animo commotissimo cum Deo quodam modo expostulat, eo quod emendationem populi sui hucusque precibus suis frustra sollicitaverit; aucta enim esse scelera, Legem torpescere et quasi dilaceratam iacere, praevalere iniustitiam omnimodam (1,2-4).

b.) Ad quae Deus inauditam poenam se populo esse immissurum per Chaldaeos respondet, quorum indolem saevam, potentiam vimque intolerabilem, successus continuos describit (1,5-10), at simul futurum interitum praemonstrat (1,11).

2.) *Altera prophetae querela Deique responsum* (1,12-2,20).

a.) Priore Dei responso perterritus propheta spe expressa, Dominum populum electum non esse deleturum, interrogat, quomodo per iniustiores hostes populo minus iniusto tanta strages inferri possit, qua ipsi iusti quoque plectantur et iniusti hostes magis superbiant (1,12-17).

b.) Ad suam querelam propheta pro munere suo a Deo responsum expetit, ut ipse aliis conquerentibus satisfacere possit (2,1); Deus autem eum summam responsi sui in tabula tam clare conscribere iubet, ut cum facilitate ab omnibus legatur (2,2. 3);

α. — generalem enim suae iustitiae normam proponit, ex qua iustus in fide sua veram vitam inventurus sit, dum impius sit periturus (2,4. 5);

β. — Chaldaeis vero impiis carmine quodam vae dicit, iuxta talionis legem eos punitum iri annuntians propter suam rapacitatem (2,6-8), superbam dominationem (2,9-11), aedificia iniustitiis et oppressionibus exstructa (2,12-14), fraudulentiam (2,15-17), idololatriam (2,18-20).

II. Pars altera (3,1-19) *carmine dithyrambico propheta iustitiam et misericordiam Dei celebrat.*

1.) Carminis inscriptione praemissa Habacuc *prooemio* timorem suum divino responso excitatum professus Dominum rogat, ut opus suum cito exsequatur et in iudicio exercendo cum iustitia misericordiam coniungat (3,2).

2.) Porro maiestate Dei ad opus suum prodeuntis ac terrore, quem apparens omnes in partes usque ad remotissimas gentes diffundit, magnifice descriptis (3,3-7)

3.) opus ipsum, quod Deus exsecuturus sit, eius nimirum iudicium contra impios adumbrat, quo suum populum sit salvaturus; atque primum quidem figurato sermone Deum furore suo totam terram ostendit conquassantem (3,8-11); deinde vero propriis verbis Deum exhibet, ut populum suum salvet, hostes eius perimentem (3,12-15).

4.) In *epilogo* propheta suum timorem (3,16. 17) suamque salutis spem (3,18. 19) exprimens docet, qua animi dispositione populus hoc opus Dei exspectare debeat.

13. — *Prophetia Sophoniae.*

Inter illos prophetas minores, qui ante exsilium babylonicum floruerunt populumque ad Legem revocare conati sunt, *Sophonias* ultimus est. Ieremiae aequalis, sed ex regio ut videtur genere exortus, in diebus Iosiae regis ad munus propheticum vocatus est, ut una cum Ieremia eademque ratione regem in religiosa populi reformatione praeparanda et exsequenda adiuvaret. Summam quandam concionum prophetiarumque, quae omnes in populi sceleribus reprehendendis eorumque poenis praedicendis ita versantur, ut calamitates simul praeparationem esse ad salutem messianicam doceant, nostro libello versus finem probabiliter vitae suae comprehendit.

Iam vero simili ratione, qua tres priores prophetae maiores opusculum suum tripartitum esse voluit : in prima enim sectione contribules suos peccantes poenis praedictis ad poenitentiam agendam exhortatur; in altera gentibus quoque interitum annuntiat; in tertia iterum ad contribules se convertens poenitentibus salutem messianicam promittit.

Pars prima (1,2-2,3) *iudicio severo praedicto Iudaeos sceleribus deditos exhortatur, ut poenitentiam agentes Domi-*

num sibi propitium reddant poenasque, quas ob peccata sua meruerunt, a se avertant.

1.) *Exordium ex abrupto iudicium universale annuntiat toti terrae* (1,2. 3); at iudicium hoc praeprimis attinget Iudam et Ierusalem propter eius idololatriam (1,4-6).

2.) *Iudicii universalitas et certitudo praedicitur* (1,7-13).

a.) In iudicio enim illo, quod magni sacrificii imagine adumbrat, Sophonias velut victimas ultionis divinae caedi asserit quum magnates, qui gentilium more vivant aliosque opprimant (1,7-9), tum divites mercatores, qui usuras quaerant (1,10. 11) illusoresque, qui Dei poenis spretis sese voluptatibus tradant (1,12.13).

b.) Prope quoque iam instare diem Domini quam maxime horrendum addit (1,14-16) atque frustra homines perterritos effugium suis opibus esse quaesituros (1,17. 18).

3.) *Exhortatio ad poenitentiam agendam* (2,1-3).

Omnes igitur, antequam dies ille adveniat, poenitentiam agant (2,1.2) atque iusti quoque sibi divinam protectionem in illam diem quaerant (2,3).

PARS ALTERA (2,4-15) *gentibus iudicium annuntiat,*

1.) atque primum quidem *gentibus vicinis* (2,4-11) :

a.) Philisthaeis (2,4-7), quorum urbes vastabuntur (2,4. 5) et quorum terra dabitur domui Iuda (2,6. 7);

b.) Moabitis et Ammonitis (2,8-11), quibus sors Sodomae et Gomorrhae propter eorum superbiam et idololatriam reservata sit (2,8-10);

c.) fructus autem huius iudicii erit, ut omnibus deletis idolis undique verus Deus adoretur (2,11);

2.) deinde *gentibus longinquis* (2,12-15) :

a.) Aethiopibus, qui divino gladio interficientur (2,12),

b.) Assyriis, quorum terra et civitas speciosa superbaque (Ninive) in extremam solitudinem redigentur (2,13-15).

TERTIA PARS (3,1-20) *praesenti statui civitatis sanctae, quae divinam iram provocat, opponit futuram salutem ac gloriam messianicam.*

1.) *Iudicium contra Ierusalem est necessarium* (3,1-8).

a.) Contumax enim est Ierusalem, cuius ordines omnes, principes, iudices, prophetae, sacerdotes, divinis monitis non obstantibus sunt corrupti (3,1-4);

b.) Deus autem iustus, qui gentes peccantes disperdidit (3,5. 6), contumacem quoque civitatem iudicio visitabit (3,7. 8).

2.) *Sed finis huius iudicii est salus ac gloria messianica* (3,9-20).

a.) Tunc enim undique omnes populi verum Deum agnoscent (3,9. 10); Iuda autem omni fastu abiecto velut populus pauper et humilis in Deo spem suam ponet atque reliquiae illius sanctae erunt et pace fruentur (3,11-13).

b.) Hinc Ierusalem laetari iubetur (3,14); nam hostibus devictis Deus erit protector populi sui (3,15-17), lugentium consolator et oppressorum vindex (3,18. 19), atque prae omnibus exaltabit populum suum (3,20).

14. — *Prophetia Aggaei.*

Deum populo suo nunquam defuisse tres ultimi ex prophetis minoribus ostendunt, quippe quos Dominus finito iam exsilio babylonico vocaverit, ut difficillimis restaurationis initiis Iudaeos reduces monitis vaticiniisque confortarent et in nova stabilienda republica adiuvarent.

Tempore inter illos primus est *Aggaeus*, qui paucis tantum mensibus ante Zachariam ad munus propheticum vocatus una cum eo Zorobabelem aliosque populi duces in templo reaedificando adiuvit (cfr 1 *Esdr.* 5,1 sqq.; 6,14). Quatuor sermones eius nobis reliqui sunt, qui omnes a. 2. Darii (a. 512.) trium mensium spatio habiti sunt. Tres priores templi aedificationem inchoatam urgent, quartus antiquas promissiones domui davidicae factas confirmat.

I. Primus sermo increpatorius *die* 1. *mens.* 6. *a.* 2. *Darii ad duces populi habitus eiusque felix effectus* (1,1-2,1[a]).

1.) *Propheta populo intermissam templi aedificationem exprobrat* (1,1-11).

a.) Ab irreverentia, qua populus domus Dei aedificandae tempus nondum advenisse obtendat, dum ipse in domibus pretiosis iam habitet, increpanda exorsus (1,2-4)

b.) propheta socordiae istius poenam fuisse terrae sterilitatem declarat, quam experti sint (1,5. 6),

c.) atque intermissum opus statim continuandum esse diserte postulans, quia id Deo placeat (1,7. 8), fusius et clarius eis praeteritam calamitatem eiusque causam proponit (1,9-11).

2.) *Sermonis effectus* (1,12-2,1[a]).

Verbis prophetae perterritus sed simul promisso divino auxilio confortatus (1,12. 13)

populus opus aedificationis iterum suscipit die 24. eiusdem mensis 6.[1] (1,14-2,1[a]).

1. Temporis indicationem (2,1[a]) cum praecedente narratione ipse *S. Hieronymus* (Comm. in Agg. 1,14. M. 25, 1467) coniunxit, atque sola librariorum socordia ad initium vaticinii sequentis traxit, ut duobus diversis diebus adscribi videatur. Quapropter omnes fere interpretes editionis Clementinae lectionem merito reiiciunt. Sola *anni* indicatio, si 1,1 et 2,10 conferuntur, cum versu sequente apte coniungitur.

II. Secundus sermo promissorius *die 21. m. 7. a. 2. Darii de futura novi templi gloria habitus* (2,1ᵇ-10).

1.) Propheta duces populumque alloquens (2,1ᵇ-3) tristitiam ex viliore novi aedificii conditione exortam reprimit promisso divino auxilio confirmatisque pristinis vaticiniis (2,4-6);

2.) atque speciatim mox adventura tempora messianica praedicit, quibus novum templum, undique gentibus cum donis suis ad illud concurrentibus, insigne sit futurum atque gloriam adepturum, qua salomonicum superet, quum Dominus in illo pacem sit daturus (2,7-10).

III. Tertius sermo exhortatorius *de calamitatum causa vitanda d. 24. m. 9. a. 2. Darii habitus* (2,11-20).

1.) Exemplis ex Lege desumtis ostendit propheta, uno opere bono reliqua opera non reddi bona, sed una sola re mala infici res bonas (2,11-14).

2.) Quam doctrinam ad calamitatem, qua populus eo tempore premebatur, accommodans docet, quomodo non obstantibus eorum sacrificiis Deus propter neglectam templi aedificationem eos punire debuerit (2,15-18);

3.) at ab illa die, a qua aedificationis opus resumserint, Deum eis benedicturum promittit (2,19. 20).

IV. Quartus sermo consolatorius *eodem die, quo praecedens, habitus de domus davidicae gloria futura* (2,21-24).

Temporali benedictioni praecedente sermone promissae Aggaeus alteram adiungit altioris generis.

Quoniam enim Sedecias, qui ultimus ante exsilium thronum Davidis occupaverat, sollemni declaratione divina erat reiectus (cfr *Ezech.* 21,25 sqq.), tota domus davidica a Deo reprobata privilegioque suo privata videri poterat. Hanc ob causam statim post exsilium propheta (ad *Ierem.* 22,24 quasi alludens) Zorobabeli (qui ex domo davidica oriundus erat) praedicit, omnia regna mundi a Deo destructum iri, eum ipsum autem ad magnam gloriam iri exaltatum (2,23. 24).

15. — *Prophetia Zachariae.*

Eodem 2. Darii regis anno, quo Aggaeus, ad munus propheticum inter reduces exercendum *Zacharias* quoque vocatus est, filius Barachiae, filii Addo, ex sacerdotali, uti plerique recte tenent, genere exortus. Eodem autem tempore atque ad eosdem auditores missus etiam simile cum Aggaeo argumentum tractasse facile intelligitur; ac revera tota *Prophetia Zachariae* est de theocratiae restitutione ac de salute messianica. Aggaeo tamen sublimius haec explicat neque tam

de templi ierosolymitani aedificatione, quam de messianici regni, cuius dumtaxat symbolum quoddam erat templum, fundatione agit atque viam ostendit, qua populus sese sublimioribus his promissionibus dignum reddere debeat.

Sua quasi sponte *Prophetia Zachariae* in tres partes distribuitur; post breve enim prooemium prima septem visionibus unaque actione symbolica fundationem indolemque regni messianici describit; altera populo praeparationem ad promissa consequenda necessariam esse docet; tertia de iudicio in gentes agendo et de benedictionum messianicarum, quibus filii Israel fruituri sint, ubertate agit.

PROOEMIUM (1,1-6) *prophetae munus librique ipsius finem quodam modo declarat.*

a.) Mense 8. a. 2. Darii propheta populum ad conversionem adhortari iubetur, ut Deus, qui iuste ei irascatur, se ad ipsum convertere possit (1,1-3),

b.) eique exemplum patrum ob oculos ponere, qui quoniam prophetarum minis aures praebere noluerunt, infelicem sortem sibi attraxerunt (1,4-6).

PARS PRIMA (1,7-6,15) *septem visionibus et una actione symbolica fundationem regni messianici eiusque gloriam praedicit*[1].

1. — TRES PRIMAE VISIONES (1,8-2,13) *de theocratiae restitutione vel regni messianici fundatione.*

1.) *Visio de equitibus inter myrteta gentium punitionem et templi sanctaeque civitatis restitutionem annuntiat* (1,8-17).

a.) Angelo Dei inter myrteta stanti alii angeli, qui terram perambulaverant, referunt terram adhuc et nationes ethnicas in magna quiete degere (1,8-11);

b.) quapropter angelus prior ad Dominum se convertit eumque rogat, ut tandem populi sui misereatur, quum tempus poenae iam praeterierit, atque responsum accipit consolatorium (1,12. 13).

c.) Quod responsum propheta populo annuntiare iubetur; populi hostes punientur, civitas sancta et templum reaedificabuntur, omnes promissiones civitati factae firmae manent (1,14-17).

2.) *Visio de quatuor cornibus et quatuor fabris primam praecedentis visionis promissionem confirmat* (1,18-21).

a.) Nam quatuor cornua, quae propheta vidit, designant populi hostes (1,18. 19),

1. Omnes hae visiones exhibitae sunt Zachariae die 24. m. 11. a. 2. Darii (cfr 1,7); ad quam temporis indicationem attendendum est, ut visionum harum nexus cum Aggaei vaticinio perspiciatur. Die 21. m. 7. et die 24. m. 9. a. 2. Darii Aggaeus praedixerat, Deum puniturum esse omnes gentes, atque cum hac gentium commotione futuram templi ierosolymitani et domus davidicae gloriam coniunxerat (*Agg.* 2,7 sqq. et 2.23. 24). Ad hanc igitur praedictionem primae visiones Zachariae mense 11. eiusdem anni exhibitae respiciunt.

b.) quatuor autem fabri designant illos, qui hostes illos sint deleturi (1,20. 21).

3.) *Visio de viro cum funiculo mensorio alteram primae visionis promissionem confirmat* (2,1-13).

a.) Propheta, quum virum videret, qui civitatis latitudinem et longitudinem metiri volebat (2,1. 2), ab angelo edocetur, tantam fore novae civitatis magnitudinem, ut muro circumdari nequeat, Dominum autem ipsum fore eius murum in eaque gloriose esse habitaturum (2,3-5).

b.) Quam ob causam illi, qui ex Babylonia nondum sunt reversi, invitantur omnes, ut in patriam redeant, quia nullus hostis eos amplius retinere possit (2,6-9),

c.) Sion autem laetari iubetur, quia Dominus in medio eius sit habitaturus atque undique gentes ad eam sint adventurae (2,10-13).

2. — DUAE INSEQUENTES VISIONES (3,1-4,14) *naturam sacerdotalis et regiae potestatis in regno messianico explicant.*

1.) *Visio de Iosua summo sacerdote mundis vestibus induto sanctitatem novi sacerdotii praefigurat* (3,1-10).

a.) Propheta coram angelo Domini Iosuen summum sacerdotem et satanam, qui Iosuae adversabatur, videt adstantes; ut autem nocendi potestas satanae auferatur, Iosue pro sordidis vestibus, quibus indutus erat, mundas et splendidas accipit (3,1-5).

b.) Quam actionem symbolicam sequitur exhortatio angeli, qua Iosue sanctitatem colere monetur; sacerdotium enim typum esse advenientis Messiae, qui ablaturus sit omnem iniquitatem et pacem stabiliturus (3,6-10).

2.) *Visio de candelabro aureo alterius potestatis theocraticae, i. e. regiae, qualis esse debeat indoles, praefigurat* (4,1-14).

a.) Candelabro aureo, quod prophetae una cum lampade duabusque olivis ostensum est (4,1-3), edocetur Zorobabel, dux populi, regnum novum non humanis viribus aut auxiliis niti, sed solo spiritu divino, eumque hoc spiritu fretum terminaturum esse templum (4,4-7).

b.) Repetit deinde angelus promissionem fore, ut Zorobabel templum (theocratiam) terminet (4,8-10),

c.) atque demum prophetae interroganti explicat, quae sint duae olivae, quibus lampas candelabri aurei continuo nutritur (4,11-14).

3. — DUAE ULTIMAE VISIONES (5,1-6,8), *de malo ex theocratia auferendo et de iudicio exercendo agunt.*

1.) *Visio de volumine volante et de impietate ablata praeambulum quoddam est iudicii* (5,1-11).

a.) Propheta volumen magnum videt volans, quod iuxta angeli explicationem maledictiones continet, quibus Deus peccatores delebit (5,1-4);

b.) dein « impietatem » sub forma mulieris in amphoram includi videt et ex terra sancta in terram Sennaar asportari, ut ibi sedem suam habeat (5,5-11).

2.) *Visio de quatuor quadrigis* (6,1-8).

Quatuor quadrigae cum equis varii coloris, quae prophetae in visione ostenduntur (6,1-3), divina iudicia in omnes partes mundi perferunt (6,4-8).

4. — ACTIO SYMBOLICA (6,9-15) est quasi epilogus primae partis.

a.) Propheta Iosuen summum sacerdotem coronis ex auro per exsules allato confectis coronare iubetur (6,9-11);

b.) qua actione significatur fore, ut Messias sacerdotalem et regiampotestatem in sua persona coniungat et ut ad templum, quod exstructurus sit, aedificandum etiam concurrant ii, qui procul sint (6,12-15).

PARS ALTERA (7,1-8,23) *concionem exhibet propheticam d. 4. m. 9. a. 4. Darii habitam, qua Deus docet, quomodo populus sese ad promissa recipienda praeparare debeat.*

1.) *Occasionem orationis*

interrogatio praebuit populi, num ieiunium die anniversario templi destructi hucusque servatum continuari deberet (7,1-3).

2.) *Cui interrogationi respondens in priore orationis sectione Dominus docet, quid a populo postulet* (7,4-14).

a.) Se enim ieiunium illud non praescripsisse, sed alia semper postulasse regerens (7,4-7)

b.) mandata sua observanda inculcat, monens se eorum patres, quia illa non observassent, punire debuisse et inter gentes dispersisse (7,8-14).

3.) *In altera sectione, ut eos ad hanc observantiam adducat, promissiones suas renovat* (8,1-24).

a.) Plenam quippe restitutionem foederis promittit, dummodo Legem observent (8,1-17).

α. — Pristina sua ira commemorata se ad Sion reversurum (8,1-3), eam plenam incolis restituturum et in eam exsules reducturum esse spondet (8,4-8);

β. — deinde ut alacres et fortes sint, eos exhortatur, quum eos cumulaturus sit suis benedictionibus (8,9-13);

γ. — at eam ponit conditionem, ut veritatem et iustitiam colant (8,14-17).

b.) Ulteriores deinde addit promissiones (8,18-23); convertet enim dies tristitiae eorum in dies gaudii (8,18. 19), atque undique gentes ad verum Deum confluent, ut per Iudaeos quaerant salutem (8,20-23).

PARS TERTIA (9,1-14,21) *duabus orationibus iudicia et bona temporis messianici explicat.*

1. — ONUS VERBI DOMINI IN HADRACH[1] (9,1-11,17), *dum vicinis regnis divinum iudicium, Israel autem gloriam messianicam praedicit, simul contumacibus Israelitis gravissimam poenam minatur.*

1.) *Iudicium contra vicinas gentes eiusque finis* (9,1-7).

a.) Deus Syriam, Phoeniciam, Philisthaeam propter eorum superbiam gravibus poenis visitabit (9,1-6),

b.) ut omni malo ablato dignae reddantur bonis messianicis (9,7).

2.) *Gloria populi electi tempore messianico* (9,8-10,12).

a.) Illo autem tempore Deus populum suum proteget eique regem dabit salvatorem et pacificum, qui regnum suum extensurus sit in totam terram (9,8-10);

b.) quare illi, qui etiamdum in captivitate degent, ad reditum invitantur magnis victoriis de Graecia promissis omniumque bonorum copia proposita (9,11-17).

c.) Felicem hanc sortem precibus a Deo efflagitare iubentur (10,1. 2); paratus enim Deus est ad gregem suum protegendum salutemque gloriosam praestandam (10,3-7);

d.) quae ut confirmet, propheta accuratius describit, quomodo Deus Ephraim salvaturus sit, antiquis miraculis in memoriam revocatis (10,9-12).

3.) *Ratio causaeque poenae Israelitis contumacibus infligendae per actionem symbolicam figurantur* (11,1-17).

a.) Iudicium generatim annuntiatur (11,1-3).

b.) Bonus pastor (11,4-14).

α. — Propheta gregem Domini pascere iubetur atque munere suo bene fungitur (11,4-7); (at grex contumax pastorem aversatur;)

β. — quare iratus gregem tradit hostibus vexandum, qua poena pauci tantum ad resipiscentiam adducuntur (11,8-11).

γ. — Ut gregem suum iterum probet, postulat pastor mercedem laboris sui; at vili pretio eius labor aestimatur; quare curam gregis prorsus abiicit (11,12-14).

1. Terrae huius memoria plane evanuerat ita ut antiqui rabbini, quos sequitur S. Hieronymus (In Zach. 9,1. M. 25,5151), nomen Hadrach symbolicum putaverint a propheta confictum; cuneiformibus autem inscriptionibus hodie edocti sumus, Hadrach fuisse Syriae civitatem vel provinciam quandam, contra quam saepius reges Assyriorum exercitus suos duxerunt.

c.) Itaque propheta malum agere iubetur pastorem, qui gregem vexat et destruit (11,15-17).

2. — ONUS VERBI DOMINI SUPER ISRAEL (12,1-14,21) *duabus sectionibus ostendit hostes impugnaturos quidem esse regnum messianicum, sed devictum iri.*

1.) *Hostium impetus illis quidem erit interitui, populo electo autem saluti* (12,1-13,6).

a.) Fatali quadam necessitate omnes gentes Ierusalem et Iuda aggredientur, sed cum magno sui ipsorum damno (12,1-4); etenim Deus principes Iuda confortabit et adiuvabit, ita ut sibi ipsis victoriam attribuere nequeant, et glorificabit populum suum, hostes autem conteret (12,5-9).

b.) (Hanc autem victoriam populus adipiscetur, quia) Deus super eum effundet spiritum gratiae suae, quo crimen suum cognoscant et lugeant, quod commiserunt configentes salvatorem suum (12,10-14).

c.) Victoriae vero fructus erit apertio fontis, quo abluentur omnes immunditiae idololatricae (13,1-6).

2.) *Hac autem ratione impetus hostium erit populo saluti, ut reliquiae eius salventur* (13,7-14,21).

a.) Summatim docetur, impugnatione illa partem populi esse interituram, reliquias autem mundatum et intimius cum Domino unitum iri (13,7-9).

b.) Quae explicans praedicit propheta, hostes sanctam civitatem expugnaturos et vastaturos populique partem abducturos esse (14,1. 2), Deum autem adventurum, ut reliquiis mirabilem viam salutis pandat (14,3-5), atque diei tribulationis successurum esse diem prosperitatis (14,6. 7).

c.) Quae prosperitas accuratius descripta *epilogum libri* constituit (14,8-21).

α. — Etenim de Ierusalem aquae vivae egredientur, quae toti terrae miram afferent fertilitatem (14,8-11);

β. — hostes tremenda quidem clade percutientur (14,12-15), sed eorum quoque reliquiae ad Dominum sese convertent et prosperitatis participes fient (14,16-19);

γ. — ac tum demum omnis Ierusalem et omnis Iuda eximia dignitate et sanctitate splendebunt (14,20. 21).

16. — *Prophetia Malachiae.*

Cui ultimus ex propheticis V. T. libris, qui inscribitur *Prophetia Malachiae*, debeatur, haud plane constat; Malachiae enim nomen potius appellativum quam proprium esse eoque Esdram, celeberrimum legitimi cultus et observationis Legis

mosaicae inter reduces restitutorem, designari, multi haud improbabiliter coniecerunt. Quidquid est, dubitari nequit, quin huius libelli auctor illa aetate, qua Esdras et Nehemias floruerunt, inter reduces munere prophetico sit functus et propheticis suis concionibus ad divinum cultum restituendum et Legis Moysi observationem urgendam quam plurimum contulerit. Pro aetatis enim illius necessitatibus propheta noster totus est in contribulium suorum de Deo querelis redarguendis et in vitiosis sacerdotum sacrificiis perversisque totius populi moribus castigandis; tamquam « sigillum prophetarum » autem in libelli fine praecursorem Messiae ad iudicium agendum advenientis quasi digito intento monstrans praedecessorum suorum vaticinia quodammodo confirmat.

Ceterum praeter exordium et epilogum duas distinguimus partes, quarum in priore propheta sacerdotes, in altera totum populum ob varios abusus increpat. Adnotasse quoque iuvat, prophetam continuo uti dialogismo quodam quum prius Deum sistat sacerdotibus vel populo aliquid exprobrantem, deinde hos inducat quasi excusationis gratia causam vel rationem reprehensionis a Deo rogantes, ac rursus Deum sistat interrogantibus respondentem vituperiumque explicantem et confirmantem. Sex eiusmodi dialogis totus libellus componitur.

EXORDIUM (1,2-5) *ingratis Iudaeis singularem Dei erga eos amorem in memoriam revocat.*

Quamvis Esau et Iacob fuerint fratres (1,2),

Dominus tamen posteros Esau abiecit nec eorum rempublicam unquam restituet (1,3. 4),

sed super terminos Iacob suam gloriam manifestat (1,5).

PRIOR PARS (1,6-2,9) *sacerdotes ob cultum divinum neglectum vituperat eosque poenis denuntiatis et antiquo foedere commemorato ad emendationem seriam exhortatur.*

1.) *Peccatum sacerdotum exponitur et increpatur* (1,6-14).

a.) Honoris, quem Deo utpote patri suo debent, immemores sacerdotes offerunt victimas immundas, quas ne principi quidem offerre auderent (1,6-8);

b.) quare frustra gratiam divinam implorant; Deus enim respuit illa sacrificia (1,9. 10)

c.) nam sibi ipse praeparabit oblationem mundam ubique terrarum tempore messianico offerendam (1,11).

d.) Contemtui habent altare Dei, quod divina maiestate despecta victimis vilibus et raptis onerant, dum meliores res dolo sibi reservare non dubitant (1,12-14).

2.) *Ad emendationem invitantur propositis poenis et antiquo foedere commemorato* (2,1-9).

a.) Graves eis poenae denuntiantur, nisi sese emendent Deoque honorem debitum tribuant (2,1-4);

b.) pactum praeterea eis in memoriam revocatur, quod olim Deus cum Levi iniit, et quam fideliter illud olim sit observatum, declaratur (2,5-7).

c.) Unde elucet, quam longe sacerdotes a veri sacerdotis munere defecerint, neque mirum est, quod ipsi quoque nunc ab omnibus despiciantur (2,8. 9).

Altera pars (2,10-4,3) *varia populi peccata increpat.*

1.) *Atque primum quidem in re matrimoniali populus reprehenditur* (2,10-16),

a.) ibique praeprimis, quia foedus matrimoniis suis violent, quae cum alienigenis contrahentes totum populum contaminent (2, 10-12);

b.) praecipue vero, quia libidine ducti, ut illicita illa matrimonia contrahere possint, legitimas suas uxores repudient magna cum iniustitia (2,13-16).

2.) *Altera increpatio est de eorum expostulatione cum Deo* (2,17-3,6).

a.) Deum enim populus graviter offendit, quum eum iniustum esse neque ad iudicium de ethnicis agendum iam advenire conqueratur (2,17).

b.) Cui querelae propheta respondet, Dominum foederis et iudicii adventurum, ut mundet populum suum eumque sibi acceptabilem reddat (3,1-4);

c.) videant autem, num ipsi ad talem iudicem recipiendum iam sint praeparati (3,5. 6).

3). *Tertia est de negligentia in decimis solvendis* (3,7-12).

a.) Populus longe recessit a Deo eumque negligentia sua in decimis solvendis continuo laedit (3,7-9);

b.) si reverti et emendari velit, magnae ei promittuntur benedictiones (3,10-12).

4). *Quarta iterum est de iniusta populi cum Deo expostulatione* (3,13-4,3).

a.) Stulte conqueritur, quod servitium divinum sibi non afferat emolumentum (3,13-15);

b.) interea pii gemunt ad eorumque suspiria Deus sese attendere pollicetur (3,16.17);

c.) in die autem iudicii omnes videbunt, quantum emolumentum afferat servitium divinum (3,18); dies enim iudicii adveniet terribilis impiis, laetus autem piis (4,1-3).

Epilogus (4,4-6) exhortatur omnes, ut Legem Moysi observent (4,4), atque promittit, Deum ante iudicii diem missurum esse Eliam, qui populum suum convertat (4,5. 6).

IV

HISTORICORUM N. T. LIBRORUM

SYNOPSES.

1. — *Sanctum Iesu Christi Evangelium secundum Matthaeum.*

Inde a primis fidei temporibus quatuor primi libri Novi Test. nomine *Evangelii*, i. e. fausti laetique nuntii, a reliquis apostolicis scriptis secernuntur, utpote qui « originem, facta, dicta, passiones D. N. Iesu Christi narrantes » mysterium reconciliationis nostrae cum Deo iam impletum esse annuntient et doctrinam ab ipso Verbo incarnato his in terris praedicatam referentes sensu plane singulari « verba Dei » exhibeant. Quamvis libris historicis adnumerari soleant, inter dogmaticos quoque locum merentur. Neque enim Evangelistae piae nostrae curiositati inservientes completum vitae dominicae conspectum nobis tradere voluerunt, sed dogmaticum imprimis finem prosecuti singuli, ut certam quandam veritatem, quam suis quisque primis lectoribus magis duxerunt necessariam, efficaciter demonstrarent, ex Domini rebus gestis sermonibusque ea, quae apta iudicarunt, selegerunt temporisque ratione saepe posthabita eo ordine disposuerunt, qui thesi probandae accommodatior videbatur. Quapropter in singulorum Evangeliorum analysi tradenda ad Evangelistarum fines diversos praeprimis attendamus oportet; ut autem totam quoque, quatenus in Evangeliis narrata est, vitam Domini cognoscamus, chronologicum eius conspectum addemus.

« *Matthaeus,* qui et Levi, ex publicano Apostolus, primus in Iudaea *propter eos qui ex circumcisione crediderant,* Evangelium Christi hebraicis literis verbisque composuit, quod quis postea in graecum transtulerit non satis certum est » (*S. Hier.*). In quo conscribendo eum sibi *finem* proposuisse recte censetur, ut *vera Messiae regnique messianici imagine delineata demonstraret, Iesum quidem esse Messiam a Deo olim populo suo promissum Ecclesiamque ab eo fundatam regnum esse messianicum per prophetas tam splendidis coloribus descriptam, mirum tamen non esse, quod magna populi Israel pars ac praesertim eius principes hunc Messiam non agnoverint et salutem per eum allatam reiecerint, quia praeiudiciis ac peccatis suis ipsi sese occaecaverint.*

Quem finem ut attingat, Evangelista post longius exordium (1,1-4,11), quo argumentationi suae iam praeludens lectores ad Iesu dignitatem messianicam agnoscendam ac divinam eius doctrinam recipiendam praeparat, ante omnia in prima operis parte (4,12-14,12) res gestas sermonesque Domini ex variis publicae vitae eius periodis seligit eoque ordine, temporis ratione magis minusve postha-

bita, proponit, ut omnia vaticiniis prophetarum plane respondere clare appareat. In aliis autem duabus partibus (14,13-20,28; — 20,29-28,20) ad ordinem chronologicum, quem in exordio secutus erat, reversus vita publica Domini inde ab initio tertii anni eius narrata thesin quidem iam stabilitam confirmat, maxime autem novi regni messianici (i. e. Ecclesiae) praeparationem fundationemque atque antiquae synagogae reiectionem persequitur.

Primum Evangelium inter a. 44. et 50. scriptum esse recte asseritur.

I. Exordium (1,1-4,11) *nonnullorum, quae publicam Domini vitam praecesserunt et praeparaverunt, narratione animos legentium disponit, ut Iesum esse Messiam promissum agnoscentes doctrinam eius libenter amplectantur.*

1. — *Praeprimis enim ex historia infantiae Domini varia congeruntur, quae utpote a prophetis praedicta Iesum esse Messiam patribus promissum ostendunt* (1,1-2,23) :

a.) genealogia eius legalis (1,1-17), ex qua apparet, eum esse filium Abrahae et Davidis, uti praedictum erat (*cfr Gen.* 12, 13; *Is.* 11,1; *Ier.* 23,5, etc.),

b.) eius nativitas ex Virgine (1,18-25) *cfr Is.* 7,14,

c.) et quidem in Bethlehem Iuda, quo stella miraculosa magos ab oriente adduxit ad novum regem adorandum (2,1-12) *cfr Mich.* 5,2; (*Num.* 24,17),

d.) fuga eius in Aegyptum (2,13-15; *cfr Os.* 11,1), caedes infantium (2,16-18; *cfr Ier.* 31,15), reditus ex Aegypto et habitatio in Nazareth (2,19-23; *cfr Is.* 11,1).

2. — *Similiter nonnulla, quae Christi ministerium proxime praeparaverunt, ad eius auctoritatem insinuandam praemittuntur* (3, 1-4,12) :

a.) praedicatio Ioannis B. in deserto (3,1-12; cfr *Is.* 40,3);

b.) Iesu ipsius baptismus, in quo non solum a Ioanne B., sed etiam voce e coelo delapsa Messias proclamatur (3,13-17);

c.) eius demum ieiunium et tentatio a diabolo, quo devicto « angeli accesserunt et ministrabant ei » (4,1-11).

II. Prima pars (4,12-14,12), *ordine chronologico posthabito, ex tota fere vita publica Domini argumenta colligit, quibus eum esse Messiam demonstratur et causae inimicitiarum Pharisaeorum explicantur.*

1. — *Pro huius partis introductione Evangelista, quia pleraque quae narraturus est in Galilaea acta sunt, praeiudicium Iudaeorum ex Galilaea prophetam vel Messiam venire posse negantium destruit et triplex huius partis argumentum indicat* (4,12-25).

a.) Dominum enim illa in regione sedem suam fixisse ministeriumque suum exercuisse ostendit, quam Messiae tempore ex

tenebris ereptum ac magna luce illustratum iri praedictum erat (4,12-16; cfr *Is.* 9,1).

b.) Quae autem lux magna sedentibus in umbra mortis apparuerit, explanat vocatione primorum Apostolorum brevissime narrata, et adumbrato ministerio Christi, quum praedicantis tum miracula patrantis (4,17-25).

(Quibus tres huius partis sectiones indicantur : *Iesus doctor et legislator* 5,1-7,29; — *Iesus miraculorum patrator* 8,1-9,34; — *Iesus novi regni fundator* 9,35-14,12).

2. — *Praeprimis igitur sermone montano allato demonstrat Iesum sese revelasse doctorem ac legislatorem, qui ad antiquam Legem perficiendam advenerit* (5,1-7,29)[1].

1.) *A nova sua lege promulganda Dominus exorditur* (5,1-16).

a.) Octo quippe beatitudinibus virtutes commendat, quae velut conditiones ad novi regni salutem obtinendam requiruntur (5,1-12);

b.) octavam autem quasi explanans declarat, quales sui regni magistratus esse debeant et quantopere sui discipuli, qui sal terrae et lux mundi futuri sint, a Pharisaeis Scribisque, Legis corruptoribus, differant oporteat (5,13-16).

2.) *In priore autem sermonis parte sui ipsius suorumque, i. e. totius novi sui regni, relationem ad antiquam Legem explanat* (5, 17-6,18).

a.) Se enim non ad solvendam sed perficiendam Legem advenisse atque a suis perfectiorem, quam Scribarum sit ac Pharisaeorum, impletionem Legis requiri praefatus (5,17-20)

b.) exemplis docet, qua in re perfectio Legis a se allata consistat, antiquis quibusdam praeceptis (eorumque explicationibus receptis) sua adiungens vel opponens; exempla autem desumit ex praeceptis amoris proximorum (5,21-26), castitatis matrimoniique indissolubilitatis (5,27-32), veracitatis (5, 33-37), amoris demum inimicorum (5;38-47).

c.) Perfectam porro hanc legem etiam perfecto modo observandam esse monet (5,48); abstinendum ergo illis esse, ne in bonis actionibus ad homines respiciant (6,1), uti Pharisaei faciunt sive in suis eleemosynis distribuendis (6,2-4), sive in precationibus suis dicendis, quum potius in occulto et paucis verbis et cum humili fiducia a Deo omnia sint petenda (6,5-15), et in ieiuniis suis (6,16-18).

1. Vaticinium hac in sectione auctor non affert, quoniam Iudaeis omnibus, quibus Matthaeus librum proxime destinavit, persuasissimum erat, Messiam tamquam alterum Moysen (cfr *Deut.* 18,15 sqq.) fore opuli magistrum ac legislatorem.

3.) *In secunda sermonis parte, quomodo suis ad regnum coelorum anhelandum sit, exponit* (6,19-7,12).

a.) Thesauros quippe regni coelorum non tantum omnibus thesauris corruptibilibus terrae esse praeferendos, quum nemo simul Deo et mammonae servire possit (6,19-24), sed neque ob quotidianas vitae necessitates negligendum esse regnum coelorum declarat, quia Dei providentia, quae de minimis quibuscumque curet, nunquam derelictura sit eos, qui iustitiam quaerunt (6,25-34);

b.) cavendum porro monet, ne in regno coelorum quaerendo magis ad alios, quam ad se ipsos attendant (7,1-6);

c.) atque demum auditores suos Deum precari iubet, quippe qui tamquam bonus pater precantibus necessaria non negaturus neque mala pro bonis daturus sit (7,7-12).

4.) *Sermonem exhortatione terminat* (7,13-29).

a.) Praeprimis auditores conniti vult, ut per angustam portam in regnum intrent (7,13. 14);

b.) a perversis igitur viae ductoribus (Scribis et Pharisaeis sibi caveant oportet (7,15-20) et a falsa securitate, quae ex externis operibus exoritur (7,21-23);

c.) domum vero perfectionis super solidum fundamentum suae doctrinae, quam audierint, aedificent (7,24-27).

3. — *A divina Iesu doctrina ad eius opera divina transiens Evangelista eum miraculorum patratorem fuisse demonstrat* (8,1-9,34).

Multis autem miraculis narratis una ex parte vaticinia in Iesu impleta esse docet, altera ex parte animos ad benignissimum Iesum attrahit et Pharisaeorum perversitatem crescentesque in Dominum inimicitias pandit.

1.) *A tribus sanationibus miraculosis inchoatur* (8,1-17),

a.) quarum prima, leprosi mundatio, in signum fuit ducibus populi (8,1-4),

b.) altera, sanatio filii centurionis, meliorem esse ethnicorum, quam Iudaeorum, dispositionem ad fidem ostendit (8,5-13);

c.) tertia, febris socrus Petri fugata, dignitatem Petri quasi praesagivit effecitque, ut, quum magna multitudo iam a Domino auxilium quaerere coepisset, in eo vaticinium *Is.* 53,4 impletum appareret (8,14-17).

2.) *Tribus quae sequuntur miraculis potentia et misericordia Domini clarius manifestantur* (8,18-9,8).

a.) Dominus enim, ne extrema illa quam profitebatur paupertate homines a sua sequela absterrerentur (8,18-22) tempestate sedata sibi ventos ac mare obedire (8,23-27) et daemoni-

bus in porcos immissis se iis imperare probavit (8,28-34).

b.) Paralytico autem peccatori una cum peccatorum remissione sanitatem corporis restituens sese misericordissimum omnium dominum esse revelavit (9,1-8).

3.) *Quemnam effectum miracula produxerint* (9,9-34).

a.) Qui bene erant dispositi, uti Matthaeus, vocantem Dominum statim secuti sunt (9,9. 10);

b.) Pharisaei autem misericordia Iesu erga peccatores scandalizati atque irati, eo quod suam ipsorum vitae rationem sequi discipuli Iesu prohibebantur (9,11-17), quum magna Domini signa, resuscitationem filiae Iairi et sanationem haemorrhoissae (9,18-26), visum duobus caecis et linguam daemoniaco muto restitutam (9,27-32), negare non possent, opera eius principi daemoniorum adscribere ausi sunt (9,33-34).

4. — *Tertium iam argumentum, quod vocatione quatuor primorum discipulorum* (cfr 4,18 sqq.) *indicaverat, explicans Evangelista Iesum ostendit novi regni fundatorem* (9,35-11,12).

1.) *Apostolici muneris institutio Apostolorumque praeparatio ad primam suam missionem* [1] (9,35-10,42).

a.) Vocatio duodecim Apostolorum (9,35-10,4).

α. — Iesus ergo, quum populum a Scribis Pharisaeisque vexatum gregi sine pastore similem esse videret, discipulos suos Deum rogare iussit, ut operarios in suam vineam mitteret (9,35-38)

β. — atque duodecim suos discipulos collato miraculorum dono constituit Apostolos (10,1-4).

b.) Apostolorum ad suum munus exercendum institutio (10, 5-42).

α. — Ad quos enim et quem in finem eos mitteret praefatus (10,5-7) eis, ut missionem suam explere valerent, divinam suam ipsius contulit potentiam, sed simul vitam suam pauperem eos imitari iussit (10,8-10) docens, quid erga illos, qui ipsos essent recepturi, quidve erga illos, qui ipsos essent repulsuri, agere deberent (10,11-15).

β. — Ad futuros deinde eorum labores prospiciens magna pericula, quae subituri essent, non celavit, ideoque ad prudentiam eos exhortatus est, quam superne illis datum iri promisit (10,16-20).

γ. — Quibus periculis fusius descriptis, quippe quae eadem sint, quae ipse subiturus sit (10,21-25), homines non esse

1. Quoniam in prima sua missione Apostoli periculum quoddam officiorum futuri sui muneris erant facturi, Dominus orationi suae praeparatoriae nonnulla inseruit, quae non nisi post resurrectionem suam illis eventura erant.

timendos docet, quoniam Pater eos sit protecturus et ipse suos non derelicturus (10,26-33).

δ. — Ac demum quoniam eandem, quam ipse, missionem habeant, eadem sors quoque eis obtinget; infelices illi, qui Apostolos non sint audituri, felices illi, qui eos sint secuturi (10,34-42).

2.) *Iudaeorum inconstantia cordisque duritie atque crescente Pharisaeorum oppositione delineatis difficultates adumbrat, quas novi regni fundatio et propagatio inventura sit* (11,1-12,50).

a.) Iudaeorum inconstantia et obstinatio (11,1-30).

α. — Ad eam describendam Evangelista transit allato Ioannis Baptistae testimonio, qui discipulos ad Iesum miserat, ut testes essent operum messianicorum ab *Is.* 35,5 praedictorum (11,1-6);

β. — illa quippe occasione usus Dominus Ioannis laudes celebraverat (11,7-15) illiusque fidei et constantiae puerilem Iudaeorum inconstantiam et infidelitatem opposuerat, qui neque severa Ioannis vita neque communi vivendi ratione Domini contenti erant (11,16-19);

γ. — huic autem vituperio S. Matthaeus gravem increpationem illarum civitatum adiungit, quae tot Domini miraculis ad fidem non erant adductae (11,20-24);

δ. — ne tamen populus desperet, novam subiungit Domini invitationem, ut ad ipsum accedentes reficiantur et ipsius virtutes imitantes salutem consequantur (11,25-30).

b.) Pharisaeorum odium et oppositio contra Iesum semper crescens (12,1-50).

α. — A populo ad eius duces transiens Evangelista perversos Pharisaeorum mores enarrat. Discipulos sabbato spicas vellentes iniustissime carpunt (12,1-8), quin etiam Dominum impedire conantur, ne sabbato aegrotos sanet (16,2-13), et quia eorum placitis non obedit, consilium adversus eum capiunt, ut eum perdant (12,14).

β. — Dominus vero ob Pharisaeorum odium populo beneficia non subtrahit; quare merito Evangelista, qui in hac parte sapientissime umbras a lumine dividit, ad imaginem Messiae ab *Isaia* 42,1-4 delineatam provocat, ut illam in Iesu vita expressam esse lectores quasi oculis suis deprehendant (12,15-21).

γ. — Ideo etiam Pharisaeos, qui novum Domini miraculum (sanationem daemoniaci) daemoni adscribunt (12,22-24), nec ad blasphèmae calumniae refutationem animos advertunt (12,25-30), in peccato contra Spiritum S. constitutos esse ostendit (12,31-37).

δ. — Quare lectores mirari non possunt, quod Iesus Pharisaeis novum signum petentibus maximum quidem, resurrectionem suam, promittat, sed simul declaret, illos ne huic quidem fidem esse adhibituros ideoque ab ipsis ethnicis in iudicio condemnatum iri (12,38-45).

ε. — Verum ne una cum Pharisaeis infidelibus etiam Iudaei illi, qui bonae sunt voluntatis, reiecti esse videantur Evangelista Domini effatum affert, quo genuina membra familiae suae, i. e. regni sui, declaravit illos, qui facturi sint voluntatem Patris (12,46-50).

3.) — *Indolem tandem regni messianici Evangelista septem parabolis a Domino propositis describit* (13,1-52).

Qua per parabolas docendi ratione novum characterem ab *Is.* 6,9 et in *Ps.* 77,2 praedictum in Iesu adfuisse demonstrat.

Parabolis ipsis autem obiectiones praeoccupat, quae ex erroneis Iudaeorum ideis de regno messianico exoriri potuerunt. Regnum splendidum Prophetae praedixerant inter eius initia et consummationem non distinguentes; iam ubi erat illud regnum pacis et concordiae, quod totum mundum complecti, in quo omnes virtutes florere, ad quod Iudaeis, velut hereditarium ius quoddam prae aliis competere erat promissum? Hisce similibusque interrogationibus respondent parabolae.

a.) Prima parabola seminantis praeparationem quandam cordis requiri ostendit, ut quis in regnum messianicum intrare possit, obscuriusque insinuans, impedimenta, quae Dominus discipulis explicat, in Iudaeis inveniri, non mirum esse demonstrat, quod non omnes, ad quos invitatio ingrediendi pervenit, in illud ingrediantur (13,1-23).

b.) Altera parabola, de zizania in medio tritico seminata, non sufficere docet, ut externe aliquis ad regnum messianicum pertineat (id quod Pharisaei genere suo abrahamitico confisi facile putare poterant), sed bonos et malos in regno messianico esse posse, usque dum in ultimo iudicio separatio fiat (13,24-30).

c.) Tertia et quarta, de grano sinapis et de fermento, demonstrant messianicum regnum non obstante parvo eius initio mundum universum esse occupaturum atque etiam vim suam internam monstraturum in asseclas suos (13,31-35).

d.) Explicationi secundae parabolae de zizania (13,36-43) adiunguntur quinta et sexta de thesauro abscondito et de margarita pretiosa, quae omnibus praeferendum esse regnum messianicum declarant (13,44-46);

e.) demum septima, de sagena bonos et malos pisces congre-

gante, curandum esse monet, ne quis regni messianici civis in consummatione saeculi malus inveniatur et in caminum ignis iniiciatur (13,47-52).

4.) *Pro prioris partis conclusione Evangelista duobus factis solam veritatis cognitionem ad regnum coelorum ingrediendum non sufficere ostendit* (13,53-14,12).

a.) In patriam enim profectus Iesus popularibus suis admirationi quidem fuit ob suam sapientiam, sed ob humile suum genus ab eis despectus reiectusque est (13,53-58);

b.) Herodes autem, qui de miraculis eius audierat, superstitioso timore correptus eum esse Ioannem B., quem ipse occiderat, a morte resuscitatum putavit (14,1-12).

III. Secunda Pars (14,13-20,28) *chronologico ordine quaedam ex tertio vitae publicae Domini anno enarrans de novi regni fundatione et quidem de Apostolorum, qui futurae Ecclesiae praepositi erant destinati, ad munus hoc obeundum praeparatione potissimum agit.*

1. — *Ut novo muneri idonei fierent, Apostoli de divina natura Iesu praeprimis edocendi erant et a Pharisaeorum societate ac perversa doctrina arcendi* (14,13-16,12).

1.) *Duobus magnis miraculis Dominus apostolos adducit, ut ab iis vere Deus agnoscatur* (14,13-36).

a.) Audita scilicet Ioannis Baptistae morte Dominus in desertum locum secesserat ibique ingentem hominum numerum, qui eum secuti erant, pane per manus discipulorum multiplicato satiavit (14,13-21);

b.) praecedentes porro discipulos super mare ambulans secutus Petrum, qui ipse quoque super aquas ad eum accedere voluit, sed timere coepit, in aquam iamiam immergentem salvavit (14,22-32).

c.) Quibus duobus miraculis quum sese elementorum dominum esse ostendisset, « verus filius Dei » a discipulis salutatus est (14, 33), turbae vero iisdem miraculis ad id dumtaxat sunt permotae, ut nova beneficia temporalia sibi ab eo peterent (14,34-36).

2.) *Iesus discipulos suos, ut Pharisaeorum vitent conversationem, admonet* (15,1-16,12).

a.) Pharisaeos hypocritas esse caecosque caecorum duces docet (15,1-20).

α. — Discipulos a Pharisaeis accusatos, quod non lotis manibus cibum capientes traditiones seniorum violarent, Dominus defendens Pharisaeos coarguit, quod ipsi traditionum suarum observatione divinas leges transgrederentur et hypocritarum modo Deo servirent (15,1-9);

β. — convocatas deinde turbas vanam esse illam lotionis traditionem docuit (15,10-11) discipulisque Pharisaeos esse caecos caecorum duces accuratiore explicatione inanitatis traditionis istius ostendit (15,21-20).

b.) Ne vero Iesus Pharisaeorum impugnatione populum ipsum reiicere videatur, Evangelista nonnulla inserit, quibus quanti Dominus populum suum fecerit, apparet (15,12-39).

α. — In partes enim Tyri egressus Iesus non nisi multis precibus, ut filiam Chanaanitidis sanaret, adductus est utpote qui ad solos oves qui periissent domus Israel missus esset (15,21-28);

β. — contra vero reversus quam plurimos sanavit ex Iudaeis (15,29-31) et secunda panis multiplicatione ostendit, quam paratus esset ad Iudaeos illos, qui bonae erant voluntatis, (escis spiritualibus) satiandos (15,32-39).

c.) Denuo autem perversitate Pharisaeorum increpata Iesus discipulos ab eorum societate et doctrina avertit (16,1-12).

α. — Miraculis enim iam patratis quasi non contenti Pharisaei « signum de coelo » petierunt; sed generationi isti malae et adulterae aliud non datum iri Dominus asseruit, nisi signum Ionae prophetae (16,1-4);

β. — abiens autem discipulos sibi cavere iussit a fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum (16,5-12).

2. — *Apostolos hac ratione edoctos et ad novam divinae suae naturae professionem provocatos Dominus ad futuram suam passionem praeparare incipit* (16,13-17,26).

1.) Sua ergo discipulorum interrogatione Iesus primum effecit, ut a Petro aperte Filius Dei vivi proclamaretur, ipse vero vicissim Petro primatum in Ecclesia sua promisit (16,13-20).

2.) Exinde Apostolis futuram suam passionem praedicere coepit (16,21); sed quum de hac praedictione scandalizaretur maxime Petrus, discipulis suis necessariam esse hac in terra abnegationem docuit, in futura vita autem omnes debitam mercedem esse recepturos (16,22-28).

3.) Gloriosa deinde transfiguratione in fide confirmatus est Petrus cum duobus sociis suis (17,1-13), reliquorum vero fides novo miraculo (daemone, quem ipsi eiicere non potuerant, eiecto) roborata, ita ut secundam passionis praedictionem iam sine murmuratione audirent (17,14-22).

4.) Stater demum in ore piscis inventus, quum Christi omniscientiam et potentiam manifestaret, praecedentes passionis praedictiones confirmavit atque simul superioritatem capitis regni messianici supra reges terrae declaravit (17,23-26).

3. — *Demum Dominus Apostolos edocet, quomodo tamquam Ecclesiae praesides sese gerere debeant* (18,1-20,28).

1.) Ante omnia eis humilitatem curamque parvulorum commendavit (18,1-14).

a.) In itinere disputantibus, quis eorum in coelorum regno futurus esset magnus, praecepit ut humiles essent ad instar pueruli (18,1-4),

b.) indeque occasionem arripuit curae inculcandae parvulorum (ac simul omnium, qui a mundo viles habentur et despiciuntur) : diligenter sibi cavere eos iussit, ne cui ex illis essent causa ruinae aut ne quem despicerent (18,5-10); singulorum potius salutem esse procurandam, parabola de uno ove deperdito allata monuit (18,11-14).

2.) Porro qua ratione cum iis agendum sit declarat, qui in ipsos offenderint (18,15-35).

a.) Fraterne sunt monendi, Ecclesiae autem denunciandi, si non corrigantur, et ab ea excludendi, si eam audire recusent, quae per pastores solvit et ligat in terra (18,15-20).

b.) Ceterum semper fratri peccanti offensionem esse condonandam, si quis ipse peccatorum remissionem a Patre obtinere velit, parabola de duobus debitoribus manifestat (18,21-35).

3.) Ad ultimum pascha tandem profectus Iesus in itinere cum Apostolis de perfectiore vita agit, ad quam tamquam Ecclesiae praesides sint vocati (19,1-29).

a.) Pharisaei de matrimonii indissolubilitate interrogantes occasionem ei praebent, ut illam quidem asserat (19,1-9), sed simul Apostolos matrimonio voluntariam virginitatem praestare doceat (19,10-12);

b.) parvuli ei oblati occasio sunt ad eorum simplicitatem praedicandam (19,13-15);

c.) iuveni ad altiorem perfectionem anhelanti commendat voluntariam paupertatem (19,16-22), Apostolisque, qui omnia ob ipsius sequelam dimiserant, omnibusque, qui eos hac in re imitaturi sint, ingentem mercedem promittit (19, 23-29).

d.) Ne vero se ipsi extollant, quum tam altum praemium eis promittatur, parabolam de patre familias operarios conducente proponit, qua primos posse fieri novissimos et novissimos primos edoceantur, siquidem merces vitae aeternae non tempori, quo aliquis laboraverit, sed labori et operi, quod fecerit, responsura sit (19,30-20,16).

e.) Tertia deinde vice passione sua praedicta (20,17-19) Dominus a petitione matris filiorum Zebedaei (20,20-23) occasio-

nem sumit inculcandae iterum iterumque humilitatis, cuius ipse exemplum dederat (20,24-28).

IV. Pars tertia (20,29-28,20) *iterum chronologico ordine plerumque retento synagogae, quae Messiam non agnoverat, immo ignominiosae morti tradiderat, completam reiectionem novaeque Ecclesiae fundationem enarrat.*

1. — *Partem hanc, quae potissimum de Domini passione agit, Evangelista a duabus narrationibus exorditur, quae scandalum crucis quodammodo removent, sed simul Iudaeorum culpam clarius manifestant* (20,29-21,22).

1.) Ille enim, qui passurus est, « filius Davidis » salutatur a caecis, quos prope Iericho sanat (20,29-34),

et sicut *Zacharias* 9,9 praedixerat, gloriosus rex triumphans Ierosolyma ingreditur, turbis Hosanna conclamantibus filio David (21,1-11);

templum autem ingressus dominum templi se revelat ementibus et vendentibus eiectis, et dominum naturae sanatis caecis et claudis (21,12-14);

Sacerdotibus vero et Pharisaeis de hac re stupentibus Psalmistae (*Ps.* 8,3) verba in memoriam revocat (21,15-17).

2.) Actione dein symbolica, ficulnea quae fructus non habebat maledicta, declarat Dominus, synagogam quoque, quia fructus non habeat, reiectum iri (21,18-22).

2. — *Cui praeambulo Evangelista disputationes Domini cum Pharisaeis et Sacerdotibus, quae eorum condemnatione terminantur, adiungit* (21,23-23,39).

1.) *Ac primum quidem Iudaeos a regno messianico iuste excludi tribus parabolis declaratur* (21,23-22,14).

a.) Iesus quippe in templo docens, quum a principibus sacerdotum, quo iure id faceret, interrogaretur, eis respondere recusat, quia ipsi quoque suae interrogationi de Ioannis baptismo, utrum de coelo an ab hominibus fuerit, respondere noluerint (21,23-27);

b.) parabolam tamen de duobus filiis, altero obediente, inobediente altero, eis proponit et directe ad eos applicat, quippe qui Ioanni poenitentiam praedicanti aures praebere noluerint, dum publicani et meretrices eius verbis obediverint (21, 28-32).

c.) Alteram deinde parabolam de agricolis eis proponit, qui non solum vineae locatae fructus hero suo reddere recusaverant, sed etiam heri servos atque ipsum filium occiderant iustamque heri iram provocaverant (21,33-39),

eamque ita explanat, ut Pharisaei clare videant a se regnum Dei ob suam ipsorum culpam, uti iam praedictum (*Ps.* 117,22) erat, esse auferendum et dandum genti facienti fructum eius (21,40-44).

d.) Optime ergo haec de se dici intelligentibus nec tamen ob timorem populi quidquam contra Iesum aperte agere audentibus (21,45.46) tertia proponitur parabola haud minus clara de nuptiis filio regis praeparatis, ad quas primi invitati (Iudaei) aliis negotiis distenti accedere nolunt; quare alii (ethnici) vocantur et admittuntur. Ne quis vero sibi persuadeat, ethnicos sine praeparatione admitti, monet eadem parabola, etiam in iis, qui ultimo loco erant vocati, vestem nuptialem requiri (22,1-14).

2.) *Quibus parabolis exasperati Pharisaei Dominum in sermone capere conantur, ut praetextum quendam inveniant eum morti tradendi* (22,15-46).

a.) Primum mittunt Herodianos, qui interrogantes, num Caesari tributum dare liceat, causam quaerunt eum rebellionis accusandi, sed confunduntur (22,15-22);

b.) deinde Sadducaeos, qui difficultatem contra resurrectionem movent, Dominus convincit, eos neque Scripturas neque virtutem Dei intelligere (22,23-33);

c.) confusis Sadducaeis accedunt Pharisaei sperantes, Dominum in nova sua Lege aliquid contra prima et praecipua antiquae Legis praecepta dicturum, sed ipsi quoque de maximo Legis praecepto interrogantes confunduntur (22,34-40).

d.) Completus autem est Christi triumphus, quando quaestioni ab ipso propositae de duplici Messiae natura in V. T. iam revelata nemo respondere potuit (22,41-46); qua quaestione id quoque demonstrat, erroneam de Messia venturo opinionem esse fundamentum omnium errorum eorum.

3.) *Disputationes Domini cum Scribis ac Pharisaeis gravissima eorum increpatione terminantur* (23,1-39).

a.) Pharisaeorum hypocrisi ac vanitate descripta Dominus populum et discipulos exhortatur, ne eorum opera imitentur (23,1-12);

b.) Scribis autem et Pharisaeis, qui neque ipsi in regnum coelorum intrant neque alios in illud ingredi sinunt, septemplex Vae dicit eorum varia scelera falsasque doctrinas enumerans eisque exprobrans (23,13-36);

c.) atque sermonem lamentatione concludit de Ierusalem, quae quia invitationes suas toties repetitas audire noluerit deserta domus sit futura (23,37-39).

3. — *Populus eiusque duces Messiam suum respuerant; ideo Dominus illos non amplius alloquitur, sed Apostolos de iudicio contra Ierusalem et de ultimo iudicio edocet, ut sciant, quomodo in priore se gerere et ad alterum se praeparare debeant* (24,1-25,46).

1.) *Dominum destructionem templi praedicentem Apostoli interrogant*, quando haec futura sint et quodnam signum sui adventus et consummationis saeculi (24,1-3).

2.) *Ad quam multiplicem quaestionem ita respondet, ut generalibus quibusdam monitis ad totum Ecclesiae tempus spectantibus praemissis primum de destructione urbis agat* [1] (24,4-21).

a.) Praeprimis enim eos sibi cavere iubet a seductoribus sese Christum esse fingentibus (24,4-5); multas quippe magnasque fore calamitates persecutionesque et multos surrecturos pseudoprophetas, sed consummationem non venturam, antequam Evangelium in universo orbe sit praedicatum (24,6-14).

b.) Quam primum autem abominationem desolationis in monte sancto viderint, fideles fugam arripiant, quia tunc ventura sit magna tribulatio, qualis non fuit ab initio (24,15-21).

3.) *Deinde de altero Christi adventu loquens ad summam vigilantiam suos exhortatur* (24,22-25,30).

a.) Sibi scilicet caveant, ne ultimo tempore rumoribus de suo adventu fidem adhibeant (24,22-26); suum enim adventum omnibus fore manifestum, quum praevia signa in coelo eum sint annuntiatura et ipse in gloria venturus sit cum angelis (24,27-31), ita ut certo cognosci possit (24,32-35).

b.) Tempus autem sui adventus omnibus esse ignotum addit, sed quia futurus sit subitus, omnibus sollerter esse vigilandum, ne inexspectatus adsit (24,36-51).

c.) Hanc autem vigilantiae necessitatem duabus inculcat parabolis, de virginibus nimirum prudentibus et fatuis (25,1-13) et de domino rationem talentorum, quae servis suis commiserat, poscente (25,14-30).

4.) *Sermonem suum descripto ultimo iudicio Dominus terminat* (25, 31-46).

a.) Adveniens quippe in maiestate sua iustos ab iniustis separabit (25,31-33),

b.) iustos deinde, ut in regnum suum intrent propter opera, quae peregerunt, invitabit (25,34-40), iniustosque ad ignem aeternum condemnabit ob mala eorum opera (25,41-45);

1. Adnotasse iuverit, Christum in suo sermone more prophetarum duos eventus, de quibus interrogatus est, eversionem urbis et ultimum in mundi consummatione iudicium, haud semper accurate distinguere, sed ab uno ad alterum facile transire, quia primum iudicium typus est alterius.

c.) atque exitus iudicii erit, ut iniusti in supplicium aeternum, iusti in aeternam vitam ingrediantur (25,46).

4. — *Sequitur passionis et mortis dominicae historia, quae ita narratur, ut vaticinia in ea impleta esse demonstrentur et culpa voluntariaque caecitas principum patefiat* (26,1-27,56).

1.) *Praeparatio ad Domini passionem* (26,1-46).

a.) ex parte principum populi (26,1-16),

α. — qui consilium ceperunt, ut eum occiderent (26,1-5).

β. — consilii autem exsequendi occasionem nacti sunt, quando de unguenti, quo Maria Dominum unxerat (26,6-13), « perditione » iratus Iudas Iscariotes (cfr *Ioan.* 12,46) se eum traditurum promisit (26,14-16),

b.) ex parte Domini ipsius (26,17-46),

α. — qui in ultima coena traditionem Iudae a prophetis praedictam (cfr *Ps.* 40,10) et in SS. Eucharistiae institutione imminentem suam mortem annuntiavit (26,17-29),

β. — in montem Oliveti deinde egressus discipulorum fugam iuxta *Zach.* 13,7 vaticinium et Petri negationem praedixit (26,30-35),

γ. — in horto Gethsemane autem orans sese Patris voluntati plane commisit (26,36-46).

2.) *Dominus vi captus a principibus populi reus mortis declaratur et Pontio Pilato traditur* (26,47-27,10).

a.) Duce Iscariota satellites a principibus missi advenerunt, ut Iesum caperent; qui osculo a Iuda proditus a discipulis defendi noluit, sed liber sese inimicis tradidit, ut Scripturae (cfr *Is.* 53,7 etc.) implerentur (26,47-56).

b.) Ad principes adductus, quum falsis testimoniis criminis alicuius convinci non posset, mortis reus declaratus est, quia a summo sacerdote interrogatus se Messiam Filium Dei esse palam est professus (26,57-68).

c.) A Petro porro ter negatus (26,69-75), mane facto a principibus Pontio Pilato est traditus (27,1. 2), atque tanta erat principum occaecatio, ut religio illis esset, triginta argenteos a traditore desperante reportatos in corbonam mittere, illisque agrum figuli emerent, hac ratione vaticinium *Ieremiae* (18.32. 33. et *Zach.* 11,12 sqq.) implentes (27,3-10).

3.) *Dominus a principibus et a populo ipso ad mortem postulatus crucifigitur* (27,11-56).

a.) A principibus coram praeside accusatus Dominus sese defendere noluit (27,11-14), et, quum Pilatus ab uxore sua sollicitatus eum liberare vellet, iisdem principibus instigantibus a populo Barabbae postpositus et ad crucifixionem postulatus

est (27,15-23); cui postulationi cessit Pilatus, licet eum innocentem declararet, quando « populus universus » sanguinem Iesu in se filiosque suos detestatus est (27,24-26).

b.) A militibus contumeliis affectus et deinde in locum crucifixionis adductus est Dominus, Simeone Cyrenaeo crucem eius portante (27,27-32); postquam autem crucifixus est, milites vestimenta eius inter se diviserunt secundum Psalmistae vaticinium (27,33-36 cfr *Ps.* 21,19), populus vero et principes crucifixo illuserunt (27,37-44).

c.) Interea tenebrae factae sunt super universam terram et maiora secuta sunt signa, quamprimum Dominus exspiravit, ita ut centurio aliique ethnici adstantes aperte professi sint, Iesum esse Filium Dei (27,45-54), cuius rei testes erant piae quaedam mulieres (27,55.56).

5. — *Domini resurrectione et Apostolorum missione Evangelium terminatur* (27,57-28,20).

1.) Permissione a Pilato obtenta Ioseph ab Arimathaea Dominum mortuum honorifice sepelivit piis praesentibus mulieribus (27, 57-61); sed principes populi recordati, Dominum suam resurrectionem praedixisse, petierunt a Pilato, ut sepulcrum eius custodiretur (27,62-66).

2.) Tertia autem die motu terrae facto Dominus gloriose resurrexit perterritis sepulcri custodibus (28,1-4). Angelus mulieribus, quae ad sepulcrum venerant, resurrectionem annuntiavit simul monens, discipulos Iesum resuscitatum visuros esse in Galilaea; redeuntibus vero mulieribus Dominus apparuit (28, 5-10).

3.) At principes populi, quum ea quae facta erant a custodibus audivissent, pecunia copiosa eos corruperunt, ut discipulos Domini corpus furatos esse assererent (28,11-15).

4.) (Indignos igitur regno coelorum principes populi sese ostenderant; quare iis neglectis) Dominus in Galilaea apparens discipulos suos ad omnes gentes misit, ut eas docerent et in Ecclesiam reciperent (28,16-20).

2. — *Sanctum Iesu Christi Evangelium secundum Marcum.*

« *Marcus*, discipulus et interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, *rogatus Romae a fratribus* breve scripsit Evangelium; quod quum Petrus audisset, probavit et ecclesiis legendum sua auctoritate tradidit » (*S. Hier.*). Primitivam autem ecclesiam romanam, saltem postquam Iudaei per Claudium (c. a. 50.) ex urbe discedere iussi sunt (*Act.* 18,2), universam fere solis *ethnicis* conversis constitisse, ex S. Literis legitime colligitur (cfr *Act.* 28,22; *Rom.* 1,5. 13 etc.). Iamvero quoniam Apostoli pro rei natura aliam Evangelii praedicandi methodum inter Iudaeos, aliam inter ethnicos tenuerunt, facile intelligitur, cur etiam *S. Marcus* romanam S. Petri catechesin referens in suo Evangelio neque eundem finem, quem S. Matthaeus, prosequatur neque eandem argumentandi rationem adhibeat. Messianica potius Domini dignitate, cuius ethnici vix ullam notionem habere poterant, seposita vaticiniisque messianicis vix non omnibus praetermissis secundus Evangelista totus in eo est, *ut Iesum esse Filium Dei omnipotentem eiusque supremo dominio, uti reliqua omnia, ita etiam daemones ipsos* (quibus ethnici sua sacrificia obtulerunt 1 *Cor.* 10,20) *subiacere doceret, atque hac ratione legentium animos cordaque ad divinam eius doctrinam amplectendam et retinendam disponeret.* Ad divinam autem Iesu naturam demonstrandam elegit *argumentum*, quo facilius et fortius ad ethnicorum animos abripiendos non possidemus, miracula scilicet Domini, quorum, quum Petrus et Apostoli testes oculares essent, veritas extra controversiam erat.

Ordinem porro plerumque *chronologicum* secutus est in paucis tantum ab eo deflectens, ubi praecipuus eius finis id postulare videbatur. Secundum Evangelium circa a. 53. scriptum esse probabilior tenet sententia.

I. Prooemium (1,1-20) *post inscriptionem* (1,1), *qua S. Marcus thesin suam* « *Iesus Christus Filius Dei* » *proponit*,

1.) *nonnullis quae vitam publicam Domini praecesserunt narratis legentium attentionem excitat* (1,2-13),

a.) missione videlicet Ioannis Bapt., qui iuxta Isaiae praedictionem (*Is.* 40,3 cfr *Mal.* 3,1) poenitentiae praedicatione et baptismate viam Domini praeparare debuit (1,2-8),

b.) Domini baptismo, in quo voce coelesti declaratus est Filius dilectus Dei (1,9-11),

c.) Domini commoratione in deserto, in quo a satana quidem tentatus, sed angelorum ministerio fruitus est (1,12. 13).

2.) *Initiis autem ministerii galilaici relatis fidem legentium provocat* (1,14-20);

namque Dominum statim, quum in Galilaea Evangelium regni Dei praedicare coepisset (1,14. 15), velut continuos vitae suae testes Petrum cum eius fratre et filiis Zebedaei elegisse refert (1,16-20).

II. Pars prima (1,21-9,28) *Iesum sese Dei Filium esse galilaico ministerio demonstrasse ostendit.*

1. — *Prima Domini miracula in Capharnaum eiusque vicinia et quinam fuerit eorum effectus* (1,21-3,35).

1.) *Varia miracula in ministerii galilaici principio a Domino patrata* (1,21-2,12).

a.) Quum de nova doctrina, quam in synagoga capharnaumitana docebat, omnes stuperent, daemoniaco liberato suam divinam missionem manifestat (1,21-28);

b.) socrum deinde Petri sanat omnesque curat, quos rumor primi miraculi patrati attraxerat (1,29-34).

c.) Relicta civitate cum discipulis in vicinia docet, daemonia eiicit, leprosum mundat; quare undique ad eum concurrunt (1,35-45).

d.) In civitatem regressus, ut sibi, utpote Dei Filio, ius competere ostendat remittendorum peccatorum, paralyticum sanat (2,1-12).

2.) *Varii in variis effectus istorum miraculorum* (2,13-3,35).

a.) Miraculis his perculsus ad primam vocationem Levi Alphaei (Matthaeus) Dominum sequitur (2,13. 14);

b.) Scribae vero et Pharisaei, quum miracula negare nequeant, Dominum, quod cum peccatoribus familiariter conversetur (2,15-17), discipulosque eius accusant, quod non ieiunent (2,18-22) et sabbatum violent (2,23-28); a Domino autem refutati, qui ipse sabbato manum aridam in divinitatis suæ signum sanat, eum perdere volunt (3,1-6).

c.) Quo Pharisaeorum odio non obstante turbae undique ad eum confluunt, ut miracula eius videant (3,7-12).

d.) Pro diversa autem hac animorum dispositione diverso modo agit Dominus:

α. — ex suis sectatoribus duodecim Apostolos eligit, ut sui sint adiutores (3,13-19),

β. — Scribas et Pharisaeos, qui occaecati eius miracula daemoniorum principi adscribunt, utpote in peccato contra Spiritum S. constitutos reprobat (3,20-30);

γ. — relate ad alios declarat, illos vere sibi esse parentes, qui voluntatem Dei faciant (3,31-35).

2. — *Apostolos electos ad primam missionem praeparat atque dimittit* (4,1-6,32).

1.) *Praeparatio Apostolorum* (4,1-6,6).

a.) Parabolis de seminante, de semine clam crescente, de grano sinapis Iesus omnes quidem auditores indolem novi regni docet, solis autem Apostolis interrogantibus explicatius illas exponit (4,1-34).

b.) Magnis deinde miraculis, sedata tempestate (4,35-40), liberato daemoniaco in regione Gerasenorum (5,1-20), haemorrhoissa sanata et filia Iairi resuscitata (5,21-43) Apostolos in fide confirmat;

c.) repulsione, quam ipse a Nazarethanis experitur, eos edocet, ad quid ipsi parati esse debeant (6,1-6).

2.) *Apostolorum prima expeditio* (6,7-32).

a.) Hac ratione praeparatos Dominus potestate in daemones eis collata et monitis nonnullis datis ad poenitentiam praedicandam dimittit (6,7-13);

b.) miraculis autem, quae operabantur, nomen ac potestas eius clarius splendescebat, ita ut Herodes in eo Ioannem B. resuscitatum videret (6,14-16); Herodes enim Ioannem, a quo ob adulterium reprehensus erat, ab adultera instigatus occiderat (6,17-29).

c.) Apostolos reduces Dominus in desertum locum adducit, ut requiescant (6,30-32).

3. — *Ultimis galilaici ministerii mensibus Iesus turbis et maxime discipulis potestatem suam magis magisque manifestat Pharisaeosque confutat* (6,33-9,28).

1.) *Turbarum et discipulorum confirmatio* (6,33-56).

a.) Turbis, quae eum in desertum secutae erant, pane multiplicato satiatis (6,33-44),

b.) Apostolis insuper deambulatione sua in mari confortatis (6,45-52)

c.) ita claruit eius potestas, ut undique aegroti maleque habentes ad eum afferrentur et vel fimbriam vestis tangere quaererent (6,53-56).

2.) *Confutatio Pharisaeorum* (7,1-8,26).

a.) Turbis Dominum admirantibus Pharisaei a Ierusalem venientes ridiculam ei movent querelam, quod eius discipuli non lotis manibus cibum caperent traditione maiorum neglecta (7,1-5).

At Dominus, postquam eos ipsos ob suas traditiones legem divinam transgredi ostendit (7,6-13), turbas ac speciatim discipulos vanam esse istam traditionem docet (7,14-23).

b.) Discipulos deinde ab eis retrahit (7,24-8,26).

α. — Nova miracula Domini, daemoniacae syrophoenissae (7, 24-30) et surdomuti in finibus decapoleos sanationes (7,31-37) alteraque panum multiplicatio (8,1-9), quum Pharisaeis non sufficiant, signum de coelo ab eo postulare non verentur (8,10-13);

β. — unde Iesus discipulos, ut a Pharisaeorum conversatione sibi caveant, monet (8,14-21) novoque signo, caeci sanatione, in fide confirmat (8,22-26).

3.) *Passionis praedictio Apostolis facta* (8,27-9,28).

a.) Ad sollemnem porro fidei professionem provocatos docere incipit futuram suam passionem (8,27-31);

Petrum, qui illum dehortari conatur, increpat (8,32.33), turbasque et discipulos docet, illos solos habituros partem secum, qui secum crucem portaverint (8,34-39).

b.) Discipulos autem de futura passione turbatos confortat gloriosa sua transfiguratione (9,1-12) et daemone eiecto, quem discipuli ipsi eiicere nequiverant (9,13-28).

III. Pars secunda (9,29-13,37), *quia in superioribus Domini divinitas iam satis demonstrata est, in doctrina referenda maxime versatur, qua Apostoli ad munus suum exercendum in itinere et Ierosolymis ante passionem praeparati sunt.*

1. — *Doctrina a Domino in itinere tradita* (9,29-10,52).

a.) Ad iter ierosolymitanum se accingens Dominus discipulis, postquam eis futuram suam passionem iterum revelavit (9,29-31), humilitatem praeprimis commendavit et vitandum omne scandalum inculcavit (9,32-49).

b.) Per Peraeam in Iudaeam iter faciens provocatus a Pharisaeis totum populum et seorsum discipulos indissolubilitatem matrimonii docet (10,1-12);

c.) discipulis quoque simplicitatem puerorum (10,13-16) et voluntariam paupertatem commendat (10,17-25), magnamque mercedem promittit illis, qui ut ipsum sequantur omnia dimiserint (10,26-31).

d.) Tertia vice passione sua praedicta (10,32-34) ex filiorum Zebedaei petitione occasionem capit, ut iterum discipulis omnibus humilitatem secundum suum exemplum commendet (10,35-45).

e.) Vix deinde in Iudaeam ingressus Ierichunte Bartimaeum caecum sanat, atque hac ratione ultima vice ante sollemnem suum ingressum in Ierusalem divinam suam potestatem manifestat (10,46-52).

2. — *Ultimi dies Domini ante passionem* (11,1-13,37).

1.) Triumphus Domini toto populo acclamante in templum ingredientis demonstrat, populum divinam Domini potestatem agnovisse (11,1-11).

2.) Sequente die fici, quae fructus non habuit, maledictione Iesus futuram Iudaeorum maledictionem indicat; in templum autem ingressus se dominum templi manifestat eiectis eius profanatoribus, ob quod factum sacerdotes eum perdere volunt (11,12-19).

3.) Tertia die primum principes populi, qui eum perdere quaerunt, in templo refellit (11,20-12,44).

a.) Ad templum revertens in via discipulis de ficu arefacta stupentibus virtutem fidei et precationis explanat et inculcat (11, 20-26);

b.) templum vero ingressus sacerdotes de eius potestate docendi interrogantes confundit (11,27-33) iisque parabola de iniustis vinitoribus proposita sortem futuram populi iudaici praedicit (12,1-12);

c.) Pharisaeos Herodianosque porro eum interrogatione, num Caesari tributum dare liceat, tentantes pudore afficit (12,13-17) ac similiter Sadducaeos de resurrectione dubitantes stulteque interrogantes (12,18-27);

d.) Scribae autem de maxime mandato interroganti illud exponit (12,28-34);

e.) nihilominus a Scribis, quia honores quaerant, cavendum esse monet (12,35-40), imitandam autem esse pauperem viduam, quae quamquam duo tantum minuta obtulit, reliquis plus dederat (12,41-44).

4.) Sermonem deinde eodem die ad solos Apostolos de templi destructione et secundo suo adventu habitum Marcus simili ratione qua Matthaeus, sed brevius refert (13,1-37).

a.) Egressus igitur e templo Iesus discipulis eius destructionem praedicit; interrogantibus autem de tempore, quando id fiat, et de saeculi consummatione (13,1-4)

b.) primum generatim indicat, quanta (tribulationes etc.) suis ante saeculi finem sint perferenda suumque auxilium eis promittit (13,5-13);

c.) speciatim deinde de urbis et templi eversione, monitis nonnullis additis, loquitur (13,14-19);

d.) atque praeviis secundi sui adventus signis adventuque ipso descriptis (13,20-27)

e.) eos exhortatur, ut ad signa attendant (13,28-31) et semper vigilent, quia hora adventus sui omnibus, Patre excepto, sit ignota (13,32-37).

IV. PARS TERTIA (14,1-16,20) *universa est de Christi passione et glorificatione.*

1. — *Passio Domini* ita narratur, ut appareat eum liberrime omnia in se suscepisse atque divinitatem eius vel in ipsa eius morte ita claruisse, ut centurio ethnicus in moriente Filium Dei agnoverit (14,1-15,47) [1].

2. — *Iesu resurrectio* (*utpote efficacissimum divinitatis eius argumentum*) *variis apparitionibus confirmatur, quibus Apostolos non leviter eam admisisse simul demonstratur* (16,1-18).

1.) Namque mulieres, quibus ad sepulcrum venientibus angelus resurrectionem annuntiaverat, prae timore de ea non erant locutae (16,1-8);

2.) Mariae Magdalenae autem, cui Dominus resuscitatus apparuerat, Apostoli aeque parum fidem adhibuerant (16,9-11), atque duobus discipulis, qui euntes in villam eum viderant (16,12.13).

3.) Itaque Dominus Apostolis congregatis apparere quasi coactus erat, ut eos ad resurrectionis suae fidem adduceret; apparens autem eis missionem in universum mundum commisit donumque miraculorum contulit (16,14-18).

3. — *Gloriosus in coelum demum ascendit,*

eumque verum Deum esse signa demonstrant, quae praedicationem Apostolorum sequuntur (16,19. 20).

1. Passionis historiam, quae paucissimis exceptis cum primi Evangelistae narratione quum in rebus ipsis tum in earum ordine consentit, praetermittimus. Attende autem, quaeso, quanta cum arte, si ita dicere fas est, Marcus vel potius Petrus facta, quibus Iesum esse Dei Filium demonstraret, elegerit disposueritque atque umbras a lumine diviserit. Procul enim dubio ethnicis romanis Filius Dei ad mortem ignominiosam condemnatus et crucifixus « stultitia » erat; ab Evangelii principio autem animi praeparantur, ut mortem Iesu divinitati eius non obstare intelligant. Ideo post prima miracula narrata statim indicatur, ob quas levissimas causas odium Pharisaeorum, quod Iesum ad mortem adduxit, sit exortum; quomodo paullatim creverit, ostenditur; ubicunque autem de hoc odio sermo est, ei admiratio populi opponitur, et novis miraculis immediate postea narratis difficultas, quam odium illud in animis excitare potuit, sapientissime removetur. Ita tandem, quando ad ultimos Domini dies perventum est, eius passio, quam ipse saepius praedixerat, accurate et aperte narrari potuit, et tantum abest, ut difficultatem aliquam in legentium mentibus provocet, ut admirationem Domini, quam vitae publicae narratio excitavit, augeat atque in amorem convertat.

3. — *Sanctum Iesu Christi Evangelium secundum Lucam.*

Eadem ratione, qua S. Marcus romanas Petri praedicationes literis mandavit, *S. Lucas* « quod a Paulo praedicabatur Evangelium in libro condidit » (*S. Iren.*), ita ut antiquae ecclesiae « Lucae digestum Paulo adscriberent » (*Tert.*). Ecclesias autem a Paulo fundatas ex Iudaeis et ethnicis ita coaluisse, ut ethnici neophyti multum praevalerent, inter omnes constat. Revera enim Actibus edocemur, Paulum in expeditionibus suis apostolicis per Asiam Min., Macedoniam et Achaiam, licet singulis in civitatibus synagogas primum adiret, ut contribulibus suis Evangelium annuntiaret, ab iis tamen plerumque repulsam tulisse atque tempus laboremque suum fere totum ethnicis, quippe qui promtiores essent, ad Ecclesiam adducendis impendere coactum fuisse. Praeterea nemo ignorat, quantopere ei in omnibus ecclesiis a se fundatis enitendum fuerit, ut iudaizantium doctorum conatus reprimeret, qui pharisaico spiritu ducti salutem solis Iudaeis per Christum allatam esse docebant, neque ullam eius partem gentilibus concedebant, nisi per Iudaismum ad Christum accederent et cum doctrina evangelica circumcisionem Legemque mosaicam reciperent. Cuius continuae luctae multa et insignia documenta, quae in epistolis paulinis reperimus, dubitare nos non sinunt, quin Apostolus etiam in catechesibus suis, ut novos Christianos contra iudaizantium errores praemuniret, eis thesin illam praecipue explanaverit et demonstraverit, quae epistolae ad Romanos argumentum est, Christum videlicet omnibus hominibus sine ulla distinctione, Iudaeis et gentibus, salutem attulisse omnibusque nunc aequaliter per fidem evangelicam patere viam ad vitam aeternam. Itaque S. Lucas, si iuxta Patrum testimonia, ut ecclesias a Paulo fundatas in fide accepta confirmaret, Evangelium suum composuit, id sibi proponere debuit, ut praedicationibus paulinis collectis ostenderet, *Iesum esse « salutare, quod paravit Deus ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis suae Israel »; quodsi maior vero Iudaeorum pars salutare sibi quoque paratum reiecerit neque gloriam gentis suae agnoscat, id ipsis, solis esse attribuendum, quoniam praeiudiciis suis occaecati effecerint ut sibi iam non esset in resurrectionem, sed in ruinam.*

Quam thesin ut demonstraret, rebus gestis sermonibusque Domini a SS. Matthaeo et Marco iam traditis non pauca nova addidit, quibus infinita misericordia, qua Iesus omnes homines amplexus est, clarius manifestaretur : hac quoque in re magistrum suum Paulum imitatus et secutus, qui prae reliquis Apostolis divitiis bonitatis et patientiae et longanimitatis divinae celebratis omnes ad poenitentiam vocavit. Ceterum *ordinem chronologicum* accurate sequitur.

Evangelium suum S. Lucas edidit circa a. 63.

PROOEMIO (1,1-4) S. Lucas, qua re ad Evangelium scribendum adductus sit et quam in eo componendo rationem tenuerit quemque finem spectaverit, paucis explicat.

I. PARS PRIMA INTRODUCTORIA (1,5-4,13) *iis quae publicam Domini vitam praecesserunt narratis Iudaeos conversos quidem adducit, ut Messiam sibi promissum, Ethnicochristianos autem ut Filium Dei ad suam quoque salutem ablegatum in Iesu Nazarethano agnoscant.*

1. — *Historia infantiae Domini* (1,5-2,52).

1.) *Conceptio praecursoris Domini et Domini ipsius* (1,5-56).

a.) Zachariae sacerdoti incensum in templo offerenti per Gabrielem angelum filius ex Elisabeth, uxore sua sterili, promittitur, qui magnus coram Domino et ex utero matris Spiritu S. repletus « in spiritu et virtute Eliae » ante Messiam praecessurus sit (1,5-25).

b.) Sex mensibus postea idem angelus in civitatem Nazareth missus Virgini Mariae annuntiat, ex ea per Spiritus S. supervenientis virtutem nasciturum Iesum, Filium Dei, qui throno Davidis patris sui accepto « regnaturus sit in domo Iacob in aeternum » (1,26-38).

c.) Maria autem visitat Elisabeth et ab ea mater Domini salutata (1,39-45) Dei laudes cantico celebrat

gratias agens de gratia sibi collata (1,46-50),

agendi rationem Dei, qui reiectis potentibus humiles exaltet, admirans (1,51-53),

divinamque fidelitatem praedicans ob promissiones impletas (1,54-56).

2.) *Nativitas praecursoris et Domini ipsius* (1,57-2,20).

a.) Elisabeth ergo filium promissum peperit, qui iuxta angeli monitum Ioannes appellatus est (1,57-66)

et Zacharias « repletus Spiritu S. et prophetans » cantico Deo gratias agit de adventu Messiae, qui ex davidica domo exortus iuxta prophetarum vaticinia populum suum sit redemturus (1,67-75),

filiumque neonatum alloquens munus officiumque praecursoris ei destinatum adumbrat (1,76-80).

b.) Porro Maria edicto Augusti obsecuta cum Ioseph sponso suo in Bethlehem civitatem David profecta est (2,1-5) ibique, quum eis locus non esset in diversorio, in stabulo quodam filium suum peperit (2,1-7);

neonatus autem a pastoribus, quibus « Salvatorem, Christum Dominum » natum esse per angelos iubilantes annuntiatur (2,8-14), in praesepio adoratur (2,15-20).

3.) *Pueritia Iesu* (2,21-52).

a.) Secundum Legem octavo die circumcisus et Iesus vocatus, quadragesimo die in templo praesentatus, a Simeone sene puer salutatur « salutare omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, gloria plebis Israel », ab Anna prophetissa autem annuntiatur « omnibus, qui exspectabant redemtionem Israel » (2,21-40).

b.) Duodennis cum parentibus suis Ierosolyma ad pascha celebrandum profectus admirationem excitat Scribarum, et occultam suam divinitatem aliquatenus manifestat (2,41-52).

2. — *Proxima praeparatio Domini ad publicum ministerium exercendum* (3,1-4,13).

a.) Anno 15. Tiberii Caesaris Ioannes B., quum Iudaeis atque ethnicis poenitentiam praedicare coepisset (3,1-14), Christus esse creditur, at se non esse nisi eius praecursorem profitetur (3,15-20); Iesus autem, quum a Ioanne baptizaretur, voce coelesti Filius Dei dilectus declaratur (3,21. 22).

b.) Qua occasione Evangelista Iesu genealogiam per Davidem et Abraham ad Adam usque perducit, ut eum novum totius generis humani caput esse doceat (3,23-38).

c.) « Plenus Spiritu S. regressus a Iordane » in deserto post ieiunium suum Iesus devicit diabolum tentantem (4,1-13).

II. ALTERA PARS (4,14-9,50) *eorum narratione, quae Iesus in Galilaea egit et docuit, eum sese iam tum omnium hominum salvatorem revelasse probat.*

1. — *Primo anno ministerii galilaici* (4,14-5,39).

1.) *In Galilaea Iesus ministerium inchoat praedicatione in synagoga nazarethana* (4,14-30).

a.) Vaticinio *Is.* 61,1 explicato popularibus sese esse Messiam per prophetas promissum demonstrat (4,14-21);

b.) at quum cives eius in eo merum hominem viderent, Dominus antiquitus quoque Prophetas a populo suo reiectos fidem invenisse inter ethnicos monens, Evangelium suum a Iudaeis quidem reiectum iri, sed ethnicos ad salutem esse adducturum significavit (4,22-27).

c.) Qua praedictione irati Nazarethani eum occidere frustra conati sunt (4,28-30).

2.) *In Capharnaum deinde profectus Dominus multis miraculis admirationem populi excitat, sed suo erga peccatores amore et traditionum pharisaicarum reiectione odium Pharisaeorum sibi attrahit* (4,31-5,39).

a.) In synagoga capharnaumitana daemonem eiicit, qui eum

profitetur « Sanctum Dei » (4,31-37), atque in Petri domo eius socrum, vespere autem multos infirmos et daemoniacos sanat (4,38-41).

b.) Civitate Capharnaum relicta, praedicat in synagogis Galilaeae (4,42-44); post miraculosam piscationem vocat Petrum eiusque socios (5,1-11), leprosum mundat, et undique conveniunt turbae, ut eum audiant et ab infirmitatibus suis liberentur (5,12-16).

c.) Porro in civitatem reversus paralytico, cui peccata remisit, sanato divinam quidem suam auctoritatem potentiamque coram Pharisaeis probavit (5,17-26);

d.) nihilominus statim post publicani Levi (Matthaei) vocationem (5,27. 28) sese contra eorum accusationes defendere debuit, quod cum publicanis manducasset (5,29-32), quodque eius discipuli non ieiunarent ad instar discipulorum Ioannis B. et Pharisaeorum (5,33-39).

2. — *Secundo anno ministerii galilaici* (6,1-9,10).

1.) *Prima novae Ecclesiae initia* (6,1-49).

a.) Pharisaei discipulos Domini violati sabbati accusant, quia eo die spicas vulserint (6,1-5) et ad maiorem iram excitantur, quando Dominus sabbato, eorum invidia non obstante, manum aridam sanavit (6,6-11).

b.) Quum autem hac ratione Pharisaei sese ineptos duces populi exhibuissent, Dominus electione Apostolorum primum Ecclesiae fundamentum iecit (6,12-16)

c.) eiusque indolem oratione in campestri loco coram turbis et discipulis habita adumbravit (6,17-49),

α. — animorum dispositionem describens in iis requisitam, qui ad novum regnum pertinere velint (6,17-26),

β. — iisque officia caritatis inculcans erga proximos omnes exhibendae (6,27-38),

γ. — atque similitudine de duce caeco proposita omnes exhortans, ut Pharisaeis relictis sua praecepta sequantur (6,39-49).

2.) *Misericordia porro sua erga omnes hominum classes neminem, qui bonae sit voluntatis, a suo regno excludi ostendit* (7,1-50).

a.) Ethnici centurionis servum sanat (7,1-10) et pauperis viduae filium mortuum resuscitat; quapropter velut magnus propheta in tota regione celebratur (7,11-17).

b.) Multis autem miraculis eius auditis Ioannes B. discipulos mittit, qui eum interrogent, sitne Messias; quibus respondet ad sua miracula et suam inter pauperes praedicationem attentionem eorum convertens (7,18-23).

c.) Hinc occasionem arripit laudandi Ioannis, cuius baptisma publicani receperant, respuerant Pharisaei, et vituperandae Pharisaeorum contradictionis, qui nec Ioannis severa vivendi forma nec sua ipsius misericordia ad poenitentiam adduci potuerunt (7,24-35);

d.) nihilominus a Pharisaeo ad prandium invitatus cum eo accumbit ibique mulieri peccatrici, quam Pharisaeus sua societate indignam iudicavit, ob magnam eius fidem et caritatem peccata remisit (7,36-50).

3.) *Cum Apostolis Galilaeam peragrans eos ad primam missionem praeparat et dimittit* (8,1-9,10).

a.) Enumeratis illis, qui Dominum in itinere comitari solebant (8,1-3), Evangelista narrat

b.) Dominum proposuisse turbis et explicasse discipulis parabolam de semine, quod agrum praeparatum requirat, ut fructum afferre possit (8,4-18);

c.) quum mater et fratres eius venissent, ut eum viderent, eum docuisse, quinam vere essent sui consanguinei (8,19-21);

d.) magnis miraculis, sedata tempestate (8,22-25), liberato daemoniaco in terra Gerasenorum (8,26-39), sanata haemorrhoissa et resuscitata filia Iairi, eum confirmasse fidem discipulorum (8,40-56);

e.) demum eum illos ad regnum suum praedicandum, potestate miraculorum illis collata, misisse illosque, postquam per castella praedicassent et miraculis eius nomine patratis ipsum Herodem in stuporem et terrorem iniecissent, ad eum esse reversos (9,1-9).

3. — *Tertio anno ministerii galilaici Dominus Apostolos ad futurum eorum munus accuratius praeparare et instituere incipit* (9, 10-50).

a.) Cum Apostolis ex sua missione reducibus in locum desertum secedens eos ibi magno miraculo, pane per eorum manus multiplicato et turbis distributo (9,10-17) ad fidem in suam divinitatem aperte profitendam adducit (9,18-20).

b.) Ita autem praeparatis prima vice passionem suam praedicit eosque ad abnegationem et suam sequelam exhortatur (9,21-27).

c.) Ne vero hac praedictione perturbentur, ante oculos trium Apostolorum transfiguratur (9,28-36) omniumque fidem confortat eiectione daemonis quem ipsi eiicere nequiverant (9, 37-43).

d.) Iterum deinde eis passionem praedicit et humilitatem commendat (9,44-50).

III. Pars III. (9,51-19,27) *de variis itineribus Domini tertio ministerii sui anno in Ierusalem susceptis agit, in quibus Apostolorum ad futurum eorum munus praeparationem accuratiorem continuans simul universalitatem salutis a se allatae clarius manifestat.*

1. — *Iter ad festum tabernaculorum* (9,51-11,54).

1.) *Dominus cum Apostolis in itinere usque Bethaniam* (9,51-10,37).

a.) Volens per Samariam transire a Samaritanis repulsus, quum a discipulis ut illos puniret rogaretur, se ad omnes salvandos venisse docet (9,51-56);

b.) illis autem qui se sequi velint, necessariam esse monet paupertatem et plenam abdicationem omnium curarum temporalium (9,57-62).

c.) Electos septuaginta discipulos praeparat ad missionem, reducesque, quum de felici successu gloriarentur, ad humilitatem exhortatur (10,1-24).

d.) Proposita parabola de bono Samaritano omnes homines velut proximos nostros esse amandos docet, ac proin differentiam non esse inter Iudaeos et alios (10,25-37).

2.) *Dominus cum discipulis Bethaniae et Ierosolymis* (10,38-11,54).

a.) (Bethaniae) apud Mariam et Martham deversatus unum prae ceteris necessarium esse asserit, dilectionem nimirum Dei, qua curis superfluis neglectis homo se totum Deo tradit (10,38-42).

b.) Discipulis deinde verum orandi modum orationisque efficaciam explicat (11,1-13).

c.) (Ierosolymis) Pharisaeos, a quibus daemonia in Beelzebub eiicere dicebatur, refutat (11,14-26), atque beatum praedicat omnem, qui verbum Dei auditum custodiverit (11,27. 28).

Porro signum ab eo quaerentibus aliud non datum iri proclamat nisi signum Ionae, sed ita ut contrarium prorsus effectum relate ad Iudaeos istius generationis producturum sit (11,29-36).

Pharisaeos deinde, quum de traditionibus eorum non observatis argueretur, Legisque peritos gravissime increpat (11, 37-52), quare illi eum ad silentium redigere conantur et aliquid de ore eius capere quaerunt, ut eum accusent (11,53.54).

2. — *Domini a scenopegia usque ad encaenia peregrinationes, in quibus discipulos ad vitam perfectiorem apostolicamque instituere pergit* (12,1-13,9).

a.) Vitandam monet hypocrisin pharisaicam, atque aperte sine ullo hominum timore Filium hominis coram hominibus esse confitendum (12,1-12).

b.) Rogatus ab aliquo de hereditatis lite parabolam de divite su-

bita morte abrepto turbis proponit, ut eas ab omni avaritia retrahat (12,13-21),

discipulos vero docet, vitandas esse omnes curas saeculares, quaerendum solum regnum coeleste (12,22-34) eosque semper, quum nesciant, quando Filius hominis venturus sit, debere paratos esse (12,35-40).

Interroganti autem Petro, num haec solis discipulis sint dicta, proposita parabola de servo fideli ita respondet, ut haec ad eos, qui ipsum sequuntur, proxime dicta esse videant (12,41-53).

c.) Quod ut clarius appareat, discipulis credentibus opponuntur Iudaei infideles. Iudaei enim, etsi tempestatis, serenane an turbida futura sit, signa cognoscant, nunc esse tempus salutis non vident (12,54-59); quare eandem sortem, si poenitentiam non agant, habebunt, quam ficus sterilis (13,1-9).

3. — *Peregrinationes post encaenia in Peraea, in quibus contra Pharisaeos plerumque disputans vocationem gentium explanatius clariusque annuntiat* (13,10-17,10).

a.) Quum sabbato paralyticam sanasset, iratos Pharisaeos vituperat, quod ob minutas suas traditiones graviora caritatis officia negligant (13,10-17);

de gloriosis autem eius rebus gestis gaudenti populo parabolis praedicit fore, ut non obstantibus Pharisaeorum inimicitiis regnum Dei quidem sicut granum sinapis crescat totumque mundum occupet et sicut fermentum mundum permutet (13,18-22), ipsi tamen, nisi poenitentia acta per angustam portam intrare contendant, ab eo excludantur et gentes ipsorum locum sibi vindicent (13,23-30). Vae igitur Ierosolymis, quae occidit prophetas (13,31-35)!

b.) In Pharisaei cuiusdam domum invitatus sabbato sanat hydropicum; invitatos, quos vidit primos accubitus eligentes, exhortatur ad humilitatem et amorem proximi, quibus virtutibus praemium aeternum obtineatur (14,1-14);

qua occasione, quum aliquis beatos praedicasset illos, qui hoc praemium accepturi essent, Dominus parabolam proponit de coena, ad quam invitati (Iudaei) venire noluerint, quare pauperes et debiles (ethnici) ad eam sint vocati (14,15-24).

Rationem vero, cur invitati venire noluerint, explicat turbis; Dominum nimirum sequi (ac proin ad coenam venire) nemo potest, nisi qui omnibus propter Dominum renuntiat et sese abnegat; quod quum Iudaei, quibus crux Christi est scandalum, facere recusent, tamquam sal insipidum proiicientur (14,25-35).

c.) Pharisaeis de eius cum publicanis et peccatoribus conversatione murmurantibus proponit parabolas de ove perdita (15, 1-7), de drachma amissa (15,8-10), de filio prodigo (15,11-32), quae omnes simul etiam futuram vocationem gentium significant.

d.) Parabolam de villico iniquo, qui domini sui divitiis utitur, ut sibi amicos faciat, Dominus proponit, ut discipulos moneat, eos quoque opibus uti debere, ut eleemosynis sibi amicum Deum faciant (16,1-13);

quam doctrinam irridentes Pharisaei avari increpantur a Domino, quia se iustos putent, dum tamen iniustitiam suam ipsi demonstrent non intrantes in regnum Dei, quod Lex et Prophetae praeparaverunt (16,14-18).

Quae sors autem eos expectet, docet historia de divitis et de pauperis Lázari fine diverso (16,19-31).

e.) Discipulos de Pharisaeorum irrisione scandalizatos monet, scandala necessario venire, eos autem offensoribus, si poenitentiam agant, semper dare veniam debere (17,1-4).

Quod quum homini naturali difficile sit, rogant discipuli, ut fides et fiducia sua augeatur, qua sola id possibile redditur. Quod quam verum sit, demonstrat parabola, quae hominem sibi quidquam boni adscribere vetat (17,5-10).

4. — *Domini iter ultimum, in quo iterum discipulos ad vitam perfectiorem instituit, sed simul etiam gentium vocationem innuit* (17, 11-19,27).

a.) Ex decem leprosis, quos Dominus mundavit, unus Samaritanus revertitur ad gratias ei agendas; quo facto iam indicatur, maiorem praeparationem Dominum apud alienigenas, quam apud Iudaeos, invenisse (17,11-19).

b.) Interrogatus a Pharisaeo, quando venturum sit regnum Dei, illud iam in eorum medio adesse respondet (17,20-21) ac dein ad discipulos conversus eos ad vigilantiam exhortatur, ne secundus Domini adventus eos imparatos inventurus sit (17, 22-37).

c.) Ut autem parati sint, continuo debent orare; continuae vero orationis efficaciam parabola de iudice iniquo illustrat (18, 1-8).

d.) Praeter orationem porro requiritur humilitas, quae qualis esse debeat, parabola de superbo Pharisaeo et humili publicano ostendit simul gentium vocationem praesagiens (18,9-14). Eandem autem humilitatem commendat Dominus infantium exemplo proposito (18,15-17).

e.) Humilitati praeterea adiungit commendationem voluntariae

paupertatis, cui ingens praemium reservatum esse proclamat (18,18-30).

f.) Postquam passionem suam proxime instantem tertia vice praedixit, Ierichunte duobus factis clarissime docet, se ad omnes salvandos venisse; caecum, a quo suum utpote Messiae auxilium imploratur, propter eius fidem sanat (18,31-43), et publicanum Zachaeum etiam in numerum filiorum Abrahae recipit, quia filius hominis ad id venerit, ut salvum faciat quidquid perierit (19,1-10).

g.) Demum, quum in eo esset, ut ad Patrem iret ad recipiendum regnum suum, proponit parabolam de rege proficiscente et servis suis divitias relinquente, quibus negotientur. Qua parabola docet, quid eos exspectet, quos in iudicio autfideles suos servos, aut pigros, aut inimicos sit inventurus (19, 11-27).

IV. Quarta pars (19,28-24,53), *de Domini passione et glorificatione, similiter eum Messiam Iudaeis promissum atque omnium hominum Salvatorem esse demonstrat.*

1. — *De praeparatione ad passionem* (19,28-22,34).

1.) *Quae Dominus ultimis ante passionem diebus egerit et docuerit* (19,28-21,36).

a.) Sollemniter templum ingreditur (19,28-48).

α. — Asino per Apostolos accersito insidens omnibus plaudentibus velut rex ingreditur (19,28-38);

β. — ipse autem super civitatem flet, quae quia omnes gratias oblatas respuat, interitui sit destinata (19,39-44);

γ. — templum vero ingressus sese dominum illius probat eiectis profanatoribus (19,45-48).

b.) Ultimis suis disputationibus infideles populi principes concidit (20,1-21,4).

α. — Sacerdotes qua agat potestate interrogantes una interrogatione de Ioannis B. baptismo, unde sit, ad silentium redigit (20,1-8) et parabola de iniustis vinitoribus narrata eis iudicium annuntiat (20,9-18).

β. — Qua de causa irati eum sermone capere volunt; sed primum Pharisaei confunduntur, quum interrogent, num Caesari tributum solvere liceat (20,19-26); deinde Sadducaeis difficultatem de resurrectione moventibus ad silentium redactis (20,27-36) resurrectionem probat approbantibus Scribis (20,37-40);

γ. — unica demum sua interrogatione, quomodo David Christum Dominum suum appellare potuerit, disputationibus finem imponit atque populum, ut sibi a superbis

Scribis caveat, monens (20,41-47) eis pauperculam viduam praefert (21,1-4).

c.) Discipulos de urbis templi eversione et altero suo adventu edocet (21,5-36).

α. — Discipulis de tempore eversionis templi et de signo, quo eius initium cognoscatur, interrogantibus (21,5-7)

β. — Dominus primum in genere tribulationes praedicit, quae iis sint subeundae, sed in quibus auxilium eis non sit defuturum (21,8-19)

γ. — deinde futura sanctae civitatis destructione praedicta (21,20-24)

δ. — ad secundi adventus sui signa praevia transiens (21,25-33) eos ad vigilantiam exhortatur (21,34-36).

2.) *Quae passionem immediate praecesserint* (21,37-22,34).

a.) Ad passionis historiam transiturus Evangelista nobis exhibet una ex parte populum, qui Dominum docentem avide audit (21,37. 38),

b.) altera ex parte principes, qui cum eius traditore pactum ineunt (22,1-6),

c.) tertia ex parte Dominum ipsum, qui in passionis suae memoriam coenam Novae Legis instituit (22,7-23),

discipulis, postquam eos ad humilitatem exhortatus est, primum locum in suo regno promittit (22,24-30),

Petro, utpote capiti, infallibilitatem, sed, ne superbiat, etiam trinam negationem praedicit (22,31-34).

2. — *Domini passio* (22,35-23,56).

1.) *Dominus in horto comprehenditur et ad domum summi sacerdotis adducitur* (22,35-62).

a.) Discipulos exhortatus, ut ad pugnam sint parati (22,35-38), cum eis exit in montem Olivarum, ubi factus in agonia et sudore suffusus sanguineo confortatur ab angelo, et discipulos ut orent admonet (22,39-46).

b.) Ab adveniente turba capitur quidem Dominus, attamen sanatione auriculae servi ostendit, se non esse eorum armis victum, sed libere sese eis tradere, quia iam nunc sit hora eorum et potestas tenebrarum (22,47-53).

c.) Ad domum summi sacerdotis abductus ter a Petro negatur, sed etiam in passione sua misericordiam suam ostendit erga infirmum discipulum (22,54-62).

2.) *Dominus condemnatur et a populo suo reiicitur* (22,63-23,25).

a.) Velut pseudopropheta a satellitibus illuditur (22,63-65), tamquam pseudochristus a synedrio populi traducitur (22, 66-71); at Pilato traditus regem sese profitetur (23,1-4);

b.) Porro a Pilato innocens declaratus ad Herodem mittitur, qui etiam nullam culpam in eo invenit, sed eum illudit (23, 5-12),

c.) atque demum Pilato redditus nihilominus a populo Barabbae postponitur et ad crucem postulatur (23,13-23), cui postulationi cedit Pilatus (23,24. 25).

3.) *Dominus moriens suam misericordiam et potestatem revelat* (23, 26-56).

a.) Dum ad mortem ducitur, verbis suis ad mulieres ierosolymitanas sese manifestat futurum iudicem (23,26-31);

b.) crucifixus misericordiam suam revelat orans pro crucifixoribus suis (23,32-34), et dum ab omnibus illuditur, latroni poenitenti paradisum promittit (23,35-43);

c.) magna quoque signa fiunt in eius morte, quibus permoti centurio et turbae eum tamquam iustum agnoscunt, testibus nonnullis ex Iesu sectatoribus (23,44-49);

d.) mortuo demum debitus exhibetur honor a Ioseph, viro nobili ex Arimathaea, et piis mulieribus (23,50-56).

3. — *Domini glorificatio* (24,1-53).

a.) Resurrectio eius probatur testimonio mulierum (24,1-12) et apparitionibus, quae factae sunt discipulis in Emmaus euntibus (24,13-32), Petro (24,33-35), undecim Apostolis (24, 36-43).

b.) Apostolis confert missionem, ut *ab Ierosolymis incipientes* omnibus gentibus praedicent poenitentiam (24,44-49).

c.) Post quae ascendit in coelum adorantibus et gaudentibus discipulis (24,50-53).

4. — *Sanctum Iesu Christi Evangelium secundum Ioannem.*

« *Ioannes Apostolus,* quem Iesus amavit plurimum, novissimus omnium scripsit Evangelium, rogatus ab Asiae episcopis, adversus Cerinthum aliosque haereticos et maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse; unde et compulsus est divinam eius nativitatem edicere « (*S. Hieron.*). Quibus verbis destinatio finisque primarius quarti Evangelii nobis declaratur. Tres videlicet priores Evangelistae catechumenos recenter ad fidem adductos evangelicis suis narrationibus in fide accepta confirmare sibi proposuerunt; quartus vero librum suum *ecclesiis iam adultis Asiae* destinavit, ut eas contra errores ex earum medio exortos praemuniret. Quo ex diverso fine facile intelligitur, cur S. Ioannes diversam quoque argumentandi disserendique methodum adhibuerit; nam priores parvulis in Christo lac dederunt, ultimus adultis solidam escam; illi catechumenos ad Christum adduxerunt, hic adductos in intima Christi mysteria introduxit veraque scientia (γνώσει) a falsa haereticorum Gnosi defendit. Quoniam ergo primi haeretici omnes, etsi inter se quam maxime dissentirent, in neganda Iesu divinitate consenserunt, ultimus Evangelista hanc doctrinam fidelibus ante omnia inculcare debuit, ac revera per totum suum librum in eo versatur, *ut Iesum esse verum et proprium Dei Filium ostendat, qui caro factus habitavit in nobis gloriamque suam manifestavit, et fidem in Iesum Dei Filium necessariam praedicet ad vitam consequendam.*

Quam thesin non tam vaticiniis impletis aut miraculis, quam verbis Domini professionibusque fidei Apostolorum aliorumque demonstrare voluit, atque argumenta illa elegit, quae in prioribus Evangeliis desiderari iudicavit; certa enim est Patrum traditio, quae libri indole confirmatur, S. Ioannem tria priora Evangelia cognovisse lectoribusque suis cognita supposuisse. In narrationibus autem suis disponendis eum ad temporis rationem diligenter attendisse festorumque ordinem secutum esse ex toto libro apparet; simul tamen ex eodem elucet, eum ex singulis vitae dominicae periodis tam sapienter narrandas elegisse, ut cum chronologico realem quendam coniungere posset. Idea scilicet, qua omnes narrationes ad unitatem rediguntur, est *manifestatio gloriae divinae in Iesu Christo, Deo et homine;* atqui hanc ideam in prologo (1, 1-18) dogmatice propositam duabus libri partibus historice ita probat et explanat, ut trinas sectiones inter se quasi consonas distinguat; prima enim utriusque partis sectio manifestationem gloriae describit fide acceptam ab iis qui bonae erant voluntatis; altera eam ad adversariis impugnatam et reiectam ostendit; tertia eam de obstaculis omnibus splendide triumphantem exhibet.

Scriptum est quartum Evangelium circa a. 97.

I. Prologus (1,1-18) *dogmaticum quoddam fundamentum totius Evangelii est.*

1.) Verbum quod aeternum est et Deo consubstantiale, quamvis per creationem et supranaturalem revelationem sese manifestasset, ab hominibus peccato obnoxiis non cognoscebatur (1,1-5),

2.) atque ne tunc quidem, quum a praecursore annuntiatum in mundum, immo in propria venisset, a suis recipiebatur, illis vero, a quibus recipiebatur, summam tribuit dignitatem (1,6-13).

3.) Et tamen Verbum caro factum et inter homines habitans *gloriam suam manifestavit gratia et veritate, quam distribuit* (14-18).

II. Pars prima (1,19-12,50) *manifestationem gloriae divinae in vita publica Iesu Christi describit.*

1. — *Manifestatio haec ab illis, qui bonae sunt voluntatis, fide recipitur, licet non ab omnibus fide perfecta et sufficiente* (1,19-4,54).

1.) *Fide perfecta recipitur* (1,19-2,12)

a.) ab Ioanne B., qui gloriam hanc, quam divinitus cognoverat, coram legatis synedrii ierosolymitani (1,19-28) et apertissime coram discipulis suis profitetur (1,29-34);

b.) a primis Domini discipulis,

qui partim altero Baptistae testimonio ad eum adducti vix cognitum proclamant Messiam (1,35-42),

partim ab ipso vocati, radio omniscientiae manifestato, eum Filium Dei profitentur (1,43-51),

atque prima omnipotentiae manifestatione (miraculo in nuptiis Canae) in fide confirmantur (2,1-12).

2.) *Fidem quidem, sed non perfectam invenit* (2,13-3,36)

a.) Ierosolymis, quum in *primo paschate* coram synedrio et toto populo gloriam suam manifestavit purificata domo Patris sui (2,13-17); namque

α. — alii signum postulant, quo cognoscant, qua potestate agat; quibus non promittitur nisi signum futurae resurrectionis, cui etiam fidem non adhibituri sint (2,18-22);

alii signa non petentes accipiunt neque tamen iis ad plenam fidem perducuntur, quapropter Dominus se illis credere non vult (2,23-25).

β. — Nicodemo demum, quamvis eius fides sit debilis et timida, sese credit; ei enim necessitatem renascentiae spiritualis praedicat (3,1-9), eidemque, ut illam possibilem esse cognoscat, aperte divinitatem suam revelat et necessitatem fidei in ipsum, tamquam in Filium Dei, inculcat (3,10-21).

b.) Item in Iudaea, ubi Iesus per aliquot menses baptizabat, fidem quidem inveniebat, quum « omnes venirent ad eum »

(3,22-24), at non perfectam, quum ipsi Ioannis B. discipuli a magistro suo testimonio novo de divinitate Domini atque de fidei in illum necessitate essent convincendi (3,25-36).

3.) *Plenam hanc fidem autem iterum invenit in Samaria et apud Galilaeos* (4,1-54).

a.) In Samaria (4,1-42).

α. —Dominus enim, quum populi ad eum concursus insidias Pharisaeorum provocasset, relicta Iudaea per Samariam profectus est in Galilaeam (4,1-4);

in itinere mulierem samaritanam omniscientia sua paullatim ad fidem adducit (4,5-15) eidemque sese Messiam esse revelat (4,16-26).

β. — Dum mulier contribules suos ad Iesum advocat, ipse discipulis suis magnam messem, quam aliquando (reiectis Iudaeis, ex ethnicis) collecturi sint, praedicit (4,27-38).

γ. — Ex Samaritanis autem multi iam non propter verbum mulieris, sed propter sermones Domini in eum crediderunt tamquam in Salvatorem mundi (4,39-42).

b.) Similem fidem invenit apud Galilaeos, qui quum ad festum paschatis venissent, eius signa viderant (4,43-45);

regulus quoque capharnaumitanus secundo miraculo, quod Dominus in Cana Galilaeae patravit viso, suo ipsius nimirum filio sanato, cum tota domo sua credidit (4,46-54).

2. — *Manifestatio gloriae Christi crescente semper cum ardore impugnatur et reiicitur a Pharisaeis, donec tandem eum occidendum decernerent* (5,1-11,56).

1.) *In secundo paschate aperte prorumpit infidelitas illa Iudaeorum ierosolymitanorum, quae in primo iam aliquatenus sese ostenderat* (5,1-47).

a.) Iesus, quando sabbato aegrotum, qui triginta octo annos habuerat in infirmitate, solo verbo suo sanavit (5,1-9), a Iudaeis accusatur, quod sabbati legem transgressus sit; quando ad sese defendendum ad Patrem suum provocavit, qui etiam continuo operatur, maioris criminis reus habetur, utpote qui aequalem se faciat Deo (5,10-18).

b.) Qua occasione usus Dominus aequalitatem suam cum Patre probat (5,19-47).

α. — Suam enim operationem aeque ac vitam suam se a Patre habere eandemque ac Patris esse clare et aperte profitetur (5,19-30);

β. — suoque ipsius testimonio testimonia adiungit Ioannis B. (5,31-35), Patris sui (5,36-38), atque Moysi quoque, in

cuius libris Iudaei putent vitam se habere, sed qui eos accusaturus sit, quoniam nihilominus suis verbis fidem non adhibuerint (5,39-47).

2.) *In tertio paschate etiam inter discipulos eius galilaicos infidelitas sese manifestat* (6,1-72).

a.) Gloriam suam Dominus duobus miraculis manifestaverat, quae apta videbantur ad omnium fidem provocandam, multiplicatione videlicet panum (6,1-15) et ambulatione supra mare (6,16-21).

b.) Iudaei autem, qui eum Capharnaum secuti erant, maiora signa, ut in eum credant, postulant atque praesertim panem de coelo, sicut Moyses dederat in deserto (6,22-31 .

α. — Quibus ita respondet, ut praeprimis se ipsum illis tamquam panem verum vitae per fidem manducandum proponat (6,32-40);

β. — quae quum non intelligerent (6,41.42), altius animos eorum elevans sese ipsum, carnem suam et sanguinem suum, tamquam verum cibum et potum promittit, quocum manna non possit comparari (6,43-60).

c.) Carnalibus vero Iudaeis durus visus est hic sermo, et multi quoque discipuli eius abierunt retro (6,61-67);

duodecim autem Apostoli crediderunt et confessi sunt, quia ipse esset Christus, Filius Dei. Attamen unus quoque ex illis veram fidem non habuit (6,68-72).

3.) *Eodem anno in scenopegia Iudaeorum ierosolymitanorum infidelitas Dominum apertis inimicitiis persequitur* (7,1-10,21).

a.) Odio Iudaeorum non obstante Dominus, postquam per annum et dimidium fere in Galilaea praedicavit, iterum ad festum Ierosolymis celebrandum proficiscitur, sed non manifeste, quemadmodum fratres eius voluerant, sed occulte, ne odium adversariorum suorum magis provocet (7,1-13).

b.) *Mediante festo* ascendit in templum,

α. — ibique et divinam suam missionem proclamat, quae tota sua agendi ratione confirmetur (7,14-18), et accusationem, quod sabbato aegrotum sanaverit, iniustam esse ostendit (7,19-24).

β. — Inter fidem et infidelitatem fluctuant auditorum animi (7,25-31); cui incertitudini ut finem faciant, Pharisaei ministros mittunt, qui eum apprehendant; Iesus autem morte sua praedicta abiit e templo (7,32-36).

c.) *Ultimo festi die* Dominus se proclamat fontem vitae (7,37-39); turbae incertae haerent (7,40-43), Pharisaeorum ministri eum apprehendere non audent, in synedrio ipso Nicodemus eum defendit (7,44-53).

d.) *Postridie,* accusatoribus adulterae confusis (8,1-11),

α. — Dominus, quum se lumen mundi proclamasset, testimonium suum verax esse ostendit (8,12-20).

β. — Secuta est vehemens altercatio. Dominus mortem suam, quam ab adversariis suis passurus sit, praedicit, simul eos in peccatis esse morituros annuntians (8,21-29);

ad sanguinem autem suum abrahamiticum provocantes monet, verum eorum patrem, quum veritati cum obstinatione resistant, esse diabolum (8,30-47).

γ. — Ad iram inflammati adversarii eum daemonium habere blasphemant; contra quam blasphemiam quum Dominus sese defendisset, quin etiam sese Abrahamo maiorem et priorem proclamasset, Pharisaei exacerbati lapidare eum volunt (8,48-59).

e.) *In sequente sabbato* nova gloriae Christi manifestatione Pharisaei ira incenduntur (9,1-10,21).

α. — Caeco sanato Dominus gloriam suam ita manifestat, ut omnes stupeant (9,1-12),

β. — at apertissimum miraculum, quamvis illud negare non possint, agnoscere nolunt Pharisaei (9,13-23), sed caeca ira abrepti sanatum eiiciunt ex synagoga (9,24-34).

γ. — Eiectum Dominus recipit simul docens, Pharisaeos in voluntaria et culpabili caecitate degere (9,35-41) eosque esse malos pastores (10,1-6).

δ. — Qua occasione adducitur, ut sese proclamet bonum pastorem (10,7-15), ad cuius ovile etiam aliae pertineant oves (sc. gentiles), quae vocem ipsius sint auditurae, et pro quibus animam liber sit positurus (10,16-18).

ε. — Qua de doctrina dissensio exorta est inter eius auditores (10,19-21).

4.) *Duobus mensibus postea in encaeniis Iudaei eum lapidare volunt* (10,22-42).

a.) Dominus directe interrogatus a Pharisaeis, num sit Christus, suam cum Patre aequalitatem asserit (10,22-30);

b.) quum eum ideo lapidare vellent, ad opera sua provocat, quae sint eadem atque opera Patris (10,31-38).

c.) Insidiis autem eorum se subtrahit in Peraeam secedens, quo multi ad eum veniunt credentes in eum (10,39-42).

5.) *Resuscitatione Lazari demum adducuntur Pharisaei, ut Dominum occidere* constituant (11,1-56).

a.) Ex Peraea Bethaniam ab aegroti Lazari sororibus advocatus non ivit, nisi postquam Lazarus iam mortuus est (11,1-7); magno enim signo fidem discipulorum suorum voluit confir-

mare (11,8-15), sese revelare « resurrectionem et vitam » (11, 16-27), gloriamque Dei manifestare voluit (11,28-40).

b.) In divinae igitur suae missionis demonstrationem quatriduanum mortuum ex sepulcro ad vitam revocat, adstantesque quidem in eum credunt (11,41-45);

c.) at aliquorum fides mox exaruit; itaque synedrio miraculum illud denuntiarunt, atque Pharisaei et Pontifices, quum illud negari non posset, instigante Caipha Christum occidere statuerunt (11,46-53). Quia autem Iesus in civitatem Ephrem se receperat, Pontifices cum Pharisaeis mandatum dederunt, ut si quis sciret, ubi esset, id indicaret (11,54-56).

3. — *Antequam autem hoc consilium exsequi potuerunt, Pater effecit, ut manifestatio gloriae Christi triumphum utique nondum completum atque dumtaxat praesagium completae victoriae mox secuturae de adversariis ageret* (12,1-36).

1.) *Sex diebus ante quartum pascha* Dominus Bethaniam reversus pretioso unguento ungitur a Maria, approbantibus omnibus uno traditore excepto (12,1-8);

multi autem Iudaei, qui eum ibi esse audierunt, veniunt ad eum et credunt in eum (12,9-11).

2.) *Sequente die* rex pacificus iuxta *Zach.* 9,9 vaticinium triumphans, acclamante universo populo, in civitatem suam ingreditur, et adversarii eius fateri coguntur, mundum iam totum post eum abire (12,12-19).

3.) *Etiam gentiles eum videre volunt* (12,20-36) :

Aliqui ethnici, ut sibi Iesum videre liceat, a Philippo petunt (12,20-22); quod quum audiret, Dominus hoc desiderium initium suae clarificationis esse declarat, simul plenam clarificationem suam non nisi post vicinam mortem suam esse venturam significans (12,23-27).

Illam autem vox de coelo delapsa promittit; quam vocem populo interpretatus Dominus suam instantem iam mortem eiusque fructus praedicit (12,28-33), atque hoc vaticinio, cui exhortationem ad fidem adiungit, publicum suum ministerium terminat (12,34-36).

In huius partis epilogo (12,37-50) Evangelista

a.) monet, omnibus Christi signis non obstantibus multos in eum non credidisse, quia corda eorum essent obdurata, alios autem, quia gloriam ab hominibus quaererent, fidem profiteri non esse ausos (12,37-43);

b.) Iesum autem veram fidem, quae operibus quoque se manifestaret, postulasse, quia haec in eum fides simul esset fides in Patrem et salutem daret credenti (12,44-50).

PARS ALTERA (13,1-21,23) *manifestationem gloriae Christi morientis enarrat.*

1. — *Manifestatio haec ab Apostolis ultima in coena fide recipitur* (13,1-17,26).

1.) *Evangelista ab iis narrandis exorditur, quae in coenae principio gesta sunt* (13,1-30),

a.) Dominum scilicet, quum summae dilectionis suae pignus instituere vellet, pedum lotione (13,1-11) et humilitate commendata discipulos ad illud praeparasse (13,12-17),

b.) traditorem autem, quem se cognitum habere significavit interrogantique Ioanni indicavit (13,18-26), ex eorum medio eiecisse (13,27-30).

2.) *Post Iudae autem discessum Iesus discipulos de instanti sua morte consolatur eisque ultima monita tradit* (13,31-16,33).

a.) Se morte sua glorificatum iri praefatus eis primum mutuam caritatem inculcare incipit (13,31-35), a Petro autem interruptus ei trinam negationem praedicit (13,36-38);

b.) ad omnes deinde iterum conversus eos *consolatur* (14,1-31)

α. — promittens, se illis locum paraturum venturumque, ut illos recipiat ad se (14,1-3);

β. — illorum fidem confirmans in suam cum Patre consubstantialitatem, quippe quam operibus a se manifestatam omnes credentes iisdem et maioribus operibus sint manifestaturi (14,4-14);

γ. — praedicens, se illis missurum esse Spiritum et sese ipsum quoque illis omnibusque mandata sua observantibus esse manifestaturum et cum Patre in eis mansurum (14,15-26);

δ. — relinquens illis veram pacem, ut de suo discessu gaudeant potius quam tristentur (14,27-31).

c.) Ad monita porro transiens eos *exhortatur* (15,1-16,4)

α. — ad intimam cum se, viti vera, unionem, ut divites fructus ferre possint (15,1-11);

β. — ad mutuam dilectionem, qua exemplum a se datum imitentur (15,12-17);

γ. — ad mundi odium non timendum, quum ipse prior idem odium sustinuerit, quamvis operibus suis suam divinam missionem probaverit, ita ut odium hoc in se et in Patrem suum sit inexcusabile (15,18-27).

Persecutionibus autem, quibus odium contra discipulos sese sit manifestaturum, enumeratis (16,1-4)

d.) ad *consolationem* reversus (16,5-24)

α. — suum discessum necessarium esse docet, ut Spiritum S. mittere possit, qui venturus sit, ut arguat mundum

(16,5-11) et discipulos in Filii doctrinam inducens Filium clarificet (16,12-15);

β. — absentiam autem suam non diu duraturam esse addit, sed post modicum se reversurum, ut corda eorum gaudio repleat (16,16-24).

e.) Sermoni finem imponit exitum suum a Patre tam clare pronuntians, ut discipuli gaudentes se intelligere et credere profiteantur; ipse autem monet, in passione sua hanc fidem fore instabilem; confidant autem, quia per ipsum victoriam sint reportaturi (16,25-33).

3.) *Sequitur sollemnis oratio qua, Christus (ut homo) a Patre precatur* (17,1-26),

a.) ut se ipsum clarificet claritate, quam habuit (ut Deus), priusquam mundus esset (17,1-5);

b.) ut discipulis suis det perseverantiam in fide eosque a malo custoditos sanctificet (17,6-19);

c.) ut omnes quoque, qui per eos crediturі sint, unum sint inter se, unum quoque secum et cum Patre, et secum uniantur in beatitudine (17,20-26).

2. — *Manifestatio gloriae Christi patientis et morientis ab eius inimicis respuitur* (18,1-19,37).

1.) *Domini captivitas* (18,1-11).

a.) Dominum post ultimos sermones cum discipulis in hortum trans torrentem Cedron egressum satellites a Iuda adducti invadunt (18,1-3),

b.) sed uno Christi verbo in terram prostrati eum capere non possunt, nisi quando liber se illis tradit (18,4-11).

2.) *Dominus coram summis pontificibus* (18,12-27).

a.) Primum ad Annam adductus statim[1] ab eo ad generum eius Caipham mittitur, qui erat illo tempore summus sacerdos (18,12-14. 24).

b.) Dum Petrus in atrio non tantum semel (18,15-18) sed secunda vice et tertia eum negavit (18,25-27), Dominus ipse Caipham, a quo de doctrina et de discipulis interrogatur, et ministrum eius, a quo iniuste percutitur, responsis suis quasi concidit (18,19-23).

3.) *Dominus coram Pilato* (18,28-19,16).

a.) Principes populi Dominum ad Pilatum adducunt, ut velut malefactor ad mortem condemnetur (18,28-32), sed Pilatus,

1. Praeferendum eum versuum ordinem censemus, quem cum *S. Cyr. Alex.* (in Ioan. XI. *Migne* Patrol. gr. 74, c. 593) nonnullisque minusculis graecis etiam antiquus textus syriac. nuper in sinaitico conventu Catharinae iterum repertus exhibet, qui omnes *v.* 24. immediate post *v.* 13. inserunt.

coram quo Iesus regiam suam dignitatem proclamat, nullam in eo invenit culpam (18,33-38).

b). Quare eum liberare studens primum Iudaeis proponit, ut eum liberum dimittat, at illi postulant, ut Barabbas potius dimittatur (18,38-40); deinde ad misericordiam illos provocare conatur Iesum flagellatum et spinis coronatum exhibens, at illi ad mortem eum postulant (19,1-6).

c.) Instant igitur, eum mortis esse reum, quia Filium Dei se fecerit; quibus auditis magis timuit Pilatus (19,7. 8), at dignitatem, quacum Dominus ei respondit, admiratus iterum eum dimittere voluit (19,9-12), verum Iudaeorum minis perterritus eum crucifigendum tradidit (19,12-16).

4.) *Domini crucifixio* (19,16-37).

a.) Dominus in Calvariam eductus cruci affigitur et super caput eius, frustra obnitentibus Iudaeis, imponitur titulus, in quo tribus linguis regia eius dignitas asserebatur (19,16-22).

b.) Militibus porro iuxta vaticinium (*Ps.* 21,19) vestimenta eius inter se dividentibus (19,23-24) ipse matri suae discipulum, discipulo matrem commendat, et postquam omnia impleta sunt iuxta Scripturam, liber tradidit spiritum (19,25-30).

c.) Domini mortui non franguntur crura, sed iuxta vaticinia (*Exod.* 12,46; *Zach.* 12,10) lancea latus aperitur (19,31-37).

3. — *Manifestatio gloriae Christi mortui et resuscitati plenum triumphum agit de adversariis* (19,38-21,23).

1.) Immediate post mortem Ioseph ab Arimathaea et Nicodemus, qui antea ob Iudaeorum metum fidem palam profiteri ausi non erant, aperte iam eam profitentes corpus Domini magno cum honore in novo monumento reponunt (19,38-42).

2.) Tertio die a morte resurgens apparet Mariae Magdalenae (20, 1-18), discipulis congregatis (20,19-23), et quum Thomas adhuc dubitaret, ostendit ei fixuram clavorum et lateris vulnus, ut ita omnes credant, quia ipse sit Christus Filius Dei et credentes habeant vitam in nomine ipsius (20,24-31).

3.) Postea manifestavit se discipulis ad mare Tiberiadis et constituit Petrum pastorem supremum totius sui gregis (21,1-23).

Epilogus veram esse narrationem testatur sed simul incompletam eam esse fatetur (21,24. 25).

5. — *Conspectus chronologicus vitae D. N. Iesu Christi et Concordia quatuor Evangeliorum.*

Singulorum Evangeliorum synopsibus expositis ad rem erit, eorum narrationes cunctas uno conspectu ita comprehendere, ut chronologicus quoque, quo inter se cohaerent, ordo illucescat. Sicuti enim antea monuimus, Evangelistae non tam historicos quam catechistas agere voluerunt; itaque ad thesin quandam dogmaticam, quam suis quisque primis lectoribus maxime censuerunt necessariam, explanandam probandamque nonnullas tantum Domini res gestas orationesque singuli sibi referendas sumserunt. Pro thesium autem suarum diversitate diversa quoque facta saepe elegerunt diversoque ordine disposuerunt. Quapropter ut claram vitae dominicae imaginem nobis efformemus, Evangeliorum varietatem ad unitatem concordiamque revocemus et quasi *unum ex quatuor* faciamus oportet omnibus narrationibus ordine chronologico dispositis.

Inde a Tatiano, S. Iustini M. discipulo, multi iique eximii interpretes in adornandis eiusmodi Evangeliorum harmoniis operam suam posuerunt; at nulla adhuc proposita est, neque ulla, opinor, proponetur unquam, quae omnibus probetur. Namque SS. Ioannem et Lucam in totis suis libris ordinem chronologicum esse secutos, Marcum in paucis tantum narrationibus ab eo deviasse, Matthaeum vero in magna parte (4,12-14,12) ordinem realem praetulisse, plerique quidem interpretes hodie consentiunt; attamen qua ratione singulae res gestae, praesertim eae, quae a primo Evangelista narrantur, schemati per S. Ioannem iuxta Iudaeorum festa disposito sint inserendae, non ubique clarum est. Etenim publicum Domini ministerium in Galilaea magna varietate caruit, quum eiusdem fere generis auditores toto illo tempore erudiret, eiusdem generis infirmitatibus miraculis suis mederetur, eosdem adversarios ubique inveniret. Quare si similia miracula aut similes parabolae a diversis Evangelistis narrantur, difficile est interdum diiudicare, num de eadem re loquantur, praesertim quia accuratae temporis, loci, personarum rationes frequenter ab illis omittuntur. Maiore igitur minoreve tantum cum verisimilitudine haud pauca, quae a Domino dicta gestaque sunt, secundum seriem chronologicam disponuntur.

Ceterum in synopsi tradenda tres annos et aliquot menses vitae publicae Domini attribuimus; nam *Ioan.* 5,1 festum paschatis designari arbitramur, ita ut quatuor paschatis Dominus in publica sua vita interfuerit. De ultimo, in quo mortuus est, omnes quatuor Evangelistae loquuntur, atque paenultimum quoque omnes nobis indicant, quum multiplicationem panum, quae teste *Ioanne* 6,4 accidit, quando « proximum erat pascha », omnes narrent (*Matth.* 14,14 sqq.; *Marc.* 6,32 sqq.; *Luc.* 9,11 sqq.). Immo etiam secundi apud omnes Synopticos indirectum saltem habemus vestigium; in paschate enim primitiae offerendae erant, ante primitias

autem in templo oblatas nemini de frugibus anni illius manducare licebat; quare spicarum vellicatio, quam Pharisaei discipulis obiiciunt, brevi post pascha anni illius facta est : « in sabbato secundo primo » i. e. in secundo sabbato post pascha (*Matth.* 12,1 sqq.; *Marc.* 2,23 sqq.; *Luc.* 6,1 sqq.). Itinera autem, quae inter 3. et 4. pascha Dominus ad festa tabernaculorum et encaeniorum suscepit, a S. Luca (9,51 sqq.; 13,22) indicari censemus. Quibus indicationibus adiuti, quamvis in tribus prioribus Evangeliis primi paschatis nulla fiat mentio, vitae publicae Domini *extrema saltem lineamenta* ad temporis rationem satis accurate redigere possumus.

Annos Urbis adscripsimus illam secuti sententiam, quae magis nobis probatur, Dominum N. anno 748. U. C. (i. e a. 5. ante aer. Dion.) natum atque a. 782. U. i. e. a. 29. aer. Dion.) mortuum esse. Porro *numeri capitum et versuum uncis inclusi* rem narratam neglecto ordine chronologico ab Evangelista dispositam esse indicant, aut ne probabili quidem ratione tempus eius posse definiri monent.

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	**Evangeliorum prooemia.**
. . . . .	1, 1	. . . . .	. . . . .	Inscriptio Evangelii.
. . . . .	. . . . .	1, 1-4	. . . . .	Prooemium de consilio scriptoris.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	1, 1-18	Prooemium de aeterna Verbi generatione eiusque incarnatione.
1,1-17	. . . . .	(3, 23-38)	. . . . .	Genealogia D. N. Iesu Christi.
				I. Domini nativitas et infantia.
. . . . .	. . . . .	1, 5-25	. . . . .	Annuntiatio et conceptio B. Ioannis Bapt. (mens. Sept. 747.).
18	. . . . .	26-38	. . . . .	Annuntiatio et incarnatio Verbi aeterni (25. Mart. 748.).
. . . . .	. . . . .	39-56	. . . . .	B. Virgo visitat Elisabeth.
. . . . .	. . . . .	57-80	. . . . .	Nativitas B. Ioannis Bapt. (mens. lun. 748.).
19-24	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Haesitatio S. Ioseph de accipienda Maria coniuge sua.
. . . . .	. . . . .	2, 1-5	. . . . .	Iter S. Ioseph cum B. Virgine in Bethlehem.
25	. . . . .	6.7	. . . . .	Nativitas Domini Nostri Iesu Christi (25. Dec. 748.).
. . . . .	. . . . .	8-20	. . . . .	Adoratio Pastorum.
25	. . . . .	21	. . . . .	Circumcisio Domini Nostri (1. Ian. 749.).
. . . . .	. . . . .	22-38	. . . . .	Purificatio B. Virginis (2. Febr. 749.).
. . . . .	. . . . .	39-40	. . . . .	S. Familia proficiscitur Nazareth (indeque rebus compositis revertitur Bethlehem, ut ibi sedem figat).
2,1-12	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Adoratio Magorum (25.Dec.? 749.).
13-18	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Fuga in Aegyptum. Caedes puerorum.
19-22	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Mors Herodis. Reditus S. Familiae ex Aegypto (750.)

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
2, 23	. . . . .	. . . . .	. . . . .	S. Familia sedem suam figit Nazarethi.
. . . . .	. . . . .	2, 41-50	. . . . .	Dominus N. duodecim annos natus cum parentibus suis Ierosolyma ad pascha celebrandum ascendit (Nisan 761.).
. . . . .	. . . . .	51.52	. . . . .	Nazareth reversus occultam vitam agit.
				II. Praeparatio ad vitam publicam.
3, 1-12	1, 2-8	3, 1-18	. . . . .	Anno 15. Tiberii, i. e. exeunte a. 778. U. C. (seu a. 25. aer. Dion. [1]) B. Ioannes Bapt. annuntiare coepit Christum mox venturum.
13-17	9-11	21.22	. . . . .	Dominus N. baptizatur (ineunte a. 779.).
4, 1-11	12.13	4, 1-13	. . . . .	Domini N. ieiunium in deserto. Eius tentationes.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	1, 19-28	Legatio synedrii ierosolymitani ad B. Ioannem B., qui
. . . . .	. . . . .	. . . . .	29-34	altero die Domino ex deserto redeunti testimonium reddit;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	35-39	quo permoti Andreas (et Ioannes Ap.) eum sequuntur.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	40-42	Adducitur ab Andrea Petrus ad Iesum.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	43-51	Revertens in Galilaeam Dominus sibi adiungit etiam Philippum et Nathanael (Bartholomaeum).
. . . . .	. . . . .	. . . . .	2, 1-11	Primum miraculum a matre sua rogatus facit in nuptiis in Cana Galilaeae,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	12	descendit Capharnaum ibique paucis diebus manet.
				III. Vitae publicae annus primus. (A Paschate 779. ad Pascha 780. i. e. a. 26.-27. aer. Dion.)
. . . . .	. . . . .	. . . . .	2, 13	Dominus ad pascha Ierosolyma ascendit;

(1) De anno 15. Tiberii cfr meam Introd. in N. T. Ed. 2. p. 251 et *Zumpt* Das Geburtsjahr Christi p. 289 sqq. Quamvis annus ille ab exeunte a. 778. sit numerandus, quum lex, qua Tiberio eadem cum Augusto iura in provinciis concedebantur, ultimis mensibus a. 764. lata esse videatur, fieri tamen potuit, ut in vita quotidiana totus annus 778. a provincialibus annus 15. Tiberii vocaretur. Quare nihil opinor obstat, quominus iam medio anno 778. Ioannem B. praedicationem suam incepisse dicamus.

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
. . . . .	. . . . .	. . . . .	2, 14-22	eiicit ementes et vendentes e templo et in potestatis suae signum praedicit suam resurrectionem.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	23-25	Propter signa eius multi credunt in eum,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	3, 1-21	inter quos Nicodemus, quocum de necessitate renascentiae spiritualis et de fide in ipsum tamquam in Filium Dei colloquitur.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	22-24	Ierosolymis egressus in Iudaea per discipulos suos baptizat multos;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	25-36	Ioannes B. autem, discipulis suis ea de re conquerentibus, iterum de Domino testimonium reddit;
. . . . .	1, 14	(3, 19-20)	. . . . .	at brevi post ab Herode (Antipa) in vincula coniicitur;
4, 12	. . . . .	4, 14	4, 1-4	quare Dominus, quum in eum, Ioanne B. sublato, se converteret odium Pharisaeorum, relicta Iudaea in Galilaeam proficiscitur (mense Dec. 779.).
. . . . .	. . . . .	. . . . .	5-30	Transiens per Samariam convertit mulierem;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	31-38	praedicit discipulis divitem segetem inter ethnicos;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	39-42	Samaritani a muliere advocati eum apud se per duos dies retinent.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	43-45	Redux in Galilaea invenit multam fidem,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	46-54	secundum in Galilaea miraculum patrat sanato filio reguli capharnaumitani,
. . . . .	1, 14-15	4, 14.15	. . . . .	atque incipit ministerium galilaicum.
(13, 54-58)	(6, 1-6)	16-30	. . . . .	A Nazarethanis, quibus primis Evangelium annuntiat, reiectus immo ad mortem quaesitus[2],
4, 13-17	1, 21	31.32	. . . . .	domicilium suum transfert Capharnaum.
. . . . .	22-28	33-37	. . . . .	Ibi sabbato in synagoga eiicit spiritum immundum;
(8, 14.15)	29-31	38.39	. . . . .	eodemque die socrum Simonis Petri
(8, 16.17)	32-34	40.41	. . . . .	et post solis occasum multos aegrotos sanat.
(4, 23-25)	35-39	42-44	. . . . .	Sequente die civitates Galilaeae per-

2. Sententia, quae idem iter nazarethanum a Luca (3,16 sqq.) et a Matthaeo (4,13 et 13, 54 sqq.) Marcoque (6,1 sqq.) narrari tenet, melioribus niti videtur rationibus. Cfr. *Introd.* meam *in N. T.* Ed. 2. p. 112 sq.

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
				agrare incipit docens et signa faciens.
. . . . .	. . . . .	5, 1-10	. . . . .	Post miraculosam piscationem in lacu Genesareth
4, 18-22	(1, 16-20)	11	. . . . .	ad continuam suam sequelam Petrum, Andream, Ioannem, Iacobum vocat.
5, 1-7, 29	. . . . .	. . . . .	. . . . .	(Paullo post videtur habuisse sermonem montanum)[3].
(8, 2-4)	1, 40-45	12-16	. . . . .	Sanat leprosum quendam,
(9, 1-8)	2, 1-12	17-26	. . . . .	et Capharnaum reversus paralytico per tectum demisso cum peccatorum remissione sanitatem restituit.
(9, 9)	13.14	27.28	. . . . .	Postquam Matthaeum (Levi) ad suam sequelam vocavit,
(9, 10-13)	15-17	29-32	. . . . .	Dominus sese ab accusatione, quod cum peccatoribus conversetur,
(9, 14-17)	18-22	33-39	. . . . .	et discipulos, quod non ieiunent, defendere debuit.
				IV. Vitae publicae annus secundus. (A Paschate 780. ad Pascha 781. i. e. 27.-28. aer. Dion.)
. . . . .	. . . . .	. . . . .	5, 1	Dominus Ierosolyma ascendit ad pascha;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	2-9	sabbato hebdomadis festivae aegrotum ad probaticam piscinam iacentem sanavit;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	10-18	quo miraculo, ac si sabbatum violasset, Pharisaeorum persecutionem sibi attraxit.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	19-47	Ipse autem sese defendens ad Ioannis Bapt., ad miraculorum suorum atque Patris sui testimonium provocavit.
(12, 1-8)	2, 23-28	6, 1-5	. . . . .	Reversus in Galilaeam defendit discipulos, qui esurientes sabbato secundo-primo spicas vellerant,
(12, 9-13)	3, 1-5	6-10	. . . . .	et sequente sabbato se dominum sabbati demonstrat manu arida sanata;
(12, 14)	6	11	. . . . .	quo facto tamen Pharisaeorum et Herodianorum odium auget.

(3) Nisi dicere quis mavult, eundem sermonem esse a Matthaeo (5,1 sqq.) et a Luca 6,17 sqq.) relatum; quo in casu post Apostolorum electionem est ponendus.

MATTH.	MARC.	LUC.	IOAN.	
(12,15-21)	3,7-12	. . . . .	. . . . .	Quare ex oppido egressus secedit ad mare, turbis eum comitantibus, quum sanaret multos.
(9,35-38)	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Quibus ut provideat alios pastores,
. . . . .	. . . . .	6,12	. . . . .	post noctem in oratione peractam,
(10,2-4)	13-19	13-16		eligit duodecim Apostolos;
(5,1-7,29)	. . . . .	17-49	. . . . .	ad quos et ad turbas deinde in planitie longiorem sermonem habet[4].
(8,5-13)	. . . . .	7,1-10	. . . . .	Capharnaum reversus servum centurionis sanat,
. . . . .	. . . . .	11-17	. . . . .	et abiens in Naim resuscitat iuvenem mortuum.
(11,2-6)	. . . . .	18-23	. . . . .	Quibus de rebus Ioannes Bapt. in carcere certior factus mittit discipulos, ut interrogent eum, num ipse sit Christus;
(11,7-19)	. . . . .	24-35	. . . . .	post quorum discessum Dominus populum vituperat ob spretum Ioannis testimonium,
(11,20-24)	. . . . .	. . . . .	. . . . .	(et vae dicit civitatibus, quae suis miraculis non crediderant)[5].
. . . . .	. . . . .	36-38	. . . . .	Invitatur a Simone Pharisaeo; prandentis pedes ungit peccatrix,
. . . . .	. . . . .	39-43	. . . . .	quam defendit proposita parabola de debitoribus,
. . . . .	. . . . .	44-50	. . . . .	cuique remittit peccata.
. . . . .	4,1-2	8,1-3	. . . . .	Cum discipulis et ministrantibus mulieribus Galilaeam peragrans
(13,1-9)	3-9	4-9	. . . . .	turbis proponit parabolam de seminante,
(13,10-23)	10-25	10-18	. . . . .	quam seorsim discipulis explicat,
. . . . .	26-29	. . . . .	. . . . .	quibus etiam alteram parabolam proponit de semine sua sponte crescente,
(13,24-30)	. . . . .	. . . . .	. . . . .	(populum aliis quoque parabolis docet naturam regni sui, scilicet de inimico superseminante zizaniam,
(13,31-32)	30-32	. . . . .	. . . . .	de grano sinapis,
(13,33)	. . . . .	. . . . .	. . . . .	de fermento,
(13,34.35)	33-34	. . . . .	. . . . .	aliisque multis,

(4) Cfr notam praecedentem de sermone montano.

(5) Nisi quis haec verba semel tantum esse prolata mavult a Domino in illo contextu, quem Lucas (16,12 sqq.) indicat. Revera secundum *chronologicum* ordinem post finitum ministerium galilaicum locum aptiorem videntur habere, atque illa quoque, quae Matthaeus (11,25-30) adnectit, *chronologice* cum praecedentibus non satis apte cohaerere recte dicuntur (Luc. 10,21 sqq.).

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
(13,36-43)	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Apostolis vero solis primam explicat).
(12,46-50)	(3, 31-35)	8, 19-21	. . . . .	Quum autem turbas doceret, veniunt mater et fratres eius, ut eum videant.
(8, 18)	4, 35	22	. . . . .	Vespere vult transfretare;
(8, 19-22)	. . . . .	(9, 57-62)	. . . . .	scribae, qui eum sequi vult, alterique discipulo exponit conditiones suae sequelae [6];
(8, 23-27)	35-40	8, 22-25	. . . . .	transfretans sedat procellam;
(8, 28-34)	5, 1-20	26-39	. . . . .	ad regionem Gerasenorum appulsus sanat duos daemoniacos daemonibus, ut in porcos intrent, permittens, et rogatus discedit.
. . . . .	21	40	. . . . .	Reversus Capharnaum,
(9, 14-17)	. . . . .	. . . . .	. . . . .	(ibique discipulos Ioannis B. de ieiunio interrogantes edocens) [7],
(9, 18)	22,23	41	. . . . .	vocatur ab Iairo, ut filiam aegrotantem sanet:
(9, 19-22)	24-34	42-48	. . . . .	quem secutus sanat in via haemorrhoissam,
(9, 23-26)	35-43	49-56	. . . . .	et filiam Iairi a mortuis resuscitat.
(9, 27-34)	. . . . .	. . . . .	. . . . .	(Duo quoque caeci sanantur et daemoniacus mutus) [8].
(10, 5-42)	6, 7-13	9, 1-6	. . . . .	Apostolos magnis istis miraculis in fide confirmatos ad primam missionem sermone praeparat.
(14, 3-12)	(6, 17-29	. . . . .	. . . . .	Herodes (Antipas), qui paullo antea occiderat Ioannem B.,
14, 1.2	6, 14-16	7-9	. . . . .	audiens de miraculis Christi timet, ne Ioannes a mortuis resurrexerit.
. . . . .	30	10	. . . . .	Revertuntur Apostoli a sua prima missione,
14, 13	31.32	10	6, 1	et Iesus cum eis secedit in desertum locum.

(6) Bis easdem duas interrogationes eodem ordine diversis in occasionibus esse propositas. difficile nobis persuademus; quare *Luc.* (9,57-62) et *Matth.* (8,19-22) de eodem facto loqui censemus; Matthaeus autem interrogationes has cum transfretatione tam arcte connectit. ut ab ea divelli non posse videantur; quare S. Lucas in iis referendis ordinem chronologicum reliquisse est dicendus, quum vaga quadam formula (« ambulantibus in via ») eas in narrando itinere Domini ad festum tabernaculorum referat.

(7) Interrogationem hanc ab Ioannis B. discipulis ipsis factam (*Matth.* 9,14-17) diversam esse arbitramur ab illa, quam Pharisaei accusandi causa de Domini discipulorum ieiunio a *Luc.* (5,33-39) et *Marc.* (2,18-22) posuisse referuntur, quamvis responsa sint eadem. Matthaeus arctissime (9,18 ταῦτα αὐτοῦ λαλοῦντος) eam connectit cum Iairi adventu.

(8) Num duo haec miracula, quae Matthaeus prioribus adiungit, chronologice cum iis sint connectenda, non liquet.

MATTH.	MARC.	LUC.	IOAN.	
				V. Vitae publicae annus tertius.
				(A paschate 781. ad pascha 782 i. e. 28.-29. aer. Dion.)
				I. — A PASCHATE USQUE AD SCENOPEGIAM. (*April. — Octob.*)
14, 14-21	6, 33-44	9, 11-17	6, 2-13	Circa paschatis tempus magnam turbam, quae eum in desertum trans lacum Genesareth secuta erat, quinque panibus saturat;
22	45	. . . . .	14	statim discipulos suos navim ascendere iubet, ipse autem turbis dimissis,
23-27	46-50	. . . . .	15-20	post partem noctis in oratione peractam venit ad discipulos remigantes ambulans in mari,
28-31	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Petro permittit, ut ad se super aquas accedat,
32-34	51-53	. . . . .	21	et cum eis venit Capharnaum.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	22-60	Turbis ipsum secutis insequente die in synagoga capharnaumitana sermonem habet de pane vitae et de SS. Eucharistiae institutione;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	61-72	at discipuli multi, quibus durus erat iste sermo, eum reliquerunt.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	7, 1	Ipse autem in Galilaea remanens
34-36	53-56	. . . . .	. . . . .	et terram Genesareth perambulans multos sanat.
15, 1-11	7, 1-16	. . . . .	. . . . .	Pharisaeos ierosolymitanos, qui discipulos ob non observatas traditiones vituperarunt, ob easdem increpat,
12-20	17-23	. . . . .	. . . . .	discipulosque accuratius de iisdem edocet.
21	24	. . . . .	. . . . .	Galilaea relicta in Phoeniciam profectus
22-28	25-30	. . . . .	. . . . .	sanat mulieris syrophoenissae filiam daemoniacam,
. . . . .	31	. . . . .	. . . . .	indeque in Decapolim iuxta lacum Tiberiadis regressus
. . . . .	32-37	. . . . .	. . . . .	sanat surdo-mutum;
29-31	. . . . .	. . . . .	. . . . .	atque prope lacum Genesareth, postquam multos aegrotos sanavit,
32-38	8, 1-9	. . . . .	. . . . .	secunda vice multiplicat panes.
93	10	. . . . .	. . . . .	Inde navi in fines Magedan prope Dalmanutham abiens
16, 1-4	11-13	. . . . .	. . . . .	Pharisaeis signum de coelo petenti-

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
				bus non aliud nisi signum Ionae datum iri praedicit;
16,5-12	8, 14-21	. . . . .	. . . . .	ex hac autem incredulitate Pharisaeorum occasionem arripit, ut discipulis cavendam doctrinam pharisaicam inculcet.
. . . . .	22-26	. . . . .	. . . . .	Bethsaidam appulsus sanat caecum.
13-16	27-30	9, 18-21	. . . . .	Exinde venit Caesaream Philippi, ubi Petrus eum profitetur Filium Dei,
17-20	. . . . .	. . . . .	. . . . .	ipse autem vicissim Petro primatum Ecclesiae promittit.
21	31	22	. . . . .	Prima vice praedicit passionem suam,
22-23	32.33	. . . . .	. . . . .	et Petrum, qui eum retinere conatur, increpat,
24-28	34-39	23-27	. . . . .	omnes autem docet, discipulis suis necessariam esse sui abnegationem.
17,1-13	9, 1-12	28-36	. . . . .	Post sex dies coram tribus discipulis transfiguratur,
14-18	13-26	37-43	. . . . .	de monte autem descendens sanat puerum daemoniacum,
19-21	27.28	44-45	. . . . .	docetque discipulos, cur ipsi illum sanare nequiverint.
22-23	29-31	. . . . .	. . . . .	Repetit deinde praedictionem passionis suae.
24-27	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Capharnaum reversus Petrum tributum solvere iubet didrachmate in ore piscis invento.
18,1-5	32-36	46-48	. . . . .	Discipulos autem, qui in via, quis inter eos esset maior, disceptaverunt, domi corripit;
. . . . .	37-40	49.50	. . . . .	Ioannis quoque zelotypiam reprimit,
6-14	14-49	. . . . .	. . . . .	monet vitandum scandalum,
15-35	. . . . .	. . . . .	. . . . .	et quid agendum sit in correptione fraterna et iniuriarum remissione, exponit.
				2. — A SCENOPEGIIS USQUE AD ENCAENIA. (*Oct. — Dec.*)
. . . . .	. . . . .	. . . . .	7, 2-9	Rogantibus fratribus, ut Ierosolyma ad festum ascendat seseque manifestet mundo, abnuit quidem,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	10-13	sed mox relicta Galilaea quasi in occulto proficiscitur Ierosolyma.
. . . . .	. . . . .	9, 51-53	. . . . .	Volens transire per Samariam impeditur,
. . . . .	. . . . .	54-56	. . . . .	quare irascuntur filii Zebedaei,

MATTH.	MARC.	LUC.	IOAN.	
. . . . .	. . . . .	9, 56	. . . . .	at ipse alia via ascendit in Iudaeam.
. . . . .	. . . . .	10,1	. . . . .	Eligit septuaginta discipulos, qui ipsi praecedant viamque parent,
(10, 5-42)	. . . . .	2-16	. . . . .	quos quomodo se gerere debeant edocet[9].
. . . . .	. . . . .	17-20	. . . . .	Reduces ad humilitatem exhortatur,
(11, 25-30)	. . . . .	21-24	. . . . .	et Patrem glorificat, qui discipulis suis veram dederit beatitudinem.
(22, 35-40)	(12, 28-34)	25-29	. . . . .	Tentanti legisperito exponit primum mandatum[10],
. . . . .	. . . . .	30-37	. . . . .	atque parabola de bono Samaritano docet eum, quis eius sit proximus.
. . . . .	. . . . .	38-42	. . . . .	Bethaniae a Martha et Maria receptus docet unum solum esse necessarium.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	7, 14-36	Mediante festo ascendit in templum et disputat cum Iudaeis, ex quibus multi in eum crediderunt.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	37-39	Ultimo festi die omnes ad se, fontem aquae vivae, invitat;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	40-44	quum timerent Pharisaei, ne populus ei adhaereret, miserunt ministros suos, qui eum apprehenderent,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	45-53	at illi re infecta reversi sunt, et Dominus a Nicodemo defenditur.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	8, 1-11	Insequente die ad eum adducunt adulteram, quam absolvit;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	12-29	docet se esse lumen mundi, Filium aeterni Patris,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	30-58	unde, aliquibus credentibus, nova

(9) Si S. Lucas ordinem chronologicum sequitur, non potest esse dubium, quin Dominus in itinere suo ad scenopegia celebranda septuaginta discipulos mittere coeperit; Galilaeam iteratis vicibus ipse cum discipulis peragraverat, ultimis autem vitae suae mensibus ampliorem sibi campum reservaverat, Peraeam atque Iudaeam; ideo praeter Apostolos iam novos sibi selegit adiutores, « quos mitteret ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo ipse erat venturus », et quo fama eius sufficiens nondum pervenerat. Etsi igitur Lucas electionem et missionem discipulorum hoc solo in loco narret, omnino tamen admittendum videtur, toto isto tempore ante passionem in ultimis itineribus septuaginta illos discipulos ei viam praeparasse. Per modum autem compendii haec missio narratur, quemadmodum simili ratione missio Apostolorum una sola indicatur, quamvis eorum ope Dominum saepius in Galilaea usum esse, probabilior teneat sententia. Praecepta autem, quae illis tradit Dominus, similia sunt praeceptorum Apostolis (*Matth.* 10,5 sqq.) datorum, quia munus quoque a Domino eis commissum omnino simile erat muneri Apostolorum.

(10) Eadem interrogatio iterum Ierosolymis Domino proposita refertur a *Matth.* (22,25 sqq.) et *Marc.* (12,28 sqq.); nulla videtur adesse ratio, cur alterutrum Evangelistam narrationem hanc ordine chronologico neglecto attulisse dicamus.

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
				contra eum exorta est tempestas,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	8, 59	ita ut eum lapidare vellent.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	9, 1-12	Egressus autem sanat hominem caecum a nativitate,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	13-27	ob quod miraculum utpote sabbato patratum impietatis a Iudaeis accusatur;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	28-39	sanatus eiicitur ex synagoga, recipitur a Iesu,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	40-41	qui Pharisaeorum voluntariam caecitatem increpat,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	10,1-18	eo quod se verum pastorem non agnoscant;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	19-21	unde novae Iudaeorum irae et dissensiones.
(6,9-13)	. . . . .	11,1-4	. . . . .	(Prope Ierosolymam quoque, ut videtur) docet discipulos orare,
(7,7-11)	. . . . .	2-13	. . . . .	necessitatemque orationis inculcat[11].
. . . . .	. . . . .	14	. . . . .	Eiicit daemonium mutum,
(12,24-30)	(3, 22-27)	15-28	. . . . .	respondensque calumniantibus, quod in Beelzebub eiiceret daemonia,
(12,38-45)	. . . . .	29-36	. . . . .	increpat Pharisaeos signum quaerentes.
. . . . .	. . . . .	37-52	. . . . .	Invitatus a Pharisaeo vituperat Pharisaeorum et Scribarum hypocrisin,
. . . . .	. . . . .	53-54	. . . . .	quare irati quaerunt aliquid, de quo eum accusent.
. . . . .	. . . . .	12,1-3	. . . . .	(Iudaeam peragrans) discipulos docet vitandam hypocrisin,
(10,26-37)	. . . . .	4-12	. . . . .	fiduciam Dei acquirendam,
. . . . .	. . . . .	13-21	. . . . .	avaritiam fugiendam (parabola de divite subita morte abrepto),
(6,19-34)	. . . . .	22-34	. . . . .	evitandas curas saeculares ac quaerendum solum thesaurum regni Dei,
(24,45-51)	. . . . .	35-48	. . . . .	vigilantiam observandam, quia inexspectatus venturus sit filius hominis remuneraturus omnes pro meritis,
. . . . .	. . . . .	49-59	. . . . .	nunc tempus non esse pacis, sed belli.

(11) Parallelos textus huic Lucae capiti et proxime sequentibus ex Matthaeo et Marco non adscripsimus, ac si ad unum idemque factum eos referendos esse indicaremus. Procul dubio saepe Dominus discipulis suis de oratione locutus est, saepe Pharisaeorum calumnias refutavit, atque doctrinae capita, quae mox sequuntur, eiusmodi sunt, ut ea saepius a Domino inculcata esse facile admittatur. Matthaeus et Marcus ea referunt, quae in Galilaea docuit Dominus, Lucas in hac parte Dominum in peregrinationibus per Iudaeam docentem nobis exhibere omnino videtur.

MATTH.	MARC.	LUC.	IOAN.	
. . . . .	. . . . .	13,1-9	. . . . .	Turbas ad poenitentiam exhortatur parabola de ficu sterili.
. . . . .	. . . . .	10-17	. . . . .	Sabbato in synagoga sanat mulierem, et docet quid sabbatis agere liceat.
(13,31-33)	(4,30-32)	18-21	. . . . .	Parabolis de grano sinapis et fermento propositis docet naturam regni Dei.
. . . . .	. . . . .	22	. . . . .	Revertitur Ierosolyma.
				3. — AB ENCAENIIS USQUE AD HEBDOMADEM PASSIONIS. (*Dec.* 781. — *April.* 782. i. e. 28. — 29. aer. Dion.)
. . . . .	. . . . .	. . . . .	10,22.23	Tempore encaeniorum, quum esset in templo
. . . . .	. . . . .	. . . . .	24-38	et aperte Filium Dei se diceret, voluerunt Iudaei eum lapidare,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	39-42	ipse autem abiit in Peraeam.
. . . . .	. . . . .	13,23-30	. . . . .	Quum ibi populum doceret reiectionemque Iudaeorum praediceret,
. . . . .	. . . . .	31	. . . . .	Pharisaei eum in Iudaeam trahere conabantur,
. . . . .	. . . . .	32-35	. . . . .	at perfidiam eorum perspiciens abnuit, et suam quidem mortem, sed simul urbis eversionem praedicit.
. . . . .	. . . . .	14,1-6	. . . . .	Sabbato sanat hydropicum in domo Pharisaei et suam agendi rationem defendit.
. . . . .	. . . . .	7-11	. . . . .	Invitatos docet humilitatem, quum primos locos occupare studerent;
(22,2-14)	. . . . .	12-24	. . . . .	iisdem proponit parabolam de epulo, ad quod invitati accedere recusant.
. . . . .	. . . . .	25-35	. . . . .	Discedens docet discipulis suis omnia esse relinquenda proponitque parabolas de aedificaturo turrim et de rege bellum paraturo.
. . . . .	. . . . .	15,1-2	. . . . .	Murmurantibus Pharisaeis de peccatoribus bene receptis
(18,12-14)	. . . . .	3-10	. . . . .	proponit parabolas de ove perdito,
. . . . .	. . . . .	11-32	. . . . .	de drachmate amisso, et de filio prodigo.
. . . . .	. . . . .	16,1-13	. . . . .	Discipulis proponit parabolam de villico iniusto, ex qua deducit, spretis divitiis eos Deo debere esse fideles.
. . . . .	. . . . .	14-31	. . . . .	Pharisaeis de hac doctrina ridentibus

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
				narrat historiam de paupere Lazaro et de divite eiecto in gehennam.
(**18**, 7 sqq.	21 sqq.)	**17**, 1-4	. . . . .	Ad discipulos autem conversus monet vitanda scandala et offensiones remittendas esse,
(**17**, 19)	(**11**, 23)	5-10	. . . . .	praedicatque virtutem fidei et humilitatem.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	**11**,1-16	Arcessitus e Peraea a sororibus Lazari aegroti
. . . . .	. . . . .	. . . . .	17-44	mortuum quatriduanum resuscitat;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	45-53	quo miraculo irritati Pharisaei consilium ineunt eum interficiendi,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	54-57	quare se recipit in oppidum Ephrem.
. . . . .	. . . . .	11	. . . . .	Inde per Samariam, Galilaeam (Peraeam) longo circuitu proficiscitur Ierosolyma;
. . . . .	. . . . .	**17**,12-19	. . . . .	in itinere sanat decem leprosos, e quibus unus Samaritanus,
. . . . .	. . . . .	20-37	. . . . .	inopinatum fore adventum regni Dei docet,
. . . . .	. . . . .	**18**,1-8	. . . . .	commendat orationem perseverantem parabola de iudice iniquo,
. . . . .	. . . . .	9-14	. . . . .	orationemque humilem parabola de Pharisaeo et publicano.
19,1-9	**10**,1-12	(**16**,18)	. . . . .	Trans Iordanem veniens indissolubilitatem matrimonii docet
10-12	. . . . .	. . . . .	. . . . .	et discipulis commendat virginitatem;
13-15	13-16	**18**,15-17	. . . . .	benedicit infantibus sibi oblatis,
16-23	17-23	18-23	. . . . .	iuveni, qui perfectus esse vult, paupertatem commendat;
24-30	24-31	24-30	. . . . .	Apostolis, quia omnia reliquerant, promittit centuplum.
20,1-16	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Parabolam proponit de patre familias conducente operarios in vineam suam.
17-19	32-34	31-34	. . . . .	Tertia vice praedicit passionem proxime futuram;
20-28	35-45	. . . . .	. . . . .	respondet petitioni matris filiorum Zebedaei.
. . . . .	. . . . .	35-43	. . . . .	Iericho ingrediens sanat caecum,
. . . . .	. . . . .	**19**,1-28	. . . . .	diversatur in domo Zachaei et narrat parabolam de domino servis suis decem mnas distribuente;
29-34	46-52	. . . . .	. . . . .	egrediens e Iericho sanat Bartimaeum caecum[12].

(12) Lucas nimis diserte dicit caecum sanatum, « quum *appropinquaret* Dominus Iericho », quam ut cum Bartimaeo eum confundere liceat, qui sanatus est « *proficiscente*

MATTH.	MARC.	LUC.	IOAN.	
				VI. Hebdomas passionis.
				(10-15 Nisan 782. i. e. 29. aer. Dion.)
				A. DIE DOMINICA.
(**26**, 6-11)	. . . . .	**19**,28	**12**,1	Sexto die ante pascha Dominus Bethaniam venit,
. . . . .	(**14**, 3-9)	. . . . .	2-8	atque in coena ei parata Maria ungit eius pedes, murmurante Iuda traditore[13];
. . . . .	. . . . .	. . . . .	9-11	multi Iudaei veniunt, ut eum et Lazarum videant.
				B. FERIA SECUNDA.
12,1-11	**11**,1-10	**19**,29-38	**12**,12-19	Dominus Bethania profectus sollemni modo urbem et templum ingreditur,
14	. . . . .	. . . . .	. . . . .	multa miracula in templo patrat[14],
15-16	. . . . .	39-44	. . . . .	sacerdotes ob populi laetitiam iratos increpat,
17	11	. . . . .	. . . . .	Bethaniam revertitur.
				C. FERIA TERTIA.
. . . . .	**11**,12	. . . . .	. . . . .	Dominus ad templum revertens
21,18. 19	13.14	. . . . .	. . . . .	in via ficui sterili maledicit;
(12.13)	15-18	**19**,45-48	. . . . .	eiicit ementes et vendentes ex templo ibique docet;
. . . . .	19	. . . . .	. . . . .	vespere ex civitate egressus (revertitur Bethaniam).
				D. FERIA QUARTA.
21,19. 20	**11**,20.21	. . . . .	. . . . .	Ad templum cum discipulis revertens ficum inveniunt arefactam,
21.22	22-26	. . . . .	. . . . .	unde occasionem arripit inculcandae

Domino de Iericho ». Totam viam, quae Ierosolyma ducebat, prope civitates occupatam fuisse a mendicis, caecis, claudis, paralyticis multis eo tempore, quo universus fere populus ad pascha celebrandum ascendebat, nemo mirabitur, qui hodie quoque frequens aliquod sanctuarium visitare voluerit. Quare facile concipitur, Dominum ingredientem Iericho et ex civitate egredientem caecos in via sedentes et mendicantes invenisse. Quod autem duo ex illis eum « filium Davidis » salutaverint et ab eo sanationem petierint, id multo minus, si fieri potest, admirationis habet. Quare non video, cur moderni aliqui interpretes catholici unum solum caecum prope Iericho sanatum esse velint, re enim vera S. Matthaeus (pro more suo circumstantiis, ut videtur, neglectis duo facta, etsi diversis diebus acciderint, una narratione comprehendens) duos sanatos refert.

(13) Matthaeus et Marcus, ut explicent quomodo Iudas ad traditionem pervenerit, narrationem hanc parenthetico modo illis, quae de Pharisaeorum et sacerdotum concilio tradunt, inseruerunt. De contradictione igitur inter Ioannem et Synopticos sermo esse nequit.

(14) Quum Matthaeus haec miracula cum eiectione vendentium et ementium ex templo coniungat, quae insequente die facta est, forte etiam miracula haec transponenda sunt.

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
				discipulis virtutis fidei (et utilitatem precationis).
21,23	11,27-28	20,1.2	. . . . .	Ingressus templum et interrogatus, qua potestate (heri?) egerit,
24-27	29-33	3-8	. . . . .	respondet alia interrogatione de missione Ioannis B.,
28-32	. . . . .	. . . . .	. . . . .	ac narrat parabolas de filio obediente et inobediente,
33-44	12,1-11	9-18	. . . . .	et de vinitoribus filium heri sui occidentibus.
45.46	12	19	. . . . .	Quibus ad iram provocati sacerdotes eum apprehendere volunt, sed non audent.
22,1-14	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Aliam similem parabolam proponit de nuptiis filii regis, ad quas invitati venire nolunt.
15-22	13-17	20-26	. . . . .	Ideo Pharisaei cum Herodianis eum in sermone capere conantur interrogantes, liceatne tributum Caesari solvere;
23-33	18-27	27-40	. . . . .	confusis Pharisaeis Sadducaei de possibilitate resurrectionis interrogantes ipsi quoque confunduntur;
34-40	28-34	(10,25-28)	. . . . .	atque alter scriba Pharisaeis instigantibus tentans interrogavit de primo mandato Legis[15].
41-46	35-37	20,41-44	. . . . .	Adversarios nunc Dominus plene ad silentium redigit proposita quaestione de Messia Davidis filio et domino.
. . . . .	38-40	45-47	. . . . .	Populum dein monet, ut sibi caveat a Pharisaeis et Scribis,
23,1-39	. . . . .	. . . . .	. . . . .	quos vehementissime increpat;
. . . . .	41-44	21,1-4	. . . . .	e contra laudat pauperculam, quae de penuria sua quadrantem obtulerat.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	12, 20-22	Gentiles petunt, ut et ipsi Dominum videre possint;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	23-36	clarificatur voce de coelo delapsa praedicitque mortem suam brevi futuram.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	37-50	Occaecati ludaei non credunt, et qui

(15) Cfr *supra* notam 10. Matthaeus diserte scribam dicit « tentantem » interrogasse; relatio Marci perversum hunc finem excludere videtur; apparens autem contradictio evanescit, si Pharisaeos quidem, uti tradit Matthaeus, hoc fine permotos esse dicimus, scribam autem, per quem interrogationem proposuerunt, bona fide egisse.

MATTH.	MARC.	LUC.	IOAN.	
				ex eis credunt, suam fidem profiteri non audent.
24,1-51	13,1-37	21,5-36	. . . . .	Quare Iudaeis relictis egressus ex civitate praedicit eversionem urbis et finem mundi, ut suos ad vigilantiam exhortetur;
25,1-13	. . . . .	. . . . .	. . . . .	quem in finem proponit parabolas de decem virginibus,
14-30	. . . . .	. . . . .	. . . . .	et de talentis,
31-46	. . . . .	. . . . .	. . . . .	quibus sententiam iudicis adiungit.
26,1-5	14,1.2	22,1.2	. . . . .	Eadem autem die pontifices consilium inierunt, ut Iesum dolo tenerent,
14-16	10.11	3-6	. . . . .	Iudas autem ad eos accessit, ut eis Dominum proderet.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	(12,36)	Iesus vero abiit et abscondit se ab eis.
				E. FERIA QUINTA.
26,17-19	14,12-16	22,7-13	. . . . .	Dominus mane Petrum et Ioannem mittit, ut coenam paschalem praeparent.
20	17	14	13,1.2	Vespere cum discipulis coenae accumbit.
. . . . .	. . . . .	15-18	. . . . .	Post primum poculum distributum
. . . . .	. . . . .	. . . . .	3-11	surgens lavat pedes discipulorum et
21	18	. . . . .	12-20	iterum recumbens explicat, quid fecerit, simul indicans inter eos adesse traditorem.
22	19	21-23	. . . . .	Qua de re conturbati inter se quaerunt, quis sit ille;
23.24	20.21	. . . . .	21-26	Dominus autem primum Ioanni,
25	. . . . .	. . . . .	. . . . .	deinde Iudae ipsi clarius eum indicat,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	27-30	efficitque, ut abeat[16].
. . . . .	. . . . .	. . . . .	31-33	Remanentibus discipulis indicat instantem suam passionem.
. . . . .	. . . . .	24	. . . . .	Exorta autem inter eos contentione, quis eorum maior esset,
. . . . .	. . . . .	25-30	34-35	humilitatem commendat mutuamque dilectionem,
. . . . .	. . . . .	31-34	36-38	et Petrum monet de futura negatione.

(16) Institutioni SS Eucharistiae traditorem non interfuisse cum plerisque modernis interpretibus censemus. Quum *Lucas* (22,19 spp.) eum adfuisse satis clare dicere videatur, mirum quidem non est, quod plerique Patres in eandem sententiam abierint; at nunquam nec in Oriente nec in Occidente defuerunt interpretes, qui oppositam censebant esse probabiliorem. Cfr *Introd.* meam *in N. T.* Ed. 2. p. 298 not.; *Knabenbauer* Comm. in S. Matth. Evang. II p. 438 sqq.

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
. . . . .	. . . . .	. . . . .	**14**,1-31	Inter coenam colloquium habuit cum Thoma, Philippo, Thaddaeo.
26,26-29	**14**,22-25	(**22**,19.20)	. . . . .	Finita autem coena instituit SS. Eucharistiam,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	31	quam institutionem, postquam surrexerunt a mensa,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	15, 1-17, 26	secuta est longior exhortatio et sublimis illa oratio pro discipulis omnibusque fidelibus.
. . . . .	. . . . .	**22**,35-38	. . . . .	Dein praeparant se ad exeundum;
3-35	26-31	. . . . .	**18**, 1	euntibus autem ad hortum Gethsemane praedicit Apostolorum scandalum et iterum Petri negationem.
36-46	32-42	39-46	. . . . .	Ingressus in hortum ter solus orat discipulis dormientibus. Agonia Domini.
47	43	47	2.3	Veniens Iudas cum satellitibus
48-50	44.45	48	. . . . .	osculo eum prodit;
. . . . .	. . . . .	. . . . .	4-9	interrogante autem Domino, quem quaerant, satellites in terram cadunt;
50-54	46.47	49.50	10.11	Petrus gladio Dominum defendens amputat Malchi auriculam,
. . . . .	. . . . .	51	. . . . .	quam Dominus tactu suo sanavit.
55-57	48-50	52-53	12	Satellites Dominum apprehendunt fugientibus discipulis,
. . . . .	. . . . .	54	12	eumque abducunt
. . . . .	51.52	. . . . .	. . . . .	frustra autem adolescentulum, qui eos sequebatur, apprehendere volunt.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	**18**,13.14	Dominus ducitur ad Annam,
57	53	54	(**18**,24)	dein ad Caipham,
58	54	54.55	**18**,15.16	sequentibus Petro et Ioanne in atrium pontificis.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	19-23	Interrogatur a pontifice solo atque alapa caeditur a satellite.
69.70	66.67	55-57	(**18**,17.18)	Negatur prima vice a Petro
71-75	68-72	58-62	**18**,25-27	atque iterum et tertio;
(**26**,67.68)	(**14**,65)	63-65	. . . . .	illuditur autem a satellitibus in atrio.
				F. Feria sexta.
26,59-66	**14**,55-64	**22**,66-71	. . . . .	Mane Dominus a Caipha et synedrio condemnatus
27,1.2	**15**,1	**23**,1	**18**,28	adducitur ad Pilatum.
3-10	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Iudas, quum hunc traditionis exitum videret, desperat.
11-14	2-5	2.3	29-32	Coram Pilato Dominus accusatus nihil respondet;

MATTH.	MARC.	LUC.	IOAN.	
. . . . .	. . . . .	. . . . .	**18**,33-38	quare procurator eum solum in praetorio interrogat nec causam ullam invenit;
. . . . .	. . . . .	**23**,4-12	. . . . .	audiens autem eum Galilaeum esse, eum adduci ad Herodem iubet, a quo Dominus illuditur.
27,15-26	**15**,6-15	13-23	39.40	Reversus ad Pilatum Barabbae postponitur,
26-29	16-19	24.25	**19**,1-3	et ad crucem postulatus flagellatur, spinis coronatur, a militibus illuditur,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	4-5	dein populo exhibetur : Ecce homo,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	6-16	ac demum tumultuantibus Iudaeis, postquam iterum Pilatus eum voluit liberare, crucifigendus relinquitur.
31	20	. . . . .	16.17	Circa h. 11. educitur in Calvariae montem,
32	21	26	. . . . .	Simon Cyrenaeus autem angariatur, ut crucem eius portet,
. . . . .	. . . . .	27-31	. . . . .	dum mulieres ierosolymitanae eum plangunt.
. . . . .	. . . . .	32	. . . . .	Cum eo ducuntur duo latrones;
33.34	22.23	. . . . .	. . . . .	in monte Calvariae vinum myrrhatum recusat,
(**27**,38)	(25.27.28)	33	18	et medius inter latrones crucifigitur;
(**27**,37)	(**15**,26)	(**23**,38)	19-22	titulo cruci infixo.
. . . . .	. . . . .	**23**,34	. . . . .	Ipse vero orat pro crucifixoribus suis,
27,35	**15**,24	34	23.24	dum milites vestes eius inter se dividunt,
39-43	29-32	35-37	. . . . .	praetereuntes autem eum blasphemant.
44	32	39	. . . . .	Similiter eum blasphemant latrones,
. . . . .	. . . . .	40-43	. . . . .	quorum alter tamen se convertit et veniam invenit.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	25-27	Stabat autem mater eius cum Ioanne et mulieribus iuxta crucem.
45	33	44	. . . . .	Ab hora 12. usque ad 3. tenebrae factae sunt;
46.47	34.35	. . . . .	. . . . .	h. 3. exclamat : Eli, Eli, lamma sabachthani,
48.49	36	. . . . .	28	et paullo post : Sitio;
. . . . .	. . . . .	46	29	quum vero a milite acetum accepisset, dicit : Consummatum est,
50	37	46	30	et emissa voce magna exspiravit.
51-53	38	(**23**,45)	. . . . .	Facta autem sunt signa multa et magna,

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
27,54	15,39	23,47	. . . . .	ita ut centurio diceret : vere Filius Dei erat,
55.56	40.41	48.49	. . . . .	atque idem confiterentur turbae. Testes autem aderant noti eius ex Galilaea.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	19,31-33	Latronum cruca frangebantur,
. . . . .	. . . . .	. . . . .	34-37	Domini vero latus lancea aperiebatur.
57.58	42-45	50-52	38	Ioseph ab Arimathaea corpus Domini a Pilato impetrat,
59.60	46	53	39-42	quod depositum a cruce in sepulcro novo collocatur;
61	47	. . . . .	. . . . .	Maria Magdalena et Maria Ioseph aspiciebant, ubi poneretur,
. . . . .	. . . . .	54-55	. . . . .	idem fecerunt aliae mulieres, quae reversae in urbem paraverunt aromata (ante inchoatum sabbatum)[17].
				G. Sabbato.
27,62-66	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Inchoato sabbato Pharisaei impetrant a Pilato, ut sepulcrum custodiatur;
. . . . .	. . . . .	23, 56	. . . . .	amici autem Iesu sabbato « siluerunt iuxta mandatum ».
. . . . .	16, 1	. . . . .	. . . . .	Post solis vero occasum Maria Magdalena cum aliis mulieribus emunt aromata[18].
				VII. Resurrectio et ascensio Domini.
. . . . .	. . . . .	24, 1	. . . . .	Dominica valde diluculo exeunt quaedam mulieres cum aromatibus, quae ante sabbatum pararant.
28, 1	16, 1	. . . . .	20, 1	Eodem fere tempore (sed paullo tardius) etiam Maria Magdalena cum aliis mulieribus exivit.

(17) Facilius et accuratius Evangelistarum narrationes videntur conciliari, si de diversis mulieribus loqui statuuntur. Maria Magdalena, Maria Ioseph (vel Iacobi) et Salome, de quibus Marcus loquitur, *finito sabbato* paraverunt aromata; una cum filiis Zebedaei et Petro domum videntur occupasse non longe a porta, quae duxit ad sepulcrum. Ioanna autem Chusae cum aliis mulieribus forsitan habitabat cum marito suo, Herodis Antipae procuratore, in palatio Hasmonaeorum, quod in monte Sion situm longius a sepulcro abest; hae autem iam *ante inchoatum sabbatum* aromata paraverant.

(18) Nonnulli etiam post occasum solis Magdalenam cum altera Maria exisse statuunt, « ut viderent sepulcrum » (*Matth.* 28,1); at rectius expressio « vespere sabbati, quae lucescit in prima sabbati » intelligitur de aurora diei Dominicae.

MATTH.	MARC.	LUC.	IOAN.	
28,2-4	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Quum essent in via, terrae motus est factus et Angelus revolvit lapidem a monumento.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	20, 2	Praecucurrerat ceteris Magdalena, et videns lapidem revolutum ad Petrum et Ioannem festinat.
5-7	16,3-7	. . . . .	. . . . .	Interea veniunt eius sociae, quibus angelus annuntiat factam resurrectionem.
. . . . .	. . . . .	24,2-8	. . . . .	(Quibus regressis versus civitatem) venit Ioanna quoque cum sociis suis atque eundem nuntium a duobus angelis audierunt.
. . . . .	8	. . . . .	. . . . .	Atque primae quidem mulieres ob timorem ea, quae viderant et audierant, discipulis non retulerunt,
8	. . . . .	9-11	. . . . .	postea autem, quum aliae idem vidissent et audissent, discipulis narrarunt, sed hi non crediderunt.
. . . . .	. . . . .	12	3-10	Interea accurrerant Petrus et Ioannes a Magdalena arcessiti et rem invenerunt, sicut mulieres dixerant.
. . . . .	9-11	. . . . .	11-18	Revertentibus illis Magdalena remanet atque Dominus ei apparet;
9-10	. . . . .	. . . . .	. . . . .	reliquis quoque mulieribus sese ostendit in via[19].
11-15	. . . . .	. . . . .	. . . . .	Custodibus, qui sacerdotibus ea, quae acciderant, annuntiant, pecunia datur, ut mentiantur.
. . . . .	12.13	13-34	. . . . .	Antequam mulieres Dominum viderant, egressi erant duo discipuli in Emmaus, quibus euntibus Dominus se adiungit.
. . . . .	. . . . .	35	. . . . .	Apparet etiam Petro soli,
. . . . .	. . . . .	36-43	19-23	et vespere congregatis discipulis omnibus, Thoma excepto.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	24-31	Dominica insequente apparet eis congregatis cum Thoma.
16-20	. . . . .	. . . . .	. . . . .	In Galilaeam profectis apparet in monte et confert missionem in universam terram.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	21,1-23	Petro, Ioanni aliisque quinque apparet ad lacum Genesareth et Petro confert primatum.

(19) Dubitari potest, annon eadem sit apparitio, quae facta est Magdalenae, et quae reliquis mulieribus facta est.

Matth.	Marc.	Luc.	Ioan.	
. . . . .	16,14-18	. . . . .	. . . . .	Reversis Ierosolyma promittit dona Spiritus,
. . . . .	. . . . .	24,44-49	. . . . .	commendat, ut Ierosolymis maneant, usque dum acceperint Spiritum S.
. . . . .	. . . . .	50	. . . . .	Educit eos in montem Oliveti, iisque
			. . . . .	benedicens
. . . . .	19	51	. . . . .	ascendit in coelum.
. . . . .	. . . . .	52.53	. . . . .	Ipsi autem manserunt Ierosolymis usque ad adventum Spiritus S.
. . . . .	20	. . . . .	. . . . .	eoque accepto profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis.
. . . . .	. . . . .	. . . . .	21,24.25	Multa alia fecit Dominus, quae scribi omnia non potuerunt.

6. *Actus Apostolorum.*

Quoniam S. Lucas Actus Apostolorum velut alteram Evangelii sui partem esse asserit, non est quod dubitemus, quin in iis conscribendis eosdem, quos in priore libro, lectores prae oculis habuerit eundemque sibi proposuerit finem. Sicut igitur in Evangelio illarum ecclesiarum gratia, quae a Paulo fundatae erant, res gestas sermonesque Domini collegit, *ut salutem per Iesum allatam omnibus hominibus communem esse doceret*, ita in Actibus ex primitivae Ecclesiae historia eandem veritatem iisdem coetibus demonstrare instituit.

Revera Evangelium virtutem suam salutarem statim inter Iudaeos manifestasse docet, quam primum Apostoli Spiritu S. repleti Ierosolymis et in Iudaea doctrinam Domini propagare coepissent; deinde idem Evangelium, postquam Petrus, princeps Apostolorum, primum ethnicum, centurionem Cornelium, baptismo in Ecclesiam recepisset, atque Apostoli ecclesiam ex ethnicis conversis collectam Barnabae missione approbassent, per Paulum inter ethnicos Galatiae, Asiae, Macedoniae, Graeciae non minorem virtutem exhibuisse. Quare apte dici quoque potest, finem scriptoris eum fuisse, ut ultimam Domini promissionem impletam demonstraret : « *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus S. in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae* » (*Act.* 1,8).

Apostolorum Actuum, qui ineunte a. 64. conscripti videntur, synopsi complementi gratia brevem adiungemus indicem chronologicum.

I. Pars prior (1,1-9,43) *Ecclesiae originem eiusque inter Iudaeos palaestinenses propagationem narrat.*

1. — *Fundatio Ecclesiae universalis eiusque initia* (1,1-2,47).

1.) *Praeparatio fundationis Ecclesiae* (1,1-26).

a.) Ante ascensionem suam Dominus se Spiritum S. esse missurum promittit foreque praedicit, ut Ecclesia sua, utpote universalis, propagetur in universo mundo (1,1-11).

b.) Post ascensionem Apostoli Ierosolyma reversi, una cum Maria matre Domini in oratione perseverantes et Spiritum promissum exspectantes (1,12-14),

moniti a Petro in Iudae traditoris locum sortibus datis Mathiam ad collegium suum, quod Ecclesiam propagare debeat, complendum eligunt (1,15-26).

2.) *Fundatio Ecclesiae universalis* (2,1-36).

a.) In die pentecostes S. Spiritus in Apostolos descendit (2,1-4) donoque linguarum eis dato diversitatem nationum iam sublatam esse manifestat Iudaeis, qui ex omni terra Ierosolyma convenerant (2,5-11).

b.) De miraculo stupentibus Petrus rem explanat (2,12-36);

α. — in se quippe suisque sociis vaticinium Ioelis (2,28 sqq.) de Spiritu, qui tempore messianico in omnem carnem sese sit effusurus, iam impleri coeptum esse (2,12-21);

β. — nam Iesum Nazarenum per Iudaeos interemtum a Deo iuxta Davidis prophetiam a mortuis esse resuscitatum (2,22-32) et nunc ad Dei dexteram exaltatum hac Spiritus effusione sese Dominum et Christum revelare (2,33-36).

3.) *Initia Ecclesiae inter Iudaeos* (2,37-47).

a.) Interrogantes autem Iudaeos, quid ergo facto sit opus, Petrus ad poenitentiam agendam et baptismum recipiendum exhortatur, atque tria millia illa die sese adiunxerunt Ecclesiae nascenti (2,37-41);

b.) internus autem Ecclesiae nascentis status erat florentissimus (2,42-47).

2. — *Propagatio et confirmatio Ecclesiae inter Iudaeos ierosolymitanos* (3,1-7,59).

1.) *Prima ecclesiae ierosolymitanae incrementa* (3,1-4,31).

a.) Petrus et Ioannes claudum ad portam templi sanantes admirationem populi excitant (3,1-11);

qua usi occasione fidem in Iesum, qui ab eis sit occisus, sed in cuius nomine claudus sit sanatus, utpote in Messiam eis commendant (3,12-18) eosque ad poenitentiam, ut fructuum messianicorum participes fiant, exhortantur (3,19-26).

Cuius praedicationis effectus fuit, ut Petrus et Ioannes quidem a principibus populi in carcerem iniicerentur, quinque millia virorum autem sese Ecclesiae adiungerent (4,1-4).

b.) Petrus et Ioannes insequente die coram synedrio fidem libere profitentur (4,5-14); prohibiti, ne amplius Evangelium propagarent, synedrio obedientiam denegant (4,15-20);

nihilominus dimissi et ad suos reversi unanimiter cum eis a Deo petunt gratiam, ut verbum divinum cum fiducia loquantur, signoque divinitus dato confortantur (4,21-31).

2.) *Primum periculum, quod interno Ecclesiae statui imminebat, miraculo avertitur* (4,32-5,11).

a.) Internus Ecclesiae status erat optimus et omnia omnibus erant communia (4,32-37);

b.) Ananias autem et Saphira, quum aliquid ab Apostolis celare

sibique retinere voluissent, subita morte perculsi magnum timorem universae Ecclesiae iniecerunt (5,1-11).

3.) *Nova Ecclesiae incrementa novam persecutionem externam provocant* (5,12-42).

a.) Innumeris suis miraculis Apostoli novos neophytos lucrati sunt (5,12-16);

b.) quamobrem ira incensum synedrium omnes Apostolos in carcerem iniecit; sed ab angelo liberati denuo in templo docuerunt (5,17-25), donec iterum apprehensi, quum magna cum libertate sese defendissent (5,26-32), a principibus, frustra resistente Gamaliele, verberibus caesi sunt (5,33-40); at de contumeliis gaudentes abierunt et ministerium suum continuarunt (5,41.42).

4.) *Electio septem diaconorum et mors protomartyris Stephani* (6,1-7,59).

a.) Crescente fidelium numero ac dissensione neophytorum hellenistarum et palaestinensium exorta Apostoli sibi septem adiutores adiunxerunt (6,1-7);

b.) quorum ex numero Stephanus mox martyrium passus est (6,8-7,59),

α. — quum enim multa signa faceret neque in disputationibus vinci posset, Hellenistae infideles eum falsis submissis testibus coram synedrio accusarunt, quod contra templum et Legem loqueretur (6,8-15).

β. — Stephani autem defensione, in qua

magnis commemoratis beneficiis, quae ante tabernaculi vel templi constructionem Deus quum patriarchis in Chanaan (7,1-8) tum eorum posteris in Aegypto (7,9-19) et Moysi mirabiliter servato et vocato (7,20-35) et per Moysen toti populo in deserto contulit (7,36-43),

ostendit eos, uti patres eorum in deserto post exstructum tabernaculum et in Palaestina post templum aedificatum, semper Spiritui S. restitisse (7,44-53);

γ. — unde magis exacerbati eum lapidarunt, Saulo consentiente neci eius (7,54-59).

3. — *Propagatio Ecclesiae inter Iudaeos per Palaestinam, Samariam, Syriam* (8,1-9,43).

1.) *Persecutionis post Stephani martyrium exortae primus fructus fuit propagatio Ecclesiae extra Ierosolyma* (8,1-40).

a.) Fideles, exceptis Apostolis, persecutione fugati Evangelium per Iudaeam et Samariam late sparserunt (8,1-4).

b. Inter dispersos Philippus Samaritanos convertit et Simonem magum ad fidem adduxit (8,5-13).

Quae quum audissent, Petrus et Ioannes Samariam profecti neophytis Spiritum S. manuum impositione contulerunt (8,14-17); Simon magus autem, qui pecuniis potestatem conferendi Spiritus obtinere voluit, ab iis reprobatus est (8,18-24).

c.) Relicta Samaria Philippus in via, quae Gazam ducit, eunuchum reginae Aethiopum convertit (8,25-35)

eoque baptizato a Spiritu S. abreptus praedicavit in civitatibus maritimis (8,25-40).

2). *Persecutionis alter fructus est conversio Sauli* (9,1-30).

a.) Saulus, qui a synedrio facultatem obtinuerat, ut fideles damascenos comprehenderet, in itinere Domini apparitione dignatus est (9,1-9); ad fidem conversus et per Ananiam baptizatus continuo per dies aliquot in synagogis damascenis Iesum esse Filium Dei docuit (9,10-21);

b.) deinde vero (in Arabiam profectus et Damascum reversus cfr *Gal.* 1,17) per multos dies fortius confundebat Iudaeos, quoniam Iesus est Christus (9,22. 23).

Quare, ne ab eis interficeretur, fugere coactus Ierosolyma se contulit, ibique, quum fideles sibi ab eo timerent, a Barnaba ad Apostolos adductus est (9,24-27).

Cum quibus per aliquot dies familiariter conversatus ob metum Hellenistarum, quos impugnavit, denuo fugere coactus per Caesaream Tarsum est reversus (9,28-30).

3.) *Prima visitatio apostolica Ecclesiarum facta per Petrum* (9, 31-43).

a.) Pace Ecclesiae reddita, Petrus omnes ecclesias nascentes per Iudaeam, Galilaeam, Samariam visitans (9,31. 32)

b.) Lyddae Aeneam paralyticum sanavit (9,33-35), in Ioppe Dorcadem virginem mortuam resuscitavit, ibique dies multos commoratus est (9,36-43).

II. Pars altera (10,1-28,31) *Ecclesiam inter ethnicos a primis Apostolis fundatam et approbatam, a Paulo latius propagatam esse enarrat.*

1. — *Primordia Ecclesiae inter ethnicos eiusque erga antiquiorem coetum caritas* (10,1-12,25).

1.) *Cornelius centurio, primus ethnicus, a Petro baptizatus* (10, 1-11,18).

a.) Cornelius, centurio cohortis italicae, ab angelo iussus domesticos quosdam in Ioppe mittit, qui Petrum arcessant (10,1-8);

Petrus autem, ante eorum adventum visione edoctus nullum hominem coram Deo esse immundum (10, 9-16 cfr 28), iubente Spiritu S. legatos sequitur Caesaream (10,17-24).

b.) Ubi a Cornelio receptus audita visione, quam ille habuerat (10,25-33), primus ethnicis Evangelium annuntiavit (10,34-43) eosque, quum in eos dona Spiritus effundi vidisset, per baptismum in Ecclesiam recepit (10,44-48).

c.) Quae quum audissent Apostoli et fratres in Iudaea, nonnulli disceptarunt contra Petrum Ierosolyma reversum (11,1-3); sed de visionibus Petro et Cornelio factis et de donis Spiritus in gentiles effusis edocti (11,4-17) cognoverunt « etiam gentibus Deum poenitentiam dedisse ad vitam » (11,18).

2.) *Prima ecclesia ex ethnicis conversis fundata Antiochiae et approbata ab Apostolis* (11,19-26).

a.) Aliqui Hellenistae conversi Antiochiae gentilibus Evangelium annuntiaverunt et multos converterunt (11,19-21);

b.) quod quum rescivissent, Apostoli factum approbantes Barnabam miserunt, qui cum Saulo, quem adiutorem arcessivit, quam plurimos ad fidem adduxit, (ab ethnicis, ut videtur) Christianorum nomine appellatos (11,22-26).

3.) *Caritas novae ecclesiae erga antiquiorem* (11,27-12,25).

a.) Prophetae ierosolymitani magnam famem futuram annuntiarunt, quare Christiani antiocheni per Barnabam et Saulum eleemosynas miserunt fidelibus ierosolymitanis (11,27-30).

b.) Eodem tempore Herodes Agrippa I. persecutionem movit contra ecclesiam ierosolymitanam, Iacobum Mai. occidit, Petrum in carcerem iniecit (12,1-5); at hic ab angelo liberatus in aliam terram se recepit (12,6-17), Agrippa vero paullo post ignominiosa morte abreptus est (12,18-23).

c.) Expleto caritatis ministerio Barnabas et Saulus Antiochiam reversi sunt assumto Ioanne Marco (12,24. 25).

2. — *Propagato Evangelio inter ethnicos Cypri et Asiae Min. meridionalis, dissidium de legalibus, excitatum a Iudaeochristianis, concilio apostolico componitur* (13,1-15,35).

1.) *Barnabae et Sauli primum iter apostolicum* (13,1-14,27).

a.) Barnabas et Saulus a Spiritu S. electi, ut Evangelium aliis terris annuntiarent (13,1-3), assumto Marco navigaverunt Cyprum universaeque insulae ipsique proconsuli Sergio Paulo, frustra resistente Elyma mago, verbum Dei cum fructu annuntiarunt (13,4-12).

b.) Inde per Pergen Pamphyliae, ubi Marcus ab eis recessit, Antiochiam Pisidiae venerunt (13,13. 14); cuius in civitatis synagoga Paulus longiore sermone, historia populi electi usque ad Davidem paucis adumbrata (13, 15-22), Salvatorem ex Davidis semine promissum iam apparuisse quum ex Ioannis praecursoris testimonio (13,23-25),

tum ex Domini morte vaticiniis consona (13,26-29) atque maxime ex occisi resuscitatione (13,30-37) tanta cum vi demonstravit, ut invitationi eius ad fidem et poenitentiam (13, 38-41) multi ex Iudaeis et proselytis obsecuti sint (13,42.43).

c.) Sequente autem sabbato quum alii Iudaei ei contradicerent blasphemantes, Paulus et Barnabas relictis Iudaeis inter gentiles per totam regionem verbum Dei sparserunt, donec seditione a Iudaeis excitata ex civitate sunt eiecti (13,44-52).

d.) Similes quoque fructus tulerunt similesque persecutiones experti sunt in Lycaonia, quum Iconii (14,1-6),

tum Lystris, qua in civitate primum quidem ethnici eis velut diis sacrificare voluerunt (14,7-17), postea a Iudaeis antiochenis excitati Paulum lapidarunt (14,18).

d.) Nova demum ecclesia in Derbe fundata, eadem via, qua venerant, reversi sunt Pergen, indeque Antiochiam Syriae profecti primam expeditionem terminarunt (14,19-27).

2.) *Dissidium de legalibus, Antiochiae a Iudaeochristianis provocatum, decreto concilii ierosolymitani componitur* (14,27-15, 35).

a.) Antiochiae Paulus et Barnabas satis diu commorati (14,27), dissidio de Lege mosaica num gentiles conversos ligaret exorto, Ierosolyma sunt missi, ubi Pharisaeis nonnullis vim Legis etiam ad gentes intendentibus « convenerunt Apostoli et seniores videre de verbo hoc » (15,1-6).

b.) (Postquam in privato hoc consessu approbata est Pauli doctrina de libertate ethnicorum a Lege cfr *Gal.* 2,3-10),

eam in publica sessione Petrus veram esse demonstravit (15,7-11), Paulus et Barnabas miraculis inter gentiles perpetratis confirmaverunt (15,12),

Iacobus autem antiquis vaticiniis conformem esse ostendit (15,13-18), atque decretum proposuit, quo ethnicis conversis sola abstinentia a nonnullis rebus per se indifferentibus imponebatur, quae intimiori eorum cum Iudaeochristianis unioni obstaculum obiicere videbantur (15,19-21).

c.) Quod decretum ab omnibus approbatum per Iudam Barsabam et Silvanum una cum Paulo et Barnaba proficiscentes transmissum est Antiochiam (15,22-29) ibique ab omnibus cum gandio acceptum (15,30-35).

3. — *Propagatio Evangelii inter ethnicos Macedoniae, Achaiae, provinciae Asiae* (15,36-21,15).

1.) *Pauli secunda expeditio apostolica* (15,36-18,22).

a.) Brevi postea, Barnaba et Marco in Cyprum proficiscentibus, Paulus cum Sila ecclesias asiaticas pridem fundatas visitavit

(15,36-41), atque altero itineris socio Timotheo assumto (16,1-3) ad novam expeditionem se accinxit (16,4. 5).

b.) Praeprimis in Macedonia ecclesias fundavit (16,6-17,15).

α. — A Spiritu S. quippe in Asia (proconsulari) praedicare prohibitus et coelesti visione in Macedoniam invitatus (16,6-10) Paulus cum sociis Philippos venit ibique Evangelium cum fructu annuntiavit (16,11-15).

β. — Accusatus autem, eo quod daemonium eiecerat, cum Sila a magistratibus flagellari et in carcere includi iussus est (16,16-23),

at divino signo vinculis solutus custodem carceris ad fidem adduxit (16,24-34) et postridie a magistratibus velut civis romanus honorifice dimissus est (16,35-40).

γ. — Thessalonicam igitur profectus ibi quoque ecclesiam fundavit (17,1-4), donec Iudaeis iterum seditionem moventibus Beroeam fugere coactus (17,5-10),

atque illa quoque ex civitate, in qua maiores fructus tulerat, Iudaeorum machinationibus eiectus, sociis suis in Macedonia relictis, Athenas se recepit (17,11-15).

c.) Deinde provinciae Achaiae ac praesertim Corintho Evangelium attulit (17,16-18,22).

α. — Athenis in synagoga cum Iudaeis et in foro cum ethnicis disputavit (17,16-18) atque etiam in Areopago Atheniensibus Deum, quem ignorantes coluerunt, annuntiavit (17,19-23);

sed quum divinis attributis adumbratis (17,24-29) ad Christum praedicandum transisset et resurrectionem eius annuntiaret (17,30. 31), ab iis irrisus est, paucis tantum credentibus (17,32-34).

β. — Itaque Corinthum profectus est et apud Aquilam et Priscillam deversatus prius in synagoga Iudaeis Evangelium praedicavit (18,1-5);

quibus contradicentibus et blasphemantibus in domo Titi Iusti ad ethnicos maiore cum fructu verba fecit divina visione confortatus (18,6-11)

atque frustra Iudaei eum apud Gallionem proconsulem accusare conati sunt (18,12-17).

γ. — Nihilominus aliquanto tempore post cum Aquila et Priscilla profectus Ephesum venit illisque ibi relictis per Ierosolyma reversus est Antiochiam (18,18-22).

2.) *Tertia expeditio apostolica Pauli* (18,23-21,15).

a.) Antiochiae aliquanto tempore commoratus novo itinere Paulus ecclesias in Asia Min. fundatas visitavit; interea Aquila et Priscilla Ephesi Apollo Alexandrinum ad fidem ad-

duxerant, qui deinde in Achaiam profectus multum contulit his qui crediderant (18,23-28).

b.) Eo autem tempore, quo Apollo erat Corinthi, Paulus Ephesum advenit, ibique non tantum aliquos discipulos Ioannis B. in Ecclesiam recepit (19,1-7), sed etiam tribus mensibus in synagoga et duobus annis in schola Tyranni cuiusdam tanto cum successu Evangelium praedicavit (19,8-10) miraculisque confirmavit, ut per totam provinciam Evangelium innotesceret et confirmaretur (19,11-20).

Quin etiam tantus erat gentilium conversorum numerus, ut Demetrius argentarius, quia suum idolorum commercium deperire videbat, seditionem concitaret (19,21-29) qua Apostolus urbem relinquere coactus est (19,30-40).

c.) Epheso igitur profectus Macedoniae et Graeciae ecclesias visitavit (20,1. 2), ut deinde Ierosolyma reverteretur (20,3-6).

Quo in itinere Troade adolescentem Eutychum ad vitam revocavit (20,7-12), et Ephesum praetervectus (20,13-16) Mileti presbyteros ephesinos monitis suis ad futura pericula praeparavit (20,17-38),

Tyri autem et Caesareae de instante sua captivitate edoctus est (21,1-15).

4. — *Paulus Ierosolymis in vincula coniectus et captivus Romam adductus de Domino est testificatus* (21,16-28,31. *Cfr* 23,11; 1,8).

1). *Pauli captivitas Ierosolymis et Caesareae* (21,16-26,32).

a.) Ierosolymis a Iacobo monitus, ut ad Iudaeorum calumniam refellendam votum in templo solveret (21,16-25), Paulus a Iudaeis asianis Legis contemtae et templi violati accusatus, atque per tribunum romanum aegre dumtaxat populo exacerbato ereptus est (21,26-36).

Permissione obtenta (21,37-40) narratione suae conversionis (22,1-16) et divinae missionis suae iram populi lenire frustra conatus (22,17-21) in castra romana abductus, sed ibi, utpote civis romanus, benigne tractatus est (22,22-30).

b.) Postridie in synedrio causam dicere iussus, quum iustum iudicium se non obtenturum videret, stratagemate usus eorum iudicio se subtraxit (23,1-10);

quia vero Iudaei in eius mortem coniuraverant (23,11-22) tribunus eum Caesaream ad praesidem misit (23,23-35).

c.) Caesaream eum secuti sunt summus pontifex et seniores, ut eum coram praeside Felice accusarent (24,1-9),

at Paulus ita sese defendit (24,10-21), ut praeses eum benigne tractaret, licet eum, ut gratiam praestaret Iudaeis, non dimitteret (24,22-27).

Biennio Caesareae expleto Felix successorem habuit Festum, coram quo iterum causam dicere iussus Paulus Caesarem appellavit (25,1-12).

d.) Paucis diebus postea coram Herode Agrippa eiusque sorore Berenice, qui Festi salutandi causa Caesaream venerant, loqui iussus (25,13-27), Paulus causam ita egit (26,1-23), ut ipsi Agrippae fere persuaderet, ut Christianus fieret, omnesque cum rege censerent, eum dimitti potuisse, nisi Caesarem appellasset (26,24-32).

2.) *Pauli iter romanum* (27,1-28,15).

a.) Cum aliis captivis Iulio centurioni traditus, ut Romam duceretur, post longum et infelix iter (27,1-26) tandem in insula Melita naufragium fecit (27,27-44).

b.) Incolarum, a quibus naufragi bene recepti sunt, tantam admirationem Apostolus multis miraculis provocavit, ut magnis honoribus eum cumularent (28,1-10).

c.) Ineunte vere profectus Romam advenit occurrentibus ei fratribus (28,11-15).

3.) *Paulus biennio Romae captivus Evangelium annuntiat Iudaeis et ethnicis* (28,16-31).

a.) Tertio die post suum adventum primos Iudaeorum ad se advocavit, ut illis explicaret, cur Caesarem appellasset, occasionemque annuntiandi Evangelii obtineret (28,16-22).

b.) Sed quoniam praedicatione sua inter Iudaeos nihil effecit, ad ethnicos se convertere maluit (28,23-29),

et per biennium omnibus, qui ad ipsum venerunt, praedicavit « regnum Dei, docens quæ sunt de Domino Iesu Christo cum omni fiducia sine prohibitione » (23,30. 31).

Indiculus chronologicus ad Actus Apost. [1].

Anni aer. Dion.	
29.	Post Domini ascensionem misso S. Spiritu Ecclesia fundata est ac primis acceptis incrementis laeta habuit initia (1,1-2,47).
29.-33.	Apostolorum deinde miraculis et praedicatione Ierosolymis in dies aucta feliciter superavit prima pericula (3,1-6,7).
33.	Post S. Stephani martyrium autem (6,8-7,59) fideles, quum graviore exorta persecutione Ierosolyma relinquere cogerentur, Evangelium per Iudaeam et Samariam spargere coeperunt (8,1-40).
34.-37.	Saulus autem ad neophytos vexandos Damascum profectus, in itinere, Domino ei apparente, ad fidem conversus est (9,1-19); sed quum

(1) In hac chronologia a. 29. pro narrationis initio et a. 64. pro eius termino ac similiter a. 44. pro Herodis Agrippae I. persecutione Apostolorum ac morte omnino recte assignari censemus; reliqui autem anni maiore minoreve cum probabilitate iuxta epistolarum paulinarum indicationes definiti sunt.

Anni aer. Dion.	
	(*post tres annos* Damasci et in Arabia peractos cfr *Gal.* 1,17 sq.) ut Petrum videret, Ierosolyma reversus esset, propter Hellenistarum odium Tarsum se recepit (9,20-30).
38.-39.	Petrus deinde, ecclesiis Iudaeae et Samariae visitatis (9,31-43), in Ioppe de gentium vocatione edoctus primos ethnicos, Cornelium cum eius familia, baptizavit (10,1-48), dubitantibusque Iudaeochristianis nonnullis se recte egisse probavit (11,1-18).
40.-43.	Haud diu post Antiochiae exorta est ecclesia ethnicochristiana, quam Apostoli misso Barnaba approbarunt, Barnabas autem cum Saulo, quem Tarso accersivit, praedicationibus suis auxerunt (11,19-26),
44.	Porro fame Iudaeae imminente Barnabas et Saulus eleemosynas Antiochenorum Ierosolyma ad presbyteros detulerunt illo tempore, quo Herodes (Agrippa I.), postquam Apostolos persecutus erat, morte occubuit (11,27-12,23).
45.	Expleto autem illo ministerio Antiochiae consuetis laboribus vacarunt (12,24.25),
46.-49.	sed mox a Spiritu S. electi primam expeditionem apostolicam in Cyprum et in Pamphyliam, Pisidiam, Lycaoniam (i. e. meridionales provinciae Galatiae partes) magno cum fructu susceperunt (13,1-14,24).
50.-51.	Antiochiam reversi ibique « non modicum tempus » commorati (14, 25.26), quum de legalium observatione dissidium exortum esset, Ierosolyma proficisci debuerunt, ubi in concilio apostolico controversia composita est (15,1-34).
51.-54.	Deinde Paulus a Barnaba se separans secundum iter apostolicum ingressus, ecclesiis Syriae Galatiaeque meridionalis visitatis (15,35-16,4) in Europam transgressus ecclesias quum Philippis, Thessalonicae, Beroeae in Macedonia, tum Athenis ac praesertim Corinthi in Graecia fundavit (16,5-18,17).
54.	Corintho per Ephesum, Caesaream, Ierosolyma reversus est Antiochiam (18,18-22).
55.-59.	Ibi « aliquanto tempore » tantum commoratus tertiam expeditionem maiorem suscepit, in qua ecclesiis Galatiae Phrygiaeque denuo visitatis Ephesi triennium consedit (18,23-19,40) ac dein per Macedoniam in Graeciam profectus inde longo circuitu per Macedoniam Asiaeque oram Ierosolyma venit (20,1-21,15).
59.	Ubi circa festum pentecostes in vincula coniectus (21,16-23,11).
59.-61.	ob Iudaeorum autem insidias mox Caesaream transmissus ibi per biennium a Felice praeside captivus retentus est (23,12-24,26).
61.-62.	Quo biennio expleto a Festo, Felicis successore, auctumno ad Caesarem missus vere insequente Romam advenit (24,27-28,15),
62.-64.	ibique alterum biennium in custodia libera peregit (28,16-31).

V

DIDACTICORUM N. T. LIBRORUM

SYNOPSES.

I. — Epistolae Paulinae.

1. — *Epistola B. Pauli Apostoli ad Romanos.*

Gentium Apostolus, postquam quatuordecim fere annis magnam Orientis partem « ab Ierosolymis per circuitum usque ad Illyricum » evangelizavit, extremo Occidenti laetum nuntium afferre Hispaniamque iugo Christi subiicere sibi proposuit. In itinere autem hispanico romanam ecclesiam videre romanisque fidelibus « aliquid impertire spiritualis gratiae ad confirmandos eos » desideravit. Sed Romae diu permanere nolens iter suum quodam modo praeparandum duxit, expositis summis praedicationis suae capitibus, ut brevis sua inter eos commoratio fructum aliquem producere posset. Haec *occasio* fuit epistolae ad Romanos, quam S. Paulus versus finem tertii sui itineris apostolici (exeunte a. 58. aut ineunte a. 59.) Corinthi scripsit.

« In epistola hac, inquit *S. Augustinus*, quantum ex eius textu colligi potest, quaestionem habet talem : utrum Iudaeis solis Evangelium D. N. Iesu Christi venerit propter merita operum Legis, an vero, nullis operum meritis praecedentibus, omnibus gentibus venerit iustificatio fidei, quae est in Christo Iesu, ut non quia iusti erant homines crederent, sed credendo iustificati dein iuste vivere inciperent. Hoc ergo docere intendit, *omnibus* venisse gratiam Evangelii D. N. Iesu Christi. Quod propterea etiam gratiam vocari ostendit, quia non quasi debitum iustitae redditum est, *sed gratuito donatum.* » Ac profecto Apostolus hac epistola *in Evangelio viam ac rationem manifestatam esse, quam Deus ad omnes hominęs salvandos elegerit,* ita explanat, ut *iustificationis per fidem vivam obtinendae universalitatem et gratuitatem* domonstret atque simul ostendat, *quid haec doctrina a fidelibus postulet.* Unde praeter exordium et epilogum epistola duas partes complectitur, priorem dogmaticam *de iustificationis gratia omnibus et solis credentibus oblata,* alteram paraeneticam *de variis officiis fidelium.*

I. Exordium (1,1-15) *duobus membris constat :*

1.) *inscriptione longiore* (1,1-7),

qua apostolico suo munere indicato (1,1) evangelicae praedicationis sibi commissae dignitatem ex divina illius origine (1,2) et sublimi illius argumento commendat (1,3. 4) apostolatumque suum

ad omnes gentes, ergo etiam ad Romanos pertinere monet (1,5-6), quamque gratiae apprecatione terminat (1,7);

2.) *captatione benevolentiae quadam* (1,8-15)

quatenus una ex parte a gratiis Deo agendis pro more suo exorsus Romanorum fidem toto in orbe celebratam memori piaque mente recolit (1,8);

altera vero ex parte bonam suam erga eos voluntatem manifestat, quae ex continuis suis pro eis precibus (1,9. 10) et ex continuo suo eos adeundi desiderio eluceat (1,11. 12).

Quod desiderium suum ex ipsa sua vocatione derivat, qua omnibus debitor factus etiam Romanis fructum sui ministerii afferre cogatur (1,13-15).

II. Pars prior dogmatica (1,16-11,36) de iustificationis gratia omnibus et solis in Christum credentibus oblata.

Brevi prooemio thesin divisionemque tractatus indicat (1,16.17).

Thesin quippe suam, *Evangelium virtutem Dei esse in salutem omni credenti, Iudaeo primum et Graeco* expositurus primum fidem evangelicam omnibus hominibus sine distinctione unicam esse salutis viam *demonstrat* (1,18-4,25), deinde eandem fructibus ac proprietatibus iustitiae, quae ex fide est, descriptis *commendat* (5,1-8,39), demum eam cum promissionibus, quae Iudaeis datae sint, plane consonare *vindicat* (9,1-11,36).

Sect. I. — *Quid evangelica fides ad salutem omnibus conferendam valeat* (1,18-4,25).

Hominem in triplici statu legis naturalis, legis mosaicae, legis evangelicae considerans omnes, sive in lege naturali (uti gentiles) sive in lege mosaica (uti Iudaei) degant, utpote peccato obnoxios sub ira Dei esse (1,18-3,20), in Evangelio autem viam ad salutem omnibus esse apertam (3,21-4,25) demonstrat.

1. — *Sine fide Iesu Christi nulla habetur iustitia, seu ethnici pariter ac Iudaei peccato obnoxii et sub ira Dei sunt* (1,18-3,20).

1.) *Revelatur ira Dei super gentes* (1,18-32).

a.) Nam ethnici, quamquam Deum verum cognoscere debuerunt et ex eius operibus cognoscere potuerunt (1,19. 20), ei tamen debitum honorem non exhibuerunt, atque licet sapientes se esse putaverint, in absurdam idololatriam sunt prolapsi (1, 21-23);

b.) iamvero in huius turpissimae idololatriae poenam Deus quasi iuxta talionis legem permisit, ut idololatrae in turpissima peccata prolaberentur, immunditiae aliisque omnis generis vitiis dediti, quamvis cognoscerent, non tantum eos, qui illa peragerent, sed etiam eos, qui illa approbarent, gravissima dignos esse poena (1,24-32).

2.) *Iudaeos quoque ob sua peccata sub ira divina esse accuratius ostenditur* (2,1-3,8).

a.) Coram iusto enim iudicio divino Iudaei in maiore culpa quam ethnici sunt (2,1-24).

α. — Namque nemini sperare licet se iudicium Dei, qui secundum veritatem iudicat, effugiturum, quum unumquemque iuxta eius opera iudicaturus sit (2,1-8),

β. — idque sine personarum distinctione iuxta normam, quam Iudaei in sua Lege scripta, alii in lege cordibus insculpta possideant (2,9-16).

γ. — Iuxta hanc normam autem Iudaei in maiore culpa sunt, quia de Legis scientia gloriantes aliorum duces esse velint, eadem autem peccata committentes divinam Legem contemtui gentium exponant (2,17-24).

b.) Neque suis praerogativis Iudaei sese ab ira divina tueri valebunt (2,25-3,8).

α. — Frustra ad circumcisionem suam provocant, siquidem illa, nisi Lex observatur, nihil prodest; si quis autem incircumcisus Legem observat, haec observatio coram Deo circumcisionem supplet; Deus enim non carnis, sed cordis quaerit circumcisionem (2,25-29).

β. — Neque hac doctrina omnis differentia Iudaeos inter et gentiles tollitur. Namque sua Iudaeis manent privilegia, atque imprimis concredita illis sunt eloquia (promissiones) Dei. (Alia privilegia Apostolus hoc in loco argumento suo inhaerens omittit postea, praesertim 9,4 sqq., illa allaturus). Aliquorum autem infidelitas has promissiones, quum Deus fidelis sit, irritare nequit, sed Dei fidelitatem et iustitiam magis manifestabit (3,1-4). Ex quo tamen absurde aliquis deduceret, Deum infidelitatem, quandoquidem ad suam ipsius gloriam manifestandam inserviat, non esse puniturum : Deus enim iustus est, nec facienda sunt mala, ut eveniant bona (3,5-8).

3.) *Argumento scripturistico Iudaeos et Graecos pariter sub peccato esse constat* (3,9-20).

a.) Iudaei enim, etsi sua habeant privilegia, non simpliciter praestant ethnicis, quia omnes peccato sunt obnoxii (3,9). Nam multis Scripturae testimoniis nullum hominem iustum esse coram Deo constat (3,10-18).

b.) Neque testimonia haec de solis ethnicis intelligere licet, siquidem ea, quae in Scripturis dicuntur, proxime ad eos spectant, quibus Scripturae datae sunt (3,19). Unde merito Apostolus colligit, Legem ipsam hominem non iustificare, sed cognitionem solam peccati ei exhibere (3,20).

2. — *Per fidem Iesu Christi obtinetur iustitia* (3,21-4,25).

1.) *Vera iustitia ex fide Iesu Christi est omnibusque credentibus gratis confertur* (3,21-30).

a.) Quoniam igitur neque legi naturali neque Legi mosaicae, uti demonstratum est, virtus iustificandi competit, omnibus qui iustitiam Dei adipisci volunt, ea via ingredienda est, quae in Evangelio revelata et a Lege et prophetis testificata est (3,21). Evangelium autem nobis ostendit iustitiam ex fide in Christum eamque omnibus sine distinctione destinatam (3,22); omnes quippe illa eodem modo carere illamque eadem via ex gratuito dono Dei accipere, quum Christus passione sua pretium illius solverit (3,23-26).

b.) Unde clare apparet inanem esse Iudaeorum gloriationem, quum haec iustitia ex operibus Legis non sit, sed ex fide, et ad omnes homines sese extendat, quia Deus non minus est gentilium, quam Iudaeorum Deus (2,27-30).

2.) *Iustitiam autem ex fide esse gratisque omni credenti conferri non est contra Legem* (3,31) *sed ex contrario a Lege et prophetis docetur* (4,1-25).

a.) Eam enim *gratuitum* credentis donum esse Abrahami exemplo et Psalmistae testimoniis constat (4,1-8)

α. — Abraham quippe Lege teste non ex operibus iustificatus est; sed credenti Abrahamo fides *reputata est* in iustitiam; ergo eam non velut mercedem operum suorum, sed credens tamquam donum gratuitum accepit (4,1-5).

β. — Similiter iustitiam velut gratuitum donum David celebrat beatum dicens hominem, cui Deus ob suam misericordiam veniam peccatorum concedat (4,6-8).

b.) Neque minus Abrahami exemplo *universalitas* iustitiae quae ex fide est, docetur (4,9-17).

α. — Nam S. Scriptura ei hanc iustitiam iam ante eius circumcisionem attribuit, ita ut circumcisio ei non fuerit nisi signaculum iustitiae iam antea acceptae; ante circumcisionem autem (per fidem) accepit iustitiam, ut demonstraretur pater omnium credentium incircumcisorum, quibus etiam fides reputatur ad iustitiam, et pater credentium circumcisorum, qui fidem cum circumcisione coniungunt (4,9-12).

β. — Neque promissio hereditatis Abrahamo seminique eius facta Legi erat alligata; secus iam esset abolita, quia Lex per se hominem irae divinae subiicit (4,13-15); sed fide nititur, quum hac sola ratione verificari possit promissio omni semini facta, ad quod semen teste Scriptura pertinent etiam gentes (4,16. 17).

c.) Demum Abrahami exemplo edocemur, quaenam fides iustificet (4,18-25).

α. — Nam eiusmodi fuisse ostenditur eius fides, ut humanis rationibus, quas promissionibus obstare videbat, non moveretur, sed sine ulla diffidentia vel haesitatione Deo promittenti credens divinam omnipotentiam glorificaret (4,18-22).

β. — Haec autem de eius fide scripta sunt, ut omnes eandem imitantes, quemadmodum ille ex fide iustificatus est, ipsi quoque iustificentur credentes Iesum propter nostra peccata esse mortuum et resurrexisse ad gratiam nobis applicandam (4,23-25).

SECT. II. — *Quanta sit Evangelii virtus in salutem, sive de fructibus iustitiae, quae ex fide est* (5,1-8,39).

1. — *Primus fructus est pax cum Deo*[1] *et spes gloriae filiorum Dei, quae inde dependet* (5,1-21).

1.) *Christus enim credentes cum Deo reconciliavit certamque gloriae spem eis acquisivit* (5,1-11).

a.) Quia scilicet credentes per Christum ad iustitiam pervenerunt, per eum etiam pacem cum Deo habent (5,1. 2) talemque gloriae spem, ut in ipsis tribulationibus gloriari possint, utpote mercedis aeternae certi, cuius arrham, Spiritum S., iam acceperint (5,3-5).

b.) Quod assertum quasi a fortiore probatur : Nam si Christus maximum suae caritatis documentum pro nobis inimicis suis moriens nobis exhibere non recusavit (5,6-8), multo magis nunc, quum sanguine eius iustificati simus, liberi erimus ab ira Dei et cum Deo reconciliati a Filio glorificato salutem obtinebimus (5,9. 10); quin etiam iam nunc de ea gloriari in Deo nobis licet (5,11).

2.) *Sicut enim per Adamum condemnatio, ita per Christum salus* (5,12-21).

(Ne quis in eo inveniat difficultatem, quod per unum Christum pro omnibus morientem omnia iustitiae gloriaeque bona

1. De lectione 5,1 non satis constat; cum Vulgata (« Iustificati ergo ex fide pacem *habeamus* ») atque plerisque aliis versionibus et nonnullis Patribus multi boni codd. graeci legunt coniunctivum, attamen Peschito cum aliis bonis codicibus aliisque Patribus habent indicativum. Quam lectionem cum Toleto et Estio praeferendam censuimus ob contextus rationem; « nondum enim adhortationi, sed doctrinae adhuc intendere Apostolum », rectissime monet Estius; illud quoque, quod sequitur : « et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei », procul dubio est coordinatum nostro « pacem habemus »; ex *v.* 3. enim satis clarum est, illud ab uno ex pronominibus relativis, quae praecedunt, dependere non posse.

credentibus obvenire asserantur, Paulus diffusionem iustitiae ac salutis cum origine ac propagatione peccati et mortis comparans eandem relationem inter Christum et eos qui ex eo renascuntur, quod ad iustitiam vitamque aeternam attinet, intercedere ostendit, quae inter Adamum et eius posteros relate ad peccatum et mortem, poenam peccati, adesse concediture).

a.) Sicut enim per unum hominem (Adam peccatum originale in totum genus humanum propagatum est (id quod ex universalitate mortis, poenae illius peccati, elucet), ita per unum Christum, qui Adami antitypus est, iustitia et vita in omnes transiit (5,12-14).

b.) Immo gratiam ad omnes facilius transire, ex eius natura ac maiore efficacia apparet, quandoquidem non illud unum peccatum deleat, sed etiam omnia peccata proprio actu ab hominibus commissa (5,15-17).

c.) Quibus dilucidationis et confirmationis causa quasi parenthetice insertis, comparatio *v.* 12. indicata clarius repetitur et explicatur (5,18.19).

d.) Ne vero universale illud peccati regnum adveniente Lege iam destructum esse obiiciatur, Legem numerum et gravitatem delictorum auxisse additur, ut clarius splendesceret virtus gratiae et iustitiae (5,20. 21).

2. — *Alter iustitiae fructus est immunitas a peccati (i. e. habitualis concupiscentiae ex originali peccato exortae) servitute* (6,1-23).

1.) *Iustificati enim, utpote Christo morienti inserti, peccato (i. e. respectu peccati) sunt mortui* (6,1-14).

a.) Eis qui peccato (i. e. respectu peccati) sunt mortui, non iam licere in peccato permanere praefatus (6,1. 2) Apostolus Christianos peccato mortuos esse ex caeremoniis baptismi ostendit, quo Christo morienti et sepulto inserti cum eo ad novam vitam resurrexerint, in qua deinceps eis sit degendum (6,3-5).

b.) Quae accuratius explanat (6,6-14),

α. — primum quidem ex eo, quod vetus noster homo cum Christo mortuus sit, concludens nos a servitute peccati liberos esse et liberos manere debere (6,6. 7),

β. — deinde vero ex eo, quod cum Christo semper victuro in baptismo resurreximus, deducens nos semper, sicut Christus, cum Deo vivere debere (6,8-10);

γ. — unde tandem sua sponte sequitur monitum, ut caveamus, ne peccati servituti nos iterum subiiciamus membrisque nostris ad peccandum abutamur (6,11-13); id

enim evitare nos posse, quia non amplius sub Legis, sed iam sub gratiae dominio degamus (6,14).

2.) *Iustificati autem, quia peccato sunt mortui, iustitiae servire possunt ac debent* (6,15-23).

a.) Perversam conclusionem, Christianis, quia non amplius sint sub Lege, peccandi licentiam esse concessam, reiiciens (6,15) Paulus eo ipso, quod ex peccati servitute sint liberati, eos factos esse servos iustitiae concludit (6,16-18);

b.) quapropter eos suis membris, quibus antea peccato servierunt, nunc eodem saltem cum ardore iustitiae servire debere (6,19); id enim et aequum esse (6,20) et necessarium, quia peccati servitus mortem, iustitiae vero servitus vitam aeternam afferat (6,21-23).

3. — *Tertius iustitiae fructus est liberatio a servitute Legis* [1] (7,1-25).

1.) *Iustificati a Legis quoque dominatu mystica sua in baptismo morte sunt soluti* (7,1-6).

a.) Lectoribus suis in memoriam revocans, Legem solis vivis dominari, idque ex lege matrimoniali illustrans, quae uxorem, quamdiu eius vir (ac proinde ipsa quoque, quatenus cum illo est una caro) vivat, alteri nubere vetet, ei autem post viri sui mortem (in qua ipsa mystice commoritur) alterum matrimoniuum concedat (7,1-3), Paulus etiam neophytos, utpote cum Christo mystice commortuos, a Legis dominio iam exemtos esse concludit, idque eo fine, ut cum Christo corresuscitati in nova sua cum eo vita fructus iustitiae Deo afferant (7,4).

b.) Quam conclusionem diversitate duorum statuum descripta confirmans eos non amplius, uti olim in statu Legis, morti, sed nunc iam, quum a Lege mortis sint liberati, Deo fructificare posse ac debere docet (7,5. 6).

1. Non abs re erit ad hanc expressionem explicandam ea adscribere, quae habet *Toletus* (in Rom. 7. Adnot. 1) : « Attendendum est haec maxime differre, cessasse Legem et cessasse dominium et statum Legis, quod idem est, ac non esse sub Lege. Lex enim non tota cessavit, manet enim lex moralis et decalogi in Evangelio...; et tamen non dicimur esse sub Lege aut sub servitute Legis; haec enim cessarunt et non sunt adveniente Evangelio, quia Legem dominari aut esse sub servitute Legis est esse in statu Legis, in quo Lex pura consideratur; in quo statu homo non habet vires, quibus impleat praecepta Legis. Lex enim, quantum ex se est, obligat, virtutem tamen non dat, qua quod iubet fiat; hoc enim facit virtus fidei et gratiae, quae ad Evangelium pertinet. Qui ergo in Legis statu erant, sub Lege et dominio eius esse dicebantur, a quo statu et dominio Legis Evangelium liberat, quia secum habet gratiam, per quam Lex impletur. Quae quidem gratia dabatur olim in statu Legis exsistentibus, at non ratione status, sed propter futurum Christum, in quem fide et spe et caritate ferebantur, quae ad Evangelium proprie pertinebant, quod Christum annuntiat et praedicat ».

2.) *Ne vero Legem divinitus datam, quum eam legem mortis appellet et morti fructificare insinuet, despicere credatur, accuratius exponit, quae Legis ad peccatum (sc. originale et quidem ad eius partem quasi materialem seu ad perversam concupiscentiam) sit relatio* (7,7-25).

a.) Atque primum quidem Legem sanctam esse eamque non ipsam sed eius occasione peccatum (concupiscentiam) hominem ad mortem adducere docet (7,7-13).

α. — Lex quippe hominem ad cognitionem peccati (concupiscentiae) adducit, ipsa autem concupiscentia cognitione Legis quodammodo ad novam vitam excitatur suasque vires exserere incipit (7,7. 8).

β. — Quae quasi sua experientia Paulus (personam Iudaei peccatoris induens) confirmat addens sese, quum ante Legis cognitionem innocens degisset, a concupiscentia per Legem, quae data erat ad vitam, excitata seductum atque ita (indirecte) per Legem ipsam in mortem (spiritualem) iniectum esse (7,9-11).

γ. — Unde colligit, Legem sanctam quidem esse, illam autem esse datam, ut peccatum (concupiscentia) eo ipso, quod illam perverse adhiberet, totam suam perversitatem manifestaret (7,12. 13), homo ergo ad gratiam Christi confugere cogeretur.

b.) Re autem vera non Legem sed peccatum (rebellem concupiscentiam) homini mortem inferre, Apostolus ex eo probat, quod Legis sanctitate non obstante homo sub Lege degens carnalis et servus peccati sit (7,14-25).

α. — Personam igitur agens Iudaei nondum regenerati[1] ex eo, quod illud semper agat, quod non vult et odio habet, concludit se quidem Legem approbare, sed a peccato (concupiscentia) ad agendum abripi, ita ut non tam ipse agat, quum peccatum in se habitans (7,14-17).

1. Inde a S. Augustini aetate celebris est controversia, utrum Apostolus pronomine *ego* (7,14-24) in persona hominis sub peccato constituti loquatur, an in persona sua propria, i. e. hominis sub gratia constituti. Ante S. Augustini aetatem Patres inde a S. Irenaeo (c. haer. III. 18.) omnes priorem sententiam tenuerant eamque ipse August. secutus erat, donec in sua cum Pelagianis controversia alteram praeferre coepit (cfr Retract. I. 23.). S. Augustini auctoritate multi iuniores interpretes, ut eandem praeferrent, adducti sunt (*S. Thom.* in Rom. 8. lect. 3. tamen utramque probabilem habet); at quum Pseudo Reformatores ea abuterentur, ut perversum suum dogma de externa iustitiae imputatione et de permanentia peccati orginalis in iustificatis stabilirent, catholici interpretes plerique ad antiquiorem Patrum interpretationem reversi sunt; idque iure merito. Tota enim Pauli argumentatio ostendit, eum de homine adhuc sub Lege constituto loqui; ergo pronomine « ego » suam propriam personam non designat. Cfr meum Comment. in ep. ad Rom. p. 356 sq. 373 sqq.

β. — Quo cum iure peccatum illa (perversa) agere asserat, iterum ex sua experientia ostendit, qua cognovit, in sua carne bonum non habitare; nam boni quod facere vellet perficiendi potestatem in se non invenit (7,18-20).

γ. — Disputationem demum terminans sese secundum interiorem quidem hominem Lege divina delectari, sed a carne servituti legis peccati subiici addit (7,21-23),

a qua servitute se per merita Christi liberatum esse grato animo recolens pristinum istum statum unica quasi comprehendit sententia (7,24. 25), ut ei in sequentibus novum statum gratiae opponat.

4. — *Quartus iustitiae fructus est beatitudo hominis in Christo renati* (8,1-30).

1.) *Nam praeprimis iustificati per Spiritum sibi inhabitantem iustitiam Legis implere possunt veraque vita donantur* (8,1-11).

a.) Ex superioribus colligens eos nulli iam damnationi subiacere, conclusionem hanc Paulus ex eo confirmat, quod Spiritus S. eos in Christo a peccato et a morte liberaverit (8,1. 2).

b.) A peccato quippe non Lex, quae id non potuit, sed Deus nos liberavit per Christum, qui in carne sua munda legem peccati devicit nobisque S. Spiritum dedit, ut secundum eum ambulantes iustitiam Legis in nostra vita manifestaremus, id quod ii qui carnem sequuntur praestare non possunt (8,3-8).

c.) A morte autem liberati sumus, quia Spiritum S. in nobis habemus et per eum non tantum veram vitam obtinemus sed etiam ad gloriosam vitam resurgemus (8,9-11).

2.) *Porro ob adoptionem suam iustificati ius habent ad vitam gloriosam* (8,12-17).

a.) Fideles exhortans, ut secundum Spiritum ambulantes veram vitam consequi studeant, Paulus eos se hac ratione veros filios Dei exhibere declarat (8,12-14);

b.) ob suam enim adoptionem, cuius S. Spiritus est sigillum, filii Dei sunt ac proinde ius habent ad divinam hereditatem (8,15-17).

3.) Hereditas autem haec, cum qua comparatae tribulationes huius mundi nihili sunt aestimandae, iustificatis omnino certa est (8, 18-30). Etenim

a.) tota creatio liberationem a servitute corruptionis exspectat et desiderat; quod desiderium expleri non potest, nisi filii Dei antea glorificati sint (8,19-22);

b.) dona illa, quae iam accepimus, ad gloriam nos propellunt, et spes nostra, quam Spiritus nobis tamquam adoptivis Dei filiis inseruit, frustrari nequit (8,23-25);

c.) Spiritus quoque nos in illa prosequenda adiuvat, et nobiscum illam efflagitans exaudiatur necesse est (8,26-27);

d.) demum Deus ipse efficit, ut iis, qui ipsum diligunt, omnia cooperentur in bonum, et quos ipse vocavit et iustificavit, hos etiam glorificabit (8,28-30).

5. — *Secundam sectionem magnifico concludit epilogo* (8,31-39), in quo iustificatis nihil timendum, omnia autem speranda esse, praeprimis summo bono divinitus nobis collato (8,31. 32), deinde adversariis, qui nobis nocere nequeant, enumeratis (8,33-37) probat, ut demum asseveret, nihil in rerum universitate inveniri, quo Deus electos a se separatum iri permittat (8,31-39).

Sect. III. — *Quae Evangelii eiusque bonorum sit relatio ad promissiones populo Israel divinitus factas* (9,1-11,36).

[Paulus, quum « Evangelium virtutem Dei in salutem omni credenti *Iudaeo primum* et Graeco esse » diceret, Iudaeis speciale quoddam ius ad iustitiam salutemque evangelicam competere haud immerito significavit; inde enim a patriarcharum aetate Deus populo Israel Messiam regnique messianici bona saepissime promiserat. At Iudaei cum suis ducibus Christum advenientem eiusque Evangelium respuerant atque eo tempore, quo scripta est epistola ad Rom., totus fere populus in sua infidelitate sese quasi obduraverat, ita ut a salute evangelica, quam non nisi fide obtineri Apostolus docuit, exclusus esse videretur; in eius autem locum ethnici successerant, qui fere ubique fidem promptius et alacrius receperant. Qui rerum status cum divinis promissionibus aperte pugnare videbatur neque levis erat contra Pauli doctrinam obiectio. Plenissime autem eam in tertia hac sectione ita refutat, ut primum indole promissionum illarum, quae neque naturali generationi aut Legis operibus sint alligatae neque perfectam Dei ad salutem vocantis libertatem coarctent, explanata earum efficaciam gentium vocatione a prophetis iam praedicta non irritam reddi ostendat (9,1-29); deinde Iudaeos, si bona messianica non adipiscantur, ipsos in culpa esse demonstrat, quia non debitam viam ad ea obtinenda elegerint (9,30-10,21); demum, ut Iudaeos bonae voluntatis consoletur, populi infidelitatem, a Deo ob sapientissimas rationes permissam, dumtaxat partialem et temporariam esse docet (11,1-36)].

1. — *Praesens Israelis exclusio a salute messianica cum promissionibus divinis non pugnat* (9,1-29).

1.) *Brevi exordio benevolentiam Iudaeorum sibi conciliat* (9,1-5) dolore suo de eorum infidelitate expresso magnoque suo salutis eorum desiderio manifestato (9,1-3) atque magnis eorum privilegiis agnitis et exaltatis (9,4. 5).

2.) *Admissionem deinde ad promissiones neque a sanguine neque a*

praeviis operibus dependere, sed a gratuita Dei electione et vocatione, ex patriarcharum historia demonstrat (9,6-13).

a.) Id enim iam ex Abrahami historia patet, ex cuius duobus filiis solus Isaac simul erat filius promissionis (9,6-9);

b.) atque idem ex historia filiorum Isaac elucet; etenim quamvis ab eodem patre et eadem matre eodem tempore essent generati, ille tamen, qui post alterum ex utero matris egressus est, iam ante nativitatem non iure operum, quae non habuit, sed gratuita Dei benevolentia constitutus est patriarcha populi electi (9,10-13).

3.) *Porro Deus iniustus non est, quum inter pares unum prae altero ad fidem vocat* (9,14-24).

a.) Disertis enim Scripturae testimoniis scimus, Deum pro sua voluntate misereri, cuius vult, et non misereri, cuius non vult (9,14-18);

b.) hinc Apostolus temeritatem hominis de divinae providentiae ordine expostulantis (9,19) duplici responso, altero indirecto, altero directo, severe reprimit (9,20-24).

α. — Obloquenti enim os similitudine figuli obstruit, qui, cur unum vas in honorem, aliud in ignominiam praeparet, rationem reddere non tenetur (9,20. 21).

β. — Quid autem[1] homini conquerendum restat, si Deus vasa illa, quae se ipsa ad interitum aptarunt ideoque tamquam vasa irae iustitiam divinam provocarunt, in multa patientia sustinuit, ut tandem ostenderet iram suam? Quid, si Deus, ut *divitias* gloriae suae in vasa misericordiae ostenderet, ea non tantum ex Iudaeis eligere voluit, sed etiam ex gentibus (9,22-24)?

4.) *Ceterum in vocandis gentibus et Iudaeis ad fidem Deus ea exsequitur, quae per prophetas praedixit* (9,25-29).

a.) Promissiones quippe prophetarum non *solos* Iudaeos spectant, quum etiam gentes vocatum iri iam per Osee (2,24; 1,10) sit annuntiatum (9,25,26),

b.) neque ad *omnes* Iudaeos pertinent, quandoquidem disertis Isaiae testimoniis (10,22; 1,9) solae eorum reliquiae salvandae praedicuntur (9,27-29).

1. Ne similitudo figuli, quae homini ius non competere docet, ut a Deo rationes expostulet, ob quas hunc providentiae ordinem elegerit, ad alienum sensum detorqueatur, Apostolus indirecto huic responso alterum directum adiungit et *opponit*, quo Deum non eadem ratione, qua figulum, agere declarat. Quae oppositio in latino *Quod si* non clare apparet, clarius in graeco εἰ δέ (*sin, sin autem*), quod satis docet responsum *vv.* 20. 21. datum non amplius continuari. — Notandum quoque, in Vulgata nostra initio *v.* 23. ante « *ut ostenderet* » omissam esse coniunctionem « *et* », quam praeter plerosque graecos codd. Patresque Peschito et antiqua Itala (uti ex S. August. et Ambstr. patet) agnoverunt. Ideo eam supra in analysi supplentes duas constructiones anacoluthicas supposuimus cfr meum Comment. in ep. ad Roman. p. 515 sqq.

2. — *Sua ipsius culpa Israel a salute messianica, quam gentes fide obtinent, est exclusus* (9,30-10,21).

1.) *In iustitia quaerenda enim perversam viam iniit* (9,30-33)

a.) namque gentes crediderunt et iustificati sunt (9,30),

b.) Israel vero suis Legis operibus confisus credere noluit, quum Messiae humilitatem despiceret (9,31-33).

2.) *Ob ignorantiam quippe suam in iustitiae via quaerenda Iudaei erraverunt* (10,1-13).

a.) Benevolentiae captatione praemissa (10,1. 2)

S. Paulus assertum suum ex eo probat, quod Iudaei verae Dei iustitiae suam fictam operum iustitiam praetulerint, quum non intelligerent, totam Legem praeceptis et figuris suis homines ad Christum adducere voluisse, ut in eum omnes credentes salvi fierent (10,3-5).

b.) Quam imprudens autem illud sit, elucet ex comparatione, quam Apostolus instituit inter iustitiam fictam Iudaeorum, quae totius Legis impletione acquiratur (10,6), et inter iustitiam veram, quam ipsa Lex quum facillimam esse, utpote quae fide eiusque professione acquiratur, tum ad omnes homines sese extendere testetur (10,7-13).

3.) *Ignorantia autem haec Iudaeorum culpabilis fuit* (10,14-21).

a.) Genuinam enim viam *cognoscere* potuerunt, quia eis non defuit legitima Evangelii annuntiatio, sed ei non obediverunt, sicut iam praedictum erat (10,14-18);

b.) eos autem praedicationem etiam *intelligere* potuisse elucet ex eo, quod gentiles, uti Moyses et Isaias iam praenuntiarunt, eam intelligebant, Iudaei ergo a fortiore eam intelligere debuerunt (10,19-20).

c.) Unde patet conclusio, quae denuo verbo prophetico traditur : Israel promissionum particeps factus non est, quia ipse noluit (10,21).

3. — *Praesens Israelis infidelitas et exclusio a salute messianica neque universalis est, neque aeterna* (11,1-36).

1.) *Praeprimis enim ad totum populum se non extendit* (11,1-10).

a.) Nam Apostoli ipsi quoque sunt Iudaei, et sicut olim Eliae tempore, populo fere toto in idololatriam prolapso, septem millia virorum a Deo velut fideles sui cultores conservati sunt, nunc quoque reliquiae divina gratia, non vero suis operibus, ad fidem pervenerunt (11,1-6);

b.) unde Israel, si tota natio spectatur, iustitiam quam quaerebat, utique non obtinuit, electa tamen pars iustitiam veram assecuta est, atque reliqui iusto iudicio Dei sunt occaecati, sicut iterum iam praedictum erat (11,7-10).

2.) *Praesens autem Israelis infidelitas sapientissime a Deo permittitur, quum proxime gentium, ultimo autem ipsius Israelis saluti inserviat* (11,11-24).

a.) Evangelium enim a Iudaeis repudiatum citius ad gentes allatum est, quarum conversio stimulus erit, ut Iudaei se convertant; plena autem Iudaeorum conversio maximae omnium utilitati erit (11,11. 12).

b.) Ideo quoque Apostolus ipse apostolatum inter gentes exercet, ut contribules suos ad aemulationem cum gentibus excitet (11,13-16).

c.) Ne vero gentiles conversi superbiant et Iudaeos despiciant, docet eos quidem in ramorum fractorum loco insertos esse, sed si naturales rami frangi potuerunt, insertos quoque frangi posse (11,17-21).

d.) Ita igitur Dei bonitas et severitas apparet; severitas erga incredulos, bonitas erga eos, qui inseri volunt, sive ethnici, sive Iudaei sunt (11,22-24).

3.) *Post gentium plenitudinem plenitudo Israelis salutis promissae particeps fiet* (11,25-32).

a.) Iuxta revelationem sibi factam Paulus exponit, quam arcto nexu cum gentium omnium ingressu in Ecclesiam cohaereat totius Israel salus promissa (11,25-27).

b.) Iudaei enim, etsi nunc sint inimici Dei, ut gentes interea Evangelium accipiant, propter patriarchas tamen Deo carissimi sunt, atque Deus promissionibus suis stabit (11,28. 29).

c.) Mira igitur inter Iudaeos et gentes apparet similitudo : infidelitas Iudaeorum gentes ad fidem adducit, et gentium fides Iudaeos : utrosque ergo Deus ex infidelitate salvat et utrique sibi mutuo sunt auxilio (11,30-32).

4.) *Brevi epilogo* (11,33-36)

Apostolus totum tractatum dogmaticum terminat divitias sapientiae celebrans Dei, qui viis, quas homo non intelligit, omnes ad salutem perducere satagit.

III. PARS SECUNDA PARAENETICA (12,1-15,13) VARIA PRAECEPTA ATQUE MONITA MORALIA COMPLECTITUR.

1. — *Officia quaedam omnibus observanda* (12,1-13,14).

1.) *Modestia observanda in vita religiosa* (12,1-8).

a.) Obsecrans eos, ut Deo se exhibeant tamquam sacrificia vera, eique praestent cultum rationabilem secundum eius voluntatem (12,1. 2),

b.) apostolica cum auctoritate Paulus Romanos ad dona spiritualia, quae varia varii acceperunt, ita adhibenda exhortatur,

ut semper memores sint, se esse membra mystici corporis Christi (12,3-8).

2.) *In privata autem vita caritas erga omnes colenda est* (12,9-21).

a.) A caritate commendanda exorsus (12,9. 10) Apostolus variis virtutibus enumeratis ostendit, quomodo caritas, quae earum sit mater et radix, sese in variis vitae conditionibus manifestare debeat quum erga fratres (9,11-16)

b.) tum erga reliquos et imprimis erga inimicos (12,17-21).

3.) *Porro in civili vita obedientia debetur magistratibus* (13,1-7).

a.) Magistratus enim a Deo sunt positi, ita ut qui eis resistit, Deo ipsi resistat poenamque sibi attrahat, quum constituti sint ad tuendos bonos et puniendos malos (13,1-4);

b.) unde obedientiam erga eos ideo necessariam esse colligens, ut conscientiae macula evitetur, omnibus superioribus ea reddi iubet, quae eis competant (13,5-7).

4.) *Ad caritatem inculcandam revertitur, quae nunc quam maxime colenda sit* (13,8-14).

a.) A caritate quippe colenda non licere fidelibus desistere praemonens, quia caritate Lex tota impleatur et in ea omnia decalogi praecepta summatim contineantur (13,8-10),

b.) nunc eam etiam magis exercendam esse docet, quia iam instet dies Domini (13,11. 12).

c.) Atque ad exhortationem transgressus lectores acriter urget, ut omnibus depositis pravis operibus piam vitam iuxta Christi doctrinam agant (13,12-14).

2. — *Infirmi in fide suscipiendi sustinendique sunt* (14,1-15,13).

[Sicut Corinthios (1 Cor. 8) Apostolus monere debuerat, ne idolothytorum manducatione scandalum darent infirmis in fide, ita in aliis quoque ecclesiis eiusmodi disceptationes de ciborum distinctione et de festorum iudaicorum observatione exortae videntur. Similiter in romana ecclesia, uti ex hac epistola discimus, duae fuerunt quasi classes neophytorum, quum alii (infirmi in fide) ob contaminationis metum ab omnium carnium vinique usu sese abstinerent certosque dies sollicitius observarent, alii firmiores seu validi nullum omnino ciborum dierumque discrimen agnoscerent. Quae classium distinctio ne discordiarum fieret causa, Paulus pauca haec monita specialia, quae cum caritatis praecepto arcte cohaerent, addenda duxit.]

1.) *Praeprimis igitur omnes alloquens infirmos firmioresque cavere iubet, ne se invicem diiudicent* (14,1-12).

a.) Ab indulgentia erga infirmos firmis, quibus se ipsum accenset, commendanda exorsus (14,1) duplici quaestione, quae

pacem ecclesiae facile turbare potuit, paucis explicata Paulus omnes cavere iubet, ne alii alios temere diiudicent (14,2-5),

b.) illa enim iudicia esse iniusta, quia utrique suam agendi rationem teneant, ut Christo placeant, cui omnes fideles vivere ac mori debent (14,6-9);

c.) Deo porro soli iudicium competere, coram cuius tribunali suarum ipsius quisque actionum rationem redditurus sit (14, 10-12).

2.) *Firmi deinde sibi cavere iubentur, ne infirmioribus sint scandalo* (14,13-23).

a.) Mutuis igitur iudiciis prohibitis solos iam firmos, quibuscum sentit, alloquitur (14,13.14) eosque hortatur, ne liberiore sua vita infirmos ad maledicta provocent (14,15.16);

tanti enim illius libertatis usum non valere, ut propter eum vera regni divini bona destruantur; mutuam potius pacem et aedificationem esse promovendam (14,17-19).

b.) Imprimis autem eos cavere iubet, ne infirmum eo adducant, ut contra conscientiam suam agens peccet (14,20.21);

c.) neque vero ideo firmam illam de christiana libertate persuasionem eis abiiciendam esse addit (14,22.23).

3.) *Firmi exemplum Christi potius imitantes benigne sustinere debent infirmos* (15,1-13).

a.) Primo suo monito (14,1) repetito Paulus firmis commendat, ut sua non quaerentes ad infirmiorum opiniones se accommodent eorumque bonum promoveant, sicut etiam Christus, teste Scriptura, non sua quaesivit sed propter nos opprobria in se suscepit (15,1-6);

b.) eo magis autem firmi (Ethnicochristiani) ita agere tenentur, quia non sicut Iudaei christiani quasi proprio iure, sed ex mera misericordia Dei sint ad fidem vocati (15,7-13).

LONGIOR TOTIUS EPISTOLAE EPILOGUS (15,14-16,27).

1.) *Quaedam de sua relatione ad romanam ecclesiam Paulus explanat* (15,14-33).

a.) Ac primum quidem apostolatus sui dignitatem causam esse dicit, cur tanta cum libertate Romanis scripserit (15,14-17), et uberrimos muneris sui fructus commemorat, ut maiorem verbis suis conciliet auctoritatem (15,18-21).

b.) Deinde itineris romani sui consilium eis accuratius explanat (15,22-33).

2.) *Commendationes et salutationes adiicit* (16,1-24).

a.) Phoeben diaconissam, quae epistolam Romam allatura erat, Romanis commendat (16,1.2),

b.) amicosque suos, qui Romae versantur, salutat (16,3-16) et

aliorum, quos secum habet, salutationes ad Romanos adiungit (16,16-24).

3.) Sollemni autem doxologia toti epistolae finem imponit (16,25-27).

2. — *Epistola B. Pauli Apostoli ad Corinthios prima.*

Ecclesiae corinthiae a S. Paulo in secundo suo itinere apostolico annis 52.-54. fundatae et diligenter excultae brevi post eius discessum multa graviaque pericula imminebant. Etenim schismata exorta erant, neophytis aliis alios doctores praeferentibus et secundum eos sese denominantibus; in luxuriosissima et libidinosissima civitate Christiani quoque libidinis illecebris resistere non potuerant; cum fratrum suorum et ipsorum ethnicorum scandalo nonnulli lites suas ad ethnicos magistratus deferebant; in ipsis coetibus sacris celebrandis negligentia quaedam et licentia invaluerat; de doctrinae capitibus nonnullis variae exortae erant sententiae : uno verbo laetis ecclesiae initiis non responderat eius progressus. Interea Paulus a. 55. tertium iter apostolicum ingressus, Phrygia et Galatia peragratis, Ephesi consederat; qua in urbe, quae continuum cum Achaia et Corintho habebat commercium, de neophytorum corinthiorum conditione certior factus Timotheum Corinthum misit, ut ecclesiam visitaret. Vix autem profectus erat Timotheus, quum tres legati corinthii Ephesum venerunt epistolam ecclesiae Paulo afferentes, in qua de diversis doctrinae capitibus interrogabatur. Per eosdem simul, quam magnum esset periculum, in quo neophyti versabantur, accuratius didicit eorumque relationibus perterritus diutius non cunctandum censuit, sed periculo gravissimo gravissima epistola occurrendum. Haec est origo epistolae 1. ad Cor., in qua primum neophytos ob varios abusus increpat (1,10-6,20), deinde eorum interrogationibus respondet (7,1-15,58).

Scripta est Ephesi brevi ut videtur ante pascha a. 58.

I. EXORDIUM EPISTOLAE (1,1-9)

1.) *inscriptionem exhibet* (1,1-3)

(Paulus et Sosthenes ecclesiis Corinthi et Achaiae)

2.) *et gratiarum actionem, quae simul est captatio benevolentiae* (1,4-9).

a.) Deum quippe celebrat, eo quod fideles tanta doctrinae scientia et intelligentia ditaverit, ut in illa excellant (1,4-7),

b.) et spem exprimit fore, ut Deus eos in illa usque in finem conservet (1,8.9).

II. PRIOR PARS (1,10-6,20) DE VITIIS INTER CORINTHIOS SERPENTIBUS.

1. — *Praeprimis eorum discordiam factionumque studium S. Paulus impugnat* (1,10-4,24).

1.) *Pro introductione* (1,10-12)

a.) eos ad unitatem externam et internam perfecte servandam gravissime exhortatus (1,10)

b.) factum exponit, de quo eos reprehensurus est (1,11.12).

2.) *Rationes deinde varias affert, ob quas eorum discordia vituperanda sit* (1,13-3,17).

a.) Prima et praecipua ratio est, quod a solo Christo sint redemti eique soli per baptismum inserti; quis enim baptismi minister fuerit, nihil interesse, id quod ex Apostoli ipsius agendi ratione appareat (1,13-16).

b.) Neque ob humilem et simplicem Pauli praedicationem Corinthiis (illis, qui se Apollo esse dicebant,) ab eo recedere et schisma incipere licuit (1,17-3,3).

α. — Neque enim sine ratione aut temere simplici hoc docendi modo usus est :

Nam ne virtutis suae laude crux Christi defraudetur, Apostolis id non est spectandum, ut humana arte et sapientia mundum convertant (1,17. 18).

Id iam docet Scriptura, quae sapientiam humanam reprobatum iri praedixit (1,19);

atque idem experientia docet, qua teste Deus neque sapientes mundi ad praedicandum elegit, ut ita magis appareret divina Evangelii virtus et sapientia (1,20-25), neque tam sapientes et potentes, quam simplices et pauperes ante reliquos ad fidem vocavit, ne quis suis dotibus naturalibus suam vocationem adscriberet (1,26-31).

Quare Paulus quoque inter Corinthios sublimi sapientiae sermone non est usus, ne eorum fides humanis verbis, sed divina virtute niteretur (2,1-5).

β. — Neque sine ratione ab altioribus doctrinis tradendis sese abstinuit :

Etenim Apostoli quoque, sed non nisi inter perfectos, sapientiam praedicant (2,6), et talem quidem, quae creato intellectui impervia (2,7-9) a solo Spiritu S., qui mysteria omnia novit, quique Apostolis datus est, revelari possit (2,10-12), atque spirituali modo spiritualibus tradi debeat (2,13-16).

Corinthiis vero Paulus hanc sapientiam tradere nondum potuit, quandoquidem suis ipsi schismatis se etiam nunc carnales esse demonstrent (3,1-3).

c.) Absurdum est partium studium Corinthiorum (3,4-17).

α. — Nam omnes Evangelii praecones, utpote unius Dei ministri, inter se uniti sunt et esse debent; ergo etiam eorum discipuli concordes sint oportet (3,5-9).

β. — Quo ex argumento sua sponte fluit monitum pro illis doctoribus, qui in aedificanda ecclesia nunc sunt occupati.

In eius videlicet fundamento, quod Paulus posuit, nihil mutare licet (3,10. 11);

attendendum igitur eis est, ut bonas doctrinas fundamento illi superstruant, quia in die Domini opus singulorum operariorum igne probabitur (3,12. 13);

si opus manserit, operarius mercedem habebit; si cuius opus arserit, mercedis iacturam faciet, licet ipse salvus fiat sed quasi ambustus; si quis autem aedificium destruxerit, ipse in aeternum peribit (3,14-17).

3.) *Ex proposita hac doctrina B. Paulus practicas conclusiones deducit* (3,18-4,13)

a.) praeprimis relate ad fideles (3,18-4,6),

α. — quos sibi cavere iubet, ne in doctoribus suis, quos sapientes esse putant, glorientur, ac multo magis, ne in uno solo glorientur, quia omnes sint in eorum utilitatem constituti (3,18-23);

β. — ne unum alteri praeferentes doctores suos diiudicent; Deo enim soli competit iudicium (4,1-6);

b.) deinde relate ad doctores (4,7-13),

α. — quos ad humilitatem exhortatur (4,7. 8),

β. — quibusque suam ipsius reliquorumque verorum Apostolorum conditionem ante oculos ponit, ut ex hoc exemplo videant, num ipsi sint genuini doctores (4,9-13).

4.) *Primum hoc vituperium Apostolus tenerrima allocutione concludit* (4,14-21),

a.) tamquam pater filios deprecans, ut se ipsum imitentur (4, 14-16),

b.) eosque rogans, ut Timothei, legati sui, verba bene recipiant, ne ille severe erga eos agere cogatur (4,17-21).

2. — *Severe eos increpat ob non vitatos peccatores* (5,1-13).

1.) *Peccatores ex Christianorum coetu expellendi sunt* (5,1-8).

a.) Quia unus ex neophytis matrimonium cum patris uxore attentaverat, vehementer eos increpat, quod illum ex ecclesia non expulerint (5,1. 2),

b.) atque se eius excommunicationem apostolica auctoritate decrevisse significat (5,3-5), ratione indicata, cur peccatores ex suo coetu expellere debeant (5,6-8).

2.) *Praeceptum de fornicariis vitandis antea datum explicat* (5,9-13).

a.) In epistola quadam (deperdita) ut fornicarii societas vitaretur iam praeceperat (5,9); nunc autem addit, se de fornicariis aut aliis peccatoribus ethnicis non esse locutum, sed de fratribus peccatoribus (5,10. 11);

b.) cuius restrictionis causam eam esse monens, quod iudicium de ethnicis sibi non competat, iterum incestuosum istum e fidelium coetu eiici iubet (5,12. 13).

3. — *Causas coram iudicibus ethnicis agi vetat* (6,1-11).

1.) *Christianos causas litesque suas ethnicis iudicibus committere non decet* (6,1-6).

a.) Abusu, quem reprehensurus est, explicato (6,1) Paulus, quam parum eos coram gentibus litigare deceat, ex eo ostendit, quod aliquando de toto mundo et de ipsis angelis sint iudicaturi, ergo certe minutiis illis iudicandis sint apti (6,2.3);

b.) quin etiam vel infimos Christianos illi muneri subeundo idoneos paresque esse adiungit, a fortiore ergo sapientes, quos inter se habeant (6,4-6).

2.) *Ulterius progressus lites ipsas a legibus moribusque christianis abhorrere docet* (6,7-11).

a.) Indignum enim Christiano iam est iustam causam agere, quum iniuriae omnes potius patienter ferendae sint (6,7);

b.) gravissimum autem peccatum est aliis iniurias inferre (6,8), siquidem illi, qui ita agunt, non minus quam aliorum criminum rei a regno Dei excluduntur (6,9. 10); his autem peccatis olim quidem aliquos ex suo numero obnoxios fuisse, sed nunc ab iis plane mundatos esse eos recordari iubet (6,11).

4. — *In fornicationem et impudicitiam invehitur* (6,12-20).

1.) Rationem, qua aliqui fornicationem velut rem indifferentem, ut videtur, excusare conati erant, refutat ostendens, principium illud, quod omnia adiaphora sint licita, aliquas restrictiones postulare (6,12), atque fornicationem nequaquam reliquis naturalibus appetitibus assimilari (6,13. 14);

2.) immo duplici ex capite elucere addit, quam grave peccatum sit fornicatio, quatenus scilicet abusus sit membrorum Christi (6,15-17) et violatio templi Spiritus S. (6,18-20).

III. Altera pars (7,1-15,58) de variis quaestionibus per Corinthiorum legatos propositis.

1. — *Quaestiones de matrimonio et coelibatu* (7,1-40).

1.) *De coniugum iuribus et officiis quaedam* (7,1-24).

a.) Quid sentiendum sit de matrimonii usu (7,1-9).

α. — Quamquam per se melius est, ut homo ab eo se abstineat (7,1), usus matrimonii tamen licitus est ob incontinentiam vitandam (7,2.3), neque nisi ex mutuo consensu ad tempus propter altiores rationes interrumpendus (7,4-6);

β. — attamen semper quoque sese ab eo abstinere illis licet[1],

1. In *v.* 6 « hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium », pronomen « *hoc* » nec cum *Oecum.*, *S. Thom.*, *Est.* aliisque ad *v.* 2 referimus (« unusquisque suam uxorem habeat » etc.), nec cum modernis multis interpretibus ad integrum praecedentem versum (« Nolite *fraudare* invicem » etc.), sed ad solum ultimum

si donum continentiae habeant, quod ab omnibus quidem possideri desiderat, sed quod non omnibus dari simul significat (7,7-9).

b.) De matrimonii indissolubilitate quid tenendum sit (7,10-24).

α. — Inter fideles matrimonii vinculum secundum Domini ipsius praeceptum absolute indissolubile est (7,10. 11);

β. — relative autem dumtaxat indissolubile est inter fidelem et infidelem;

nam separatio nec necessaria nec suadenda, si infidelis cum fideli cohabitare velit sine iniuria creatoris (7,12-14), licita autem, si pars infidelis abscedat (7,15. 16).

Non temere autem est agendum; sed quantum religio christiana permittit, matrimonium ante conversionem initum eodem modo est retinendum, quo alii vitae status ante conversionem initi retinentur (7,17-24).

2.) *De relatione inter matrimonium et coelibatum* (7,25-40).

a.) De virginibus[1] (7,25-38).

α. — Virginibus coelibatus non praecipitur quidem, sed suadetur ab Apostolo (7,25-28).

β. — Ratio autem, cur virginibus coelibatus suadeatur, illa est, quod brevi hoc tempore, quod homini restat, virgines facilius, quam illi, qui in matrimonio vivunt, Deo servire possint (7,29-35).

γ. — Qua ex doctrina fluunt practicae nonnullae regulae, quae parentibus proponuntur (7,36-38).

b.) De viduis. Etsi secundae nuptiae licitae sint, illis praeferenda tamen est viduitas (7,39-40).

2. — *Num idolothytis vesci fidelibus liceat* (8,1-11,1).

1.) *Theoretica quaestionis solutio* (8,1-13).

a.) Quoniam idola nihil sunt, etiam illa, quae idolis offeruntur, per se non coinquinant (*cfr* 10,19), ac proin illorum usus licitus est iis, qui hoc sciunt, illicitus iis, qui hoc ignorant (8,1-7).

b.) Attamen quia eorum usus non est necessarius nec quidquam ad salutem confert (8,8), etiam illi, qui meliorem scientiam habent, ab iis sese abstineant oportet, quandocunque eorum usus proximis scandalo esse potest (8,9-13).

membrum (« *iterum revertimini ad ipsum* »); haec enim sola ex tribus conditionibus, ob quas usum matrimonii interrumpere licet (ex mutuo consensu, *ad tempus*, ob orationem i. e. ob rationem altioris ordinis) non est absoluta. In *v.* 7. sequimur lectionem : « volo *omnes homines* esse sicut me ipsum », quam praeter codices graecos et versiones reliquas ex latinis codicibus multi (inter quos *Amiat.*, *Fuld.*) tuentur quamque sequuntur *Amb.*, *S. Thom.*, *Lyran.* etc.

1. Vocabulum παρθένος, quamvis penes scriptores profanos de solis mulieribus adhibeatur, a S. Paulo de utroque sexu intelligi clare apparet ex *v.* 32 sq.

2.) *Suo exemplo proposito Paulus ostendit, quomodo fideles in omnibus, ne fratribus infirmis sint scandalo, animum intendere atque interdum a licitis, ut maius bonum consequantur, sese abstinere debeant* (9,1-10,13).

Duplici autem ratione in digressione quadam apostolicam suam vitam pro exemplo proponit, quam utramque ab initio duabus suis interrogationibus significat : « Non sum liber? Non sum Apostolus? »

a.) Quamvis genuinus sit Apostolus, privilegio Apostolorum non est usus relate ad sustentationem (9,1-18).

Quod argumentum ita explicat, ut

α. — se verum et genuinum esse Apostolum ostendat (9,1-3),

β. — Apostolos autem ius habere ad sustentationem a fidelibus accipiendam praeprimis ex agendi ratione aliorum Apostolorum demonstret (9,4-6);

idem ius deinde analogiis ex vita quotidiana desumtis confirmet (9,7),

ac demum argumento scripturistico (9,8-11), comparatione Apostolorum cum aliis doctoribus et templi ministris (9,12-13) Dominique ordinatione comprobet (9,14).

γ. — Nihilominus se hoc iure usum non esse neque in posterum uti velle asserit ob maiorem, ad quam contendat, perfectionem assequendam maiusque praemium obtinendum[1] (9,15-18).

b.) Quamvis liber fuerit qua Apostolus, ita ut a suis discipulis non dependens eam docendi et agendi rationem, quam bonam habuit, eligere potuerit, tamen omnibus sive Iudaeis sive ethnicis sese accommodans omnium servus fieri voluit, ut omnes salvans suam ipsius salutem securius certiusque operaretur (9,19-23).

c.) Hinc eos ad suum exemplum imitandum invitat (9,24-10,13).

α. — Proposita videlicet agonis comparatione, fidelibus ut bravium accipiant concertandum esse monet neque ad salutem consequendam sufficere, eos esse Christianos, sed omnibus viribus laborandum eis esse, ut certam suam salutem reddant (9,24-27).

β. — Quam conclusionem historia Israelitarum confirmat (10,1-13).

Qui omnes quidem ex Aegypto educti et in itinere iis-

1. Cum *S. Chrysostomo* aliisque graecis interpretibus, quos etiam *Salmeron* aliique moderni interpretes sequuntur, pro certo supponimus, vocabula ἑκών et ἀκών *v.* 17. ita usurpari, ut ἑκών sit ille, qui sua sponte nullo praecepto coactus agat, ἀκών vero ille, qui praecepto ad opus faciendum adigitur; sermonem igitur esse de opere supererogatorio, quod Deus singulari praemio s.t remuneraturus.

dem beneficiis ditati sunt, sed longe plerique, finem itineris non attingentes, ob peccata sua in deserto perierunt (10,1-5).

Quare sibi caveant Christiani, ne ex Aegypto (ex mundo) egressi peccatis Israelitarum, idololatriae, fornicationi, tentationi Dei, murmurationi, se dedant (10,6-11);

omnes igitur, qui stant, videant ne cadant, et confidant Deo, qui hominem supra id quod potest tentari non sit permissurus (10,12.13).

3.) *Ad quaestionem de idolothytis ex longa digressione, quae tamen intime cum argumento connexa est, regressus practicam eius solutionem tradit* (10,14-11,1).

a.) Omnino abstinendum esse monet ab indirecta illa idololatria (10,14), quae committitur participatione in coenis sacrificalibus (10,15-22).

α. — Christiani enim susceptione panis et vini in altari oblati participes fiunt corporis et sanguinis Christi intimeque cum Domino uniuntur (10,15-17); sicut olim Iudaei sacrificiis Deo oblatis cum Deo coniungebantur (10,18).

β. — Unde sequitur eos, qui coenis sacrificalibus ethnicis accumbunt, intime coniungi cum daemonibus, quibus ethnica sacrificia re offeruntur; at Christianos simul cum Christo et cum daemonibus uniri pugnat (10,19-22).

b.) De idolothytis extra coenas sacrificales propositis

α. — pro regula generali statuit, inter res adiaphoras illam esse praeeligendam, quae utilis sit et alterius aedificationi inserviat[1] (10,22-24),

β. — unde anxie inquirendum non esse, num quid, quod in macello vaenit aut in mensa apponitur, idolothytum sit necne (10,25-27),

γ. — sed si quis ab altero moneatur, cibum appositum esse idolothytum, eum omnino se abstinere debere, ne aliis peccandi occasionem praebeat (10,28-30).

δ. — In omnibus autem ad gloriam Dei attendant, neve ulli sint offensioni, Apostolum imitantes, qui ipse Christum imitatur (10,31-11,1).

3. — *Quaestio de decoro in coetibus religiosis servando* (11,2-34).

1.) *Quo externo habitu coetibus sacris interesse debeant* (11,2-16).

a.) Brevi captatione benevolentiae praemissa (11,2) Apostolus

1. Ex contextu satis patet, ultimam phrasin *v.* 22. « Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt », quum de adiaphoris agat non cum praecedentibus, sed cum sequentibus esse coniungendam. Ex eodem constat, *v.* 1 sequentis cp. 11. omnino cum praecedentibus cohaerere.

viros capite non velato, mulieres autem velato capite (publice) orare vel prophetare iubet (11,3-6);

b.) cuius praecepti tres affert rationes (11,7-16) :

α. — viri et mulieris ad Deum et inter se relationem ab ipso Creatore stabilitam (11,7-12),

β. — sensum naturae communem (11,13-15),

γ. — usum in Ecclesia receptum (11,16).

2.) *Quo cum decoro agapae et Eucharistia fidelibus sint celebrandae* (11,17-34).

a.) A severa reprehensione abusuum Apostolus exorditur, qui in agaparum celebratione Corinthi ex fidelium schismatis irrepserant, quum non amplius communem haberent mensam, sed sua quisque quae attulerat manducaret, ita ut alii abundarent, alii egerent, ecclesiamque et Deum caritatis defectu violarent (11,17-22).

b.) Pro reprehensionis ratione autem agapen eiusmodi non esse debitam praeparationem ad Eucharistiam monet (11,23-34).

α. — Nam in SS. Eucharistia fidelibus, id quod ex institutionis verbis elucet, traditur verum corpus et verus sanguis Domini ad commemorationem passionis (11,23-26); quare post debitam praeparationem, ne indigne recipiatur, sumenda est (11,27-29).

β. — Iam vero conditio ecclesiae corinthiae ostendit Eucharistiam ibi a multis indigno (et minus digno) modo recipi (11,30-32); ergo eorum agapas non esse debitam praeparationem ad Christi passionem in Eucharistia annuntiandam apparet.

c.) Conclusionem autem hanc non exprimit, sed statim pauca de modo agaparum celebrandarum praescribit, accuratiorem hac de re institutionem postea daturus (11,33. 34).

4. — *Quaestio de charismatum vera aestimatione et recto usu*[1] (12,1-14,40).

Quum non omnes eadem acciperent, neophyti alii aliis dona quae maiora putabant invidisse sibique donum linguarum quod maximum habebant desiderasse videntur. Alii autem, qui linguarum dono erant ditati, illud ad ostentationem potius, quam ad Ecclesiae utilitatem adhibebant. Hinc Apostolus argumentum hoc ita tractat, ut quid de charismatis in universum (12, 1-13,13) et de donis prophetiae et linguarum in specie sentien-

(1) « Totus hic locus, inquit *S. Chrys.* (in 1 Cor. hom. 29.) valde obscurus est; obscuritatem autem hanc efficit ignorantia eorum, quae tunc quidem contingebant, nunc autem non amplius accidunt ». Propter obscuritatem autem loci pauca quaedam analysi inserenda duximus, ut idearum nexus clarior evaderet.

dum sit (14,1-25) doceat, atque practicas regulas de duobus his charismatis adhibendis tradat (14,26-40).

1.) *De charismatis in universum* (12,1-13,13).

a.) Generalem statuit normam, ad quam omnia, quae in statu extraordinario dicantur vel agantur, diiudicari oporteat; ea, quae fidei in Dominum N. I. Chr. augendae inserviunt, a Spiritu S. sunt (12,1-3).

b.) Quo criterio statuto unitatem varietate donorum non tolli monet (12,4-11).

α. — Una quippe est eorum origo, S. Spiritus, unus quoque eorum finis, bonum Ecclesiae (12,4-7);

β. — quamvis igitur varia variis concedantur, ab eodem tamen fonte profluunt (12,8-11).

c.) Hinc duo consectaria practica derivat, quae per allegoriam quandam proponit Ecclesiam cum corpore comparans, cuius membra omnia, etsi sint diversae dignitatis, eodem modo ad illud constituendum requiruntur (12,12-30).

α. — Pro introductione Ecclesiam cum corpore recte comparari declarat, quum utraque ex parte unitas interna totius adsit et multitudo partium, quae singulae suam quaeque indolem propriam habeant (12,12-14).

β. — Deinde allegoriam duplici ratione pro duplici quod derivari vult consectario explanat (12,15-27).

Ne nonnulli donis acceptis non contenti aliud desiderent, membra omnia, etsi diversa, ostendit aequaliter ad corpus pertinere, et a Deo diversitatem membrorum esse constitutam, ut omnia officia, quibus corpus ad suam conservationem indiget, expleantur, ordinatumque corpus efficiatur (12,15-20).

Ne vero alii, qui altiora dona accepisse sibi videntur, alios despiciant, ostendit, nobiliora membra indigere auxilio minus nobilium, immo infirmiora magis esse necessaria, et natura duce hominem illis membris, quae minus honesta habentur, maiorem honorem tribuere, atque uniuscuiusque membri incrementum vel decrementum aliis omnibus aut prodesse aut nocere (12,21-27).

γ. — Similitudinem demum ad Ecclesiam applicans varietatem membrorum in ea adesse ostendit (12,28-30), at lectoribus ipsis relinquit concludendum, eam a Deo sapientissimo esse institutam ad totius Ecclesiae et singulorum membrorum utilitatem, ideoque Spiritui S. dona pro suo beneplacito distribuenti esse acquiescendum, neque cuiquam licere alterum ob minora dona despicere aut alteri ob maiora invidere.

d.) Quamvis fideles donis acceptis contenti esse debeant, non prohibet Apostolus, quominus maiora accipere studeant, sed praeprimis vult, ut excellentiorem viam, quam eis ostendit, ingrediantur, viam scilicet caritatis, quae dona gratis data superat (12,31). Hinc adducitur ut caritatis excellentiam celebret; qua digressione Corinthios edocet, quid revera valeant charismata, simulque monet, ne integrum suum studium in illis assequendis ponant.

Excellentior igitur via, quam eis ostendit, est caritas; eam autem donis gratis datis praevalere demonstrat triplici ex capite :

α. — ex eius omnimoda necessitate, siquidem homini, qui caritate caret, illa ipsa, quae optima videntur, charismata prorsus sint inutilia (13,1-3);

β. — ex eius dotibus, quas velut hymno quodam ita celebrat, ut caritas quasi mater et radix aliarum virtutum commendetur (13,4-7);

γ. — ex eius aeternitate, quoniam charismatis reliquis cessaturis etiam altera in vita sit permansura (13,8-12), atque ipsam fidem et spem superet (13, 13). Unde merito concludit : *sectamini caritatem* (14,1).

2.) *De donis prophetiae et linguarum in specie* (14,1-25).

Apostolus, qui fideles ad maiora charismata contendere desiderat (14,1), quum Corinthios donum linguarum dono prophetiae praeferre sciret, duorum istorum charismatum comparatione praeferendam esse prophetiam docet [1], idque

a.) ob maiorem prophetiae utilitatem (14,1-19); nam

α. — qui linguis loquitur, nisi simul dono interpretationis gaudeat, ut aliis ea, quae dicit, interpretari possit, soli Deo et sibi loquitur, aliis vero prorsus inutilis est, dum ille, qui prophetiae dono utitur, alios aedificet et exhortetur (14,1-6).

1. Per se patet, S. Paulum aeque parum atque S. Lucam (*Act.* 10,46; 19,6 et etiam 2,4-13) de illo linguarum dono loqui, quod Deum ad praedicandum interdum ministris suis concessisse scimus, sed de illo, quo quis linguis alienis, quas non didicerat, in oratione Deum celebrat. Quod bene describit *Caietanus* (i. h. l.) : « Scito, quod de ratione doni linguarum non erat, intelligi ab aliis nec etiam intelligi ab ipso loquente verba, quae Spiritus S. porrigebat; sed ille, qui hoc donum accepit, movebatur a Spiritu S. ad loquenda magnalia Dei, prout Spiritus S. dabat ei loqui : nec solum movebatur lingua ad illa verba proferenda, sed simul movebatur loquentis affectus in Deum motu cuiusdam devotionis ad laudandum Deum (quin tamen intellectus de sensu verborum prolatorum edoceretur). Haec omnia ex textu habentur ». Prophetiae donum autem in N. T. eadem fere ratione, qua in V. T., dabatur ad exhortandum et reformandum populum in veri Dei cultu adnexamque habuit facultatem cognoscendi et revelandi occulta cordis atque interdum etiam praedicendi futura. Cfr de his duobus donis meum Comment. in 1. Cor. p. 411 sqq.

β. — Variis argumentis inutilitatem hanc doni linguarum nude spectati confirmat;

primum similitudine desumta ex instrumentis musicis, quae pulsata, si eorum melodia non discernatur aut eius significatio cognita non sit, nihil prosint (14,7-9);

deinde similitudine desumta ex vita quotidiana, in qua nemo prudens linguam adhibeat, quae a collocutore suo non intelligatur (14,10-13);

tertio quia donum linguarum, utpote quod in privata oratione iam parum utilitatis habeat, siquidem non integrum hominem iuvet, in publica oratione non nisi irrationabiliter adhibeatur (14,14-17);

demum suo ipsius exemplo in medium allato, qui, quamvis hoc donum summo in gradu possideat, publice eo non utatur (14,18. 19).

b.) Ob finem quoque, propter quem utrumque donum a Deo conceditur, maior est prophetiae dignitas (14,20-25).

α. — Praemisso quippe monito, ne parvulorum more de rebus iudicent (14,20), typica verborum Isaiae (28,11) interpretatione ostendit, finem doni linguarum eum esse, ut infidelibus sit signum, quo eorum attentio excitetur, dummodo recto modo adhibeatur (14,21-23);

β. — finis autem prophetiae est, ut infidelis convertatur (14. 24-25).

3.) *Praecepta quaedam demum adduntur de charismatum, praesertim linguarum et prophetiae, usu* (14,26-40):

a.) Omnia ita adhibenda esse praefatus, ut aedificationi inserviant (14,26), docet

b.) quomodo et quando uti liceat dono linguarum (14,27. 28),

c.) et quomodo adhibenda sit prophetia (14,29-33);

d.) quominus mulieres autem donis istis publice utantur, omnino prohibens (14,34-36),

e.) Apostolus praecepta haec velut divina agnosci iubet (14, 37-39) tractatumque monito generali concludit, ut omnia honeste et secundum ordinem fiant (14,40).

5. — *De futurae iustorum resurrectionis certitudine et modo* (15,1-57).

1.) *Certitudinem resurrectionis iustorum Apostolus triplici argumento demonstrat* (15,1-34).

a.) Primum et praecipuum futurae resurrectionis argumentum desumit ex Christi resurrectione: Christus resurrexit, ergo et nos resurgemus (15,1-28);

α. — atque antecedens quidem probat primum monens, se

praedicationem apud eos a Christi morte et resurrectione annuntianda inchoasse (15,1-4),

de qua ipsa omnino non tantum constet variis Christi resuscitati apparitionibus, inter quas ultima sibi ipsi facta sit (15,5-13),

sed quae etiam evidenter demonstretur absurdis, quae illa negata sequerentur (15,14-19).

β. — Consequens autem ex intima nostra cum Christo coniunctione probat (15,20-28).

Eadem enim inter Christum resurgentem et nos adest relatio, quae inter Adam morientem et nos (15,20-22),

neque integrum erit regnum, quod Christus Patri traditurus sit, antequam cum omnibus Christi adversariis etiam mors fuerit devicta et evacuata (15,23-28).

b.) Duobus aliis argumentis primum confirmat (15,29-34) :

α. — Ad hominem enim argumentans interrogat, cur aliqui pro illis, qui morte abrepti baptismum non receperant, baptizari velint, nisi timeant, ne illi male aut omnino non sint resurrecturi [1] (15,29).

β. — Pericula et labores, quibus Apostoli sese exponunt, certe non susciperent, nisi eis de futura resurrectione constaret (15,30-34).

2.) *Resurrectionis modum, quippe ex quo adversarii contra dogmatis veritatem suas desumant obiectiones, explanat* (15,35-57).

a.) Analogiis ex natura desumtis corpus resuscitatum idem quidem fore docet eum corpore quod mortuum est, at simul plane ab eo diversum, utpote aliis qualitatibus exornatum (15,35-42), iisque plane supernaturalibus (15,42-44);

b.) mutationem porro hanc possibilem esse demonstrat, quia in resuscitato corpore dominaturum sit principium spiritale (τὸ πνεῦμα), nunc autem in eodem animale (ἡ ψυχή) dominium tenent (15,45-49);

c.) quin etiam mutationem hanc ita necessariam esse revelat ut illi ipsi, qui non sint morituri [2], eam subire debeant (15,

1. In analysi supponitur ille verborum sensus, quem admiserunt *Tertull.* (c. Marc. v. 10; de resur. carn. 28. M. 2. 494., 865), *Ambrosiaster, Glossa ordin.* et *interlin.*, *Herveus*, *S. Thomas Aq.* aliique interpretes bonae notae. Mirum quidem est, quod Apostolus, quamvis multo leviores abusus (velato capite orare in viris, non velato capite orare in mulieribus etc.) acriter carpat, ex hoc tam foedo nonnullorum errore argumentum desumere voluerit nullo vituperii verbo addito. At num una ex aliis interpretationibus, quas multas Patres et iuniores interpretes excogitaverunt, sit praeferenda dubium est.

2. In 15,51 praeferendam esse eam, quam sequimur, lectionem : « *Non omnes quidem dormiemus, omnes autem immutabimur* », et testimonia critica et contextus ratio et loci paralleli suadent cfr meum Comment. in 1. Cor. p. 506 sqq.

50.53), ut ita plenissima et omnimoda victoria de morte et peccato reportetur (15,54-57).

3.) *Concludit tractatum exhortatione,*
ut firmi stent in hac fide et in spe futurae resurrectionis omnia peragant (15,58).

IV. Epilogus epistolae (16,1-24).

1.) *De collecta facienda suoque proximo adventu* (16,1-9).

a.) Corinthios Paulus iam antea eleemosynas pro ecclesiis palaestinensibus colligere iusserat; nunc accuratius qua ratione sint colligendae exponit (16,1-4);

b.) quia autem ipse eas fortasse Ierosolyma delaturus sit, se iam mox ad eos per Macedoniam venturum esse annuntiat (16,5-9).

2.) *De Timotheo, Apollo, legatis corinthiis* (16,10-18).

a.) Eos rogat, ut Timotheum advenientem bene recipiant (16,10.11),

b.) Apollo autem nunc venturum non esse addit 16,12);

c.) gravibus deinde quibusdam monitis quasi parenthetice insertis (16,13.14) Corinthios exhortatur, ut legatis ad se missis debitam caritatem et gratitudinem exhibeant (16,15-18).

3.) *Epistolam terminat* adscriptis salutationibus ac benedictione apostolica impertita (16,19-24).

3. — *Epistola B. Pauli ad Corinthios secunda.*

Postquam priorem epistolam Corinthiis misit, S. Paulus de rei exitu, quoniam non sine acerbitate quadam neophytos vituperaverat, sollicitus Titum Corinthum proficisci iussit, ut quem fructum monita tulissent videret: ipse legatum suum sequi et de corinthiis rebus per eum certior fieri voluit, antequam in Achaiam iter pergeret. Itaque brevi post pascha a. 58. Epheso in Macedoniam profectus ibi obviam habuit legatum suum, qui satis laetos ei attulit nuntios, quum plerique neophyti monitis Apostoli paruissent. At minus laeta quoque Titus annuntiavit; etenim iudaizantes quidam pseudapostoli famam Pauli calumniis suis convellere apostolicamque eius dignitatem deprimere et diminuere studuerant; neque plane irriti fuerant eorum conatus. Quibus auditis Apostolus Corinthum pergere noluit, antequam nova epistola animos praeparasset; absens enim suam agendi rationem explicare, auctoritatem suam asserere et vindicare, adversarios suos refutare et confundere maluit, quam praesens durius severiusque erga nonnullos agere.

Opportunitatem autem iterum eis scribendi collectae praebuerunt, quas in priore epistola pro Ierosolymitanis faciendas commendaverat atque per Titum ante suum ipsius adventum terminari iussit. Epistola igitur, si praecipuus eius finis spectatur, est apologia Pauli, at magna cum arte et maiore cum affectuum varietate proposita, ut accuratum idearum nexum indicare sit admodum arduum.

Scripta est in Macedonia in aestate a. 58.

I. EXORDIUM EPISTOLAE (1,1-14) tribus membris constat :

1.) *consueta inscriptione* (1,1. 2),

(Paulus et Timotheus ecclesiis Corinthi et Achaiae),

2.) *longiore gratiarum actione, qua animos ad suam apologiam bene suscipiendam praeparat* (1,3-10),

Deum benignissimum celebrans, quippe a quo sive tribulationibus sive consolationibus ideo afficiatur, ut omnia haec in utilitatem neophytorum cedant (1,3-6),

ac neophytis, quos suarum consolationum et tribulationum socios esse persuasum habeat, periculum referens, quod nuper precibus eorum adiutus effugerit (1,7-10),

3.) *transitione ad argumentum epistolae* (1,10-14).

Fiduciam quippe exprimens fore, ut precibus eorum etiam deinceps adiutus pericula sibi imminentia evadat (1,10. 11), eam bona sua conscientia niti asserit, qua certus reddatur, se semper quidem, maxime autem Corinthi, summo cum animi candore esse conversatum; quem candorem eos etiam in hac epistola et semper in se inventuros esse sperat, ita ut in die iudicii inter se mutuo gloriari possint (1,12-14).

II. PRIMA PARTE APOLOGETICA (1,15-7,16) *Paulus suam agendi rationem ab adversariorum calumniis vindicat.*

1. — *Ante omnia ergo se levitatis inconstantiaeque immerito accusari ostendit* (1,15-2,17).

1.) *Levitatis quippe calumniae opponit constantiae suae assertionem* (1,15-22).

a.) A commemorando scilicet pristino itineris consilio exorsus, quod ob levitatem animi mutasse accusabatur (1,15-17),

b.) statim constantiam suam apostolicam fortiter magna cum vi asseverat, quae ipsius Dei trini veracitati et immutabilitati innitatur (1,18-22).

2.) *Calumniae deinde fundamentum destruit explicata ratione, ob quam itineris consilium mutaverit* (1,23-2,13).

a.) Deum testem invocans se ad eos, ut eis parceret, non statim venisse asserit, quia eis dominari non vellet sed eos adiuvare (1,23. 24).

b.) Ne enim (gravissimo incestuosi peccato audito) eos in suo adventu tristitia afficere deberet, adventum suum (priore sua) epistola praeparandum censuit, quam nimirum non scripsit ut eos contristaret, sed ut suum ipsius amorem eis manifestaret (2,1-4).

c.) Commemorato illo scelere adducitur, ut in digressione quadam quid de peccatore illo agendum sit doceat, quem poenitentiam egisse audiverat (2,5-8); illi enim poenam con-

donans satis probat, sese revera illis non tristitiam sed gaudium afferre velle (2,9-11).

d.) Ad itineris consilium reversus narrat, quomodo etiam post priorem epistolam scriptam anxietas sua adeo perduraverit, ut vel ipsam Evangelii praedicandi opportunitatem Troade sibi oblatam neglexerit (2,12. 13).

3.) *Particulae huic finem imponit gratiis Deo actis* de auxilio accepto, quo etiam in tribulationibus suis tamquam bonus Christi odor Evangelium propagare atque ita genuinum Apostolum sincera sua praedicatione, qua a pseudapostolis differat, sese exhibere potuerit (2,14-17).

2. — *Ab arrogantiae superbiaeque calumnia Apostolus sese defendit* (3,1-4,6).

Ultima sententia, qua sinceritate praedicationis asserta se pseudapostolis praetulit, alteram hanc sectionem praeparavit. Namque ob priorem epistolam suam arrogantiae videtur esse accusatus, quia tanta cum fiducia de se suisque rebus erat locutus; sibi enim puniendi ius attribuerat illudque exercuerat, se neophytis imitandum proposuerat, altiorem sapientiam maioraque Spiritus dona se habere asseruerat, quin etiam reliquis Apostolis se certo modo praetulerat etc. Quare Apostolus, ut superbiae calumniam refutaret, significare simul debuit, quonam ex fonte hanc loquendi fiduciam (παῤῥησίαν), quam adversarii appellabant superbiam, hauriret.

1.) *Criminationi arrogantiae igitur Paulus ministerium sibi commissum opponit* (3,1-6).

a.) Quoniam nimirum ei obiiciebatur, quod se ipsum commendaret, se nulla commendatione neque a Corinthiis neque ad Corinthios indigere praemittit, quia ipsa ecclesia corinthia sit sua commendatitia epistola ab ipso Spiritu scripta (3,1-3).

b.) Ne tamen haec ipsa assertio pro nova sui ipsius commendatione habeatur, rationem addit, cur tanta cum fiducia loquatur: se nimirum omnia a Deo habere probe scit, quippe a quo idoneus minister Novi Testamenti factus sit (3,4-6).

2.) *Novi Testamenti* autem *ministerium tam excelsum esse docet, ut illis, qui hoc ministerio fungantur, fiducia loquendi* (παῤῥησία) *uti liceat* (3,7-4,6).

a.) Nam novi Testamenti ministris maior quam Veteris ministris competit gloria, quia Novum Veteri praestat, sive modus comparatur, quo utrumque datum est (3,7. 8), sive utriusque effectus (3,9. 10), et duratio considerantur (3,11).

b.) Propter maiorem autem gloriam etiam maiore fiducia loquendi uti decet Apostolos; neque opus habent, ut velamine

sicut Moyses faciem occultent (3,12. 13); namque Iudaei (haec Apostolus per parenthesin ad iudaizantes suos adversarios pudore afficiendos inserit) velamen etiamnunc gerunt, Christiani vero Christum revelata iam facie intuentes ei assimilantur in eiusque imaginem transformantur (3,14-18).

c.) Ob hanc igitur novi ministerii excellentiam se quoque tanta cum fiducia et claritate praedicare asserit (4,1. 2) sermonemque suum illis solis obscurum esse, qui a satana occaecati lucem evangelicam non vident (4,3. 4), quam utpote a Deo sibi datam ipse tamquam fidelium servus inter eos propagare debeat (4,5. 6).

3. — *Duarum calumniarum refutationem Paulus confirmat ratione descripta, qua Apostoli munere suo fungantur* (4,7-6,10).

1.) *Finis quippe, quem in munere suo exercendo prosequuntur, alius non est, nisi ut Christo placeant, a quo laborum suorum praemium sint accepturi* (4,7-5,10).

a.) Ab obiectionis tacitae, quae fieri potuit, refutatione exorditur : assertae quippe excellentiae muneris apostolici parum respondere misera et abiecta vita Apostolorum videbatur. Quod ut refellat, optime se scire monet, Apostolos excelso huic ministerio esse impares, attamen Deum instrumenta tam debilia elegisse, ut sua in eis virtus manifestius appareret, quatenus eos in innumeris tribulationibus perire non permittens in eis vivam Christi morientis et resurgentis imaginem exhiberet (4,7-12).

b.) Sed quoniam eodem, quo olim Psalmista, spiritu fidei in tribulationibus confortantur, ideo etiam cum fiducia praedicant, et quoniam insuper per eum, qui Iesum resuscitavit, sese ipsos una cum fidelibus aliquando resuscitatum iri confidunt, ideo omnia propter illos et quidem ad maiorem Dei gloriam tolerant (4,13-15),

ad aeternam immensamque prospicientes mercedem, quam transitoriae tribulationes procuraturae sint (4,16-18).

c.) Quam resurrectionis spem fusius confirmans (5,1-5) disertis verbis asserit, id unice se in tota sua agendi ratione prae oculis habere, ut placeat Christo, a quo praemium aut poenam omnes tandem sint accepturi (5,6-10).

2.) *Causa porro, qua Apostoli in munere suo exercendo impelluntur et diriguntur, ipsa caritas Christi est, qui pro omnibus mori voluit* (5,11-6,10).

a.) Paucis praefatus se haec non scribere, ut se eis commendet, sed ut eos doceat, qua ratione Apostolos suos pro Deo solo et fidelibus laborantes defendere possint (5,11-16),

b.) caritate Christi pro omnibus morientis, ut omnes peccato mortui Deo vivant, se sociosque suos urgeri dicit (5,14. 15) et quidem, ut in nova vita, quam per Christum acceperunt, tamquam eius vicarii idem illud reconciliationis munus, quod ille erga Apostolos exercuit, erga fideles et infideles exerceant (5,16-21).

3.) *Quomodo autem Apostoli caritatem Christi, qua impellantur, in vita sua manifestent explanaturus* (6,1-10)

a.) suam agendi rationem, quam Corinthii ipsi spectarant, eis in memoriam revocat, ut se Christum imitatum esse perspiciant, quatenus omnem offensionem evitaverit (6,1-3),

b.) ac praesertim quatenus omnes virtutes exercuerit[1] (6,4-7) idque in omnibus vicissitudinibus (6,8-10).

4. — *In apologiae epilogo* (6,11-7,16)

1.) *Paulus neophytos praeprimis exhortatur* (6,11-7,1)

a.) ut suae, quam eis exhibuit, caritati caritatem eandem rependant (6,11-13),

b.) et quoniam caritas opere probetur, eos ab infidelium vitiis sese abstinere vult, utpote quae christiana cum sanctitate pugnent (6,14-16);

illos enim, quibus Deus sit pater, ab omni prorsus inquinamento mundos esse debere (6,17-7,1);

2.) *suumque continuum erga eos caritatem manifestat* (7,2-16).

Qua caritatis manifestatione animos eorum sibi devincit et apologiae suae novam vim attribuit; simul autem Titum commendans, quem ad collectas terminandas Corinthum missurus est, alteram epistolae partem praeparat.

a.) Post brevem ergo amoris et fiduciae suae assertionem (7, 2-4) refert, quantam consolationem ex bonis nuntiis a Tito allatis hauserit (7,5-7);

nam tristitiam, qua illos afficere debuerat, nunc sibi causam factam esse consolationis (7,8-13),

b.) atque hanc consolationem non parum auctam esse quum consolatione illa, quam Titus apud eos invenerit, tum amore, quo Titus quoque eos nunc complectatur (7,14-16).

1. Pro « *exhibeamus* » (6,4) legendum esse participium « *exhibentes* », ita ut non exhortationem, sed descriptionem habeamus, pro certo supponimus. Participium enim non tantum textus graecus et reliquae versiones exhibent, sed in antiqua latina quoque versione adfuit, id quod ex commentario Ambrosiastri apparet (quamvis textus commentario praemissus habeat : *exhibeamus*) et ex S. Augustino (Doctr. christ. IV. 20; de Trin. VIII. 9). Merito eandem lectionem praeferunt Estius, Sa, Menoch., Gordon aliique multi. Lectio hodierna ex Missali (Dom. 1. Adv.), in quo totus locus ad omnes fideles accommodatur, in hodiernam nostram Vulgatam transiit.

III. In secunda parte paraenetica (8,1-9,15) *de collectis pro ecclesia ierosolymitana faciendis agit.*

1.) *Collectas faciendas in genere commendat* (8,1-15).

a.) Macedonum liberalitate magnis laudibus celebrata (8,1-5) se Titum, qui Corinthi eleemosynas illas colligat, missurum annuntiat (8,6) speratque fore, ut Corinthii, quemadmodum aliis virtutibus, liberalitate excellant (8,7).

b.) Imperare quidem hac in re non vult, suadet autem, ut Christi pro nobis egeni facti memores et ad utilitatem suam respicientes collectas terminent ab anno iam inceptas (8,8-11), et ut pro quisque viribus contribuat (8,12-15).

2.) *Nonnulla deinde de ministris collectarum insèrit* (8,16-24).

a.) Ante omnia Titum praedicat, qui negotium hoc libenter ob suum Corinthiorum amorem in se susceperit (8,16. 17);

b.) et ratione indicata, cur eum unum isto munere fungi nolit (8,18-21) etiam duos fratres laudat, quos ei socios adiungendos duxit (8,22-24).

3.) *Demum cito, abundanter, hilariter dari iubet* (9,1-15),

a.) atque cito quidem, ne ipse erubescere debeat coram Macedonibus secum venientibus (9,1-5);

b.) abundanter autem et hilariter (9,6. 7), quia Deus retribuere potest et certissime retribuet iis, qui hac ratione daturi sint (9,8-11), quandoquidem hoc misericordiae opus in maiorem Dei gloriam cedat (9,12-15).

IV. In tertia parte polemica (10,1-13,10) *pseudapostolos confundens Apostolus apostolicam suam auctoritatem vindicat;* hinc prima persona singulari utens solos fere semper adversarios suos directe alloquitur.

1.) *Apostolicam potestatem in universum sibi vindicat* (10,1-18).

a.) Ex abrupto magnaque cum vi adversarios suos, ut se corrigant, exhortans, ne praesens contra eos armis illis uti debeat, quae carnalia quidem esse calumnientur, sed quae spiritualia sint (10,1-6),

b.) sibi hanc potestatem competere ita apertum esse asserit, ut non tantum de ea absens per epistolas, quemadmodum illi calumnientur, glorietur, sed praesens quoque, si opus fuerit, eam exercere audeat (10,7-11);

c.) neque enim illis similis est, qui aliam gloriationis mensuram quam se ipsos non cognoscentes insaniunt[1], sed dumtaxat

1. Sequimur lectionem, quam habet *S. August.* (in Ps. 34,18; Civ. Dei XII. 17; c. Faust. XXII. 47.): « *Comparantes semetipsos semetipsis non intelligunt* », quum contextui magis conveniat et textui graeco respondeat. Vulgata enim duo vocabula οὐ συνίουσιν vel οὐ συνιᾶσιν omisit; formam autem συνίουσι non pro dativo Partic. sed pro 3.

secundum mensuram laborum suorum in Domino gloriatur utpote ab eo commendatus (10,12-18).

2.) *Semet ipsum pseudapostolis opponens quam longe illos omni ratione superet, ostendit, et quam indigni sint existimatione, in quam apud neophytos venerunt* (11,1-12,8).

a.) Paulus de sua integritate gloriatur (11,1-15).

α. — Gloriosa quaedam de se ipso dicturus veniam Corinthiorum precatur (11,1) rationibus, cur ita agat, additis; solam quippe neophytorum in periculo versantium utilitatem spectat (11,2-4) gloriandique possidet ius, utpote adversariis gloriantibus non inferior (11,5. 6).

β. — Itaque, ut se eis non inferiorem sed superiorem demonstret, primum Corinthiis in memoriam revocat, quanta cum integritate inter eos versatus sit Evangelium gratis annuntians (11,7-9); deinde sese in posterum inter eos eodem modo acturum asserit, ne adversarii sese ipsos hac in re sibi adaequari possint (11,10-12), quum veri Apostoli non sint, sed ministri satanae (11,13-15).

b.) De laboribus apostolicis susceptis ac tribulationibus toleratis gloriatur (11,16-33).

α. — Novum gloriationi praemittit excusationem; ut enim a Corinthiis, licet insipienter loqui videatur, patienter audiatur rogat (11,16. 17); siquidem se ipsum commendans exemplum adversariorum suorum sequitur (11,18) remque facit neophytis gratam, qui se eiusmodi stultitiam amare suo agendi modo ostendant (11,19-21).

β. — Porro ad gloriationem transiens se in naturalibus donis aequalem esse adversariis praefatus (16,22)

se illis superiorem esse demonstrat tribulationibus pro Evangelio toleratis (11,23-27) et laboribus in ecclesiarum administrationem impensis (11,28. 29);

in infirmitate enim sua tantum gloriari vult (11,30. 31); quare insigni infirmitatis suae documento priorem gloriationis particulam terminat (11,32. 33).

c.) De donis divinitus acceptis gloriatur (12,1-10).

α. — Quamvis plura visionum suarum exempla se afferre posse significet (12,1), pro modestia et humilitate sua unam solam affert paucisque absolvit (12,2-4), quia in infirmitatibus suis gloriari mavult (12,5).

β. — Itaque ne maior habeatur, quam externis suis laboribus

pers. plur. cum *S. Chrysost.* aliisque Graecis explicamus, quemadmodum Vetus Latinus quoque iam fecerat.

esse apparet (12,6), magna quadam, qua afflictus sit, calamitate divinitus provisum esse monet, ne revelationum suarum sublimitate intumesceret (12,7-9); hinc de infirmitatibus gloriari amat, quibus auxilium divinum meretur (12,9. 10).

3.) *Partis polemicae conclusio* (12,11-13,10).

a.) Propter Corinthiorum silentium Paulus sese ipse commendare coactus est (12,11-18).

α. — A Corinthiis quippe contra adversarios defensus non est, quamvis se apud eos omni modo genuinum Apostolum probasset (12,11. 12);

β. — de una utique re conqueri eos posse, scilicet quod ab illis nihil acceperit (12,13); at eadem cum integritate in proximo suo adventu inter eos conversari vult de solis eorum animis sollicitus (12,14. 15);

optime enim eos scire, se nec per se nec per legatos ullum ab eis commodum quaesivisse (12,16-18).

b.) Finis autem defensionis suae unicus erat aedificatio et correctio eorum (12,19-13,10).

α. — Neque enim haec coram eis quasi iudicibus protulit, sed coram Christo et Deo ad solam eorum aedificationem locutus est (12,19), ut eos nimirum emendet a variis, quae enumerat, vitiis (12,20. 21);

β. — tamquam severus autem iudex adveniet eorum qui corrigi nolunt (13,1-4); quare eos exhortatur, ut sese iam nunc accurate examinent (13,5. 6).

γ. — Demum Deum rogat, ut gratia sua eos a malo avertat; quoniam enim eos omnibus bonis abundare, quam suam iudiciariam potestatem inter eos manifestare malit, hac epistolam suum adventum praeparavit (13,7-10).

V. Brevissimus epilogus (13,11-13) exhortatoria quadam sententia, salutationibus, benedictione apostolica constat.

4. — *Epistola B. Pauli ad Galatas.*

Galatiae nomine ab Apostolo romanam illam provinciam intelligi, quae praeter galaticam regionem etiam Lycaoniae, Pisidiae, Pamphyliae partes complectebatur, non communior quidem sed verisimilior tenet sententia; Galatiae ecclesiae igitur, quibus haec epistola inscribitur, illae videntur esse, quas in primo itinere suo Paulus et Barnabas Antiochiae in Pisidia, Lystris, Derbae in Lycaonia, et « per totam regionem in circuitu » fundaverant. In secundo suo itinere Paulus illis promulgavit decretum concilii apostolici, quo ethnici conversi ab observatione Legis mosaicae liberi declarabantur, gravissimis simul verbis eas admonens : « si quis evangelizaverit vobis praeter id, quod accepistis, anathema sit »; a iud ai-

zantibus enim novum periculum eis imminere praevidit. Ac profecto iudaizantes, quum post decretum apostolicum neophytis ethnicis salutem negare non amplius possent, alia via eos ad circumcisionem adducere conabantur. Pauli scilicet, quippe qui ab hominibus doctrinam et missionem accepisset, auctoritati auctoritatem « magnorum Apostolorum » opposuerunt, qui a Domino ipso essent edocti et dignitate apostolica insigniti; neophytos a Paulo conversos non esse perfectos Christianos, nisi circumcisione accepta dignos se reddidissent societate « magnorum Apostolorum »; Legem igitur, etsi ad salutem non esset absolute necessaria, utilissimam tamen esse et multum conferre, quandoquidem per Legem evasuri essent veri filii Abrahae, cui datae essent promissiones. Id quod Paulus timuerat accidit, quando in ecclesiis Macedoniae et Achaiae fundandis occupatus erat; speciosis suis argumentis iudaizantes gravem perturbationem in ecclesiis Galatiae excitare coeperunt; sed periculo imminenti Apostolus nostram epistolam opposuit, in qua pro rei natura apostolicam suam auctoritatem praedicationisque suae conformitatem cum aliorum Apostolorum doctrina a iudaizantium calumniis vindicat, refutatis autem eorum argumentis Legem ad iustificationem nihil conferre ostendit atque ex doctrina proposita practicas quasdam conclusiones deducit. Tres igitur praeter exordium et epilogum distinguuntur partes : apologetica, dogmatica, paraenetica.

A. 53. Corinthi videtur esse scripta epistola.

I. Exordium sollemnius epistolae (1,1-10)

1.) *inscriptione longiore* constat, qua Apostolus duplici epistolae argumento quasi praeludens divinam apostolatus sui originem vindicat (1,1. 2) atque gratiae apprecationi assertionem redemtionis nostrae per Christum factae inserit (1,3-5),

2.) *et increpatione Galatarum* (1,6-10).

Consuetae enim actionis gratiarum loco Paulus

a.) stuporem suum de repentina eorum mutatione et de levitate exprimit, qua pseudapostolis fidem habuerunt (1,6-7),

b.) eorumque seductoribus, quia doctrinam diversam praedicent, anathema dicere non veretur, quum despecto hominum favore Deo soli placere studeat (1,8-10).

II. Pars prima apologetica (1,11-2,21), *qua Paulus apostolicam suam auctoritatem et doctrinam vindicat.*

1. — *Atque primum quidem divinam doctrinae suae originem brevi conspectu vitae suae probat* (1,11-24).

1.) *Ante conversionem eam ab hominibus accipere non potuit* (1, 11-14).

a.) A statuenda ergo thesi, se Evangelium non ab hominibus, sed immediate a Christo accepisse, exorsus (1,11. 12),

b.) se ante conversionem illud ab hominibus non didicisse satis ostendit lectoribus in memoriam revocans, se antea Ecclesiae persecutorem et paternarum traditionum aemulatorem prae coaetaneis suis fuisse (1,13. 14).

2.) *Neque illud post conversionem ab Apostolis didicit* (1,15-24).

a.) Quamprimum enim ad fidem vocatus est et missionem suam ad gentes recepit, non ad Apostolos Ierosolyma perrexit, sed longe ab eis in Arabia et Damasci vixit (1,15-17);

b.) tribus annis post conversionem utique Ierosolyma venit, ut videret Petrum, sed quindecim tantum dies apud eum peregit nec alium Apostolum praeter Iacobum vidit (1,18-20).

c.) Quae iuramento confirmans (1,21) se postea in Syria et Cicilia vixisse asserit ignotum ecclesiis Iudaeae, quae nihil sciverunt, nisi pristinum persecutorem nunc iam propagare Evangelium (1,22-24).

Unde satis clarum est, eum doctrinam et missionem suam non ab aliis Apostolis accepisse, sed eodem cum iure, quo reliquos Apostolos, immediatum discipulum Christi esse appellandum.

2. — *Deinde Evangelii sui cum reliquorum Apostolorum doctrina consensum demonstrat* (2,1-21).

1.) *Eius enim Evangelium in concilio apostolico ab Ecclesiae auctoritatibus approbatum est* (2,1-10).

a.) Namque quum quatuordecim annis post prius iter commemoratum denuo Ierosolyma venisset, suumque Evangelium toti Ecclesiae et privatim Apostolis palam proposuisset (2, 1. 2), illud reliquorum doctrinae conforme esse inventum patet iam ex eo, quod Titus, quem non circumcisum secum adduxerat, ad circumcisionem non sit coactus, quamvis pseudofratres id postulaverint (2,3-5), suoque Evangelio a reliquis nihil sit additum (2,6).

b.) Immo vero columnae Ecclesiae, Iacobus, Petrus, Ioannes, quum Evangelium praeputii ei divinitus concreditum laboresque eius inter gentes, non minus quam suos inter Iudaeos, gratiis concessis a Deo approbatos esse vidissent, ei tamquam genuino Apostolo praedicationem inter gentes velut provinciam propriam assignarunt misericordiam tantum erga pauperes Iudaeochristianos ei commendantes (2,7-10).

2.) *Atque iterum eius Evangelium Antiochiae a Petro comprobatum esse dicendum est* (2,11-21).

a.) Petrus enim Antiochiae cum ethnicis conversis ethnice vivens Pauli doctrinam cum sua consonare ipsa vitae suae ratione clare ostendit (2,11. 12);

b.) neque minus illam approbavit reprehensioni Pauli non contradicens, quum ad Iudaeochristianorum scandalum vitandum sese ab ethnicorum societate separasset exemploque suo

alios atque ipsum Barnabam ad idem faciendum perduxisset (2,12-14);

c.) quin etiam rationes approbasse censendus est, quibus reprehensionem suam Paulus communivit,

α. — quod Iudaeochristiani ipsi in Christum crediderint, quia persuasum illis erat, hominem non ex operibus Legis sed per solum Christum iustificari, ita ut illi non peccent, qui Legem propter Christum relinquant, sed ii peccent, qui relictam iterum assumant (2,15-18);

β. — quod Christiani omnes, utpote Christo inserti, cum Christo in cruce per Legem Legi sint mortui, atque cum Christo resurgentes novam vitam agant in Christo, qui pro eis se tradidit (2,19. 20);

γ. — quod Christi mors superflua dicenda esset, si Lex homines iustificaret (2,21).

III. ALTERA PARS POLEMICO-DOGMATICA (3,1-4,31) *Legem mosaicam ad benedictiones Abrahae promissas nihil conferre docet.*

Sermone suo antiocheno relato Paulus doctrinam de iustificatione per fidem in Christum obtinenda demonstrare vel potius a iudaizantium obiectionibus vindicare iam coeperat, quippe qui non tam utilitatem et ipsam necessitatem fidei negarent, quam Legis simul observationem, ut aliquis perfectus esset Christianus, necessariam praedicarent. Quem errorem ut stabilirent, fucato hoc argumento esse usi videntur: Ut quis benedictionum Abrahae promissarum (ac proinde iustificationis ac salutis) particeps fiat, ad semen Abrahae pertineat oportet; atqui circumcisione et Legis observatione homo fit filius Abrahae, seminique eius inseritur; ergo fideles quoque, ut vere iustificentur omnibusque iustitiae fructibus fruantur, circumcidi ac Legem totam implere debent. Iam tota haec pars in eo est, ut sophisma hoc tribus argumentis convellat.

1. — *Quasi pro introductione Paulus ad Galatarum ipsorum experientiam provocat, qua Legis observationem fidelibus non esse necessariam constet* (3,1-7).

a.) Etenim S. Spiritus donis (quae sunt evidens promissionum messianicarum documentum cfr *Act.* 2,15 sqq.) Galatae statim post fidem acceptam ditati sunt, antequam de Legis iugo subeundo cogitassent; Legis ergo operibus ad perfectionem non sunt adducti (3,1-5);

b.) unde sua sponte elucet, eos fide sua Abrahamo ex fide iustificato similes esse redditos atque fide sua filios Abrahae factos esse (3,6. 7).

2. — *Praecipuo deinde argumento ex Scripturis ostendit benedictiones Abrahae a Lege non pendere* (3,8-4,20).

1.) *Iuxta Scripturas enim soli qui ex fide sunt ius ad benedictiones Abrahae promissas habent* (3,8-14).

a.) Enthymemate argumentum totum proponit : Scriptura teste in Abrahamo omnes gentes benedicentur, ergo qui ex fide sunt soli cum fideli Abraham benedicentur (3,8. 9).

b.) Quam conclusionem ex contrario confirmat : Testatur enim Scriptura Legem afferre maledictionem, quum nemo omnia Legis praecepta implere possit (3,10);

atqui maledictionem hanc Lex ipsa auferre non potest, quia Scriptura docet hominem ex fide vivere, Lex autem non agit de credendis sed de faciendis (3,11. 12).

Christus vero eam abstulit, quando in cruce moriens illam in semetipsum suscepit, ut Lege sublata per ipsum gentes fierent participes Spiritus Sancti, i. e. benedictionis Abrahae promissae (3,13-14).

2.) *Obiectionem, promissiones Abrahae factas post Legis promulgationem iam a Legis observatione pendere, ita refutat, ut quem locum teneat Lex in salutis oeconomia explanet* (3,15-4,7).

a.) Se igitur ex iis, quae in quotidiana vita valent, argumentari praefatus testamentum alicuius ratihabitum irritari ab altero non posse monet, atque proinde promissiones quoque a Deo Abrahamo et eius semini (i. e. Christo omnibusque Christianis uni Christo insertis) factas (quae testamentum quoddam perpetuo duraturum constituunt), a Lege multo postea promulgata irritari non potuisse (3,15-17);

irritatae autem essent, si nunc iam hereditas non a fide, sed a Legis observatione penderet (3,18).

b.) Interroganti autem, ad quid Lex inserviat, si per eam hereditas messianica obtineri nequeat, Paulus praeparatorio et temporario eius charactere exposito respondet (3,19-4,7).

α. — Namque ut transgressionibus provocatis homo infirmitatem suam cognosceret eam datam esse docet velut aliquid intermedii, quod impletione promissionum adveniente cessaturum sit (3,20. 21);

β. — eam tamen promissionibus non adversari, sed illis obsecundare addit, quatenus peccatis et infirmitate homini manifestatis eum ad liberatorem quaerendum impellens ei paedagogus fiat ad Christum (3,22-24);

γ. — nunc vero Legem hoc munere esse privatam; tempore enim revelatae fidei nos paedagogo non amplius indigere, neque ideo, quia Iudaei per Legem ad Christum adducendi fuerint, eodem paedagogo nunc ethnicos indigere; per fidem enim et baptismum eos Christo inseri, ita ut ethnici et Iudaei in Christo unam personam mysti-

cam constituant ac proin omnia communia habeant : omnes iam esse semen Abrahae et ius habere ad eamdem hereditatem (3,25-29).

δ. — Quae per filii minoris, qui sub tutoribus est, analogiam explicans docet, tempus Legis fuisse tempus praeparationis et educationis (4,1-3),

quod iam nunc sit finitum, quia Christus adveniens omnes in libertatem vindicaverit; libertatis autem testem esse Spiritum S. omnibus datum, in quo, tamquam filii adoptivi, Deum appellamus patrem nostrum ac proin ius ad hereditatem habemus (4,4-7).

c.) Dilutis obiectionibus brevi exhortatione secundum argumentum terminatur (4,8-20).

α. — Galatae enim monentur, ne in servitutem, in qua antea ignorantes servierint, iam nunc scientes revertantur, neque Apostolum privent fructu laborum eius (4,8-11);

β. — ut pristini erga Apostolum amoris memores exemplum eius imitentur rogantur (4,12-16);

γ. — cavere quoque sibi iubentur a pseudapostolis, utpote qui eos perdituri sint (4,17. 18),

δ. — ac demum amanter conqueritur, quod viva voce filios errantes corrigere non valeat (4,19. 20).

3. — *Tertium argumentum typica interpretatio historiae duorum filiorum Abrahae praebet* (4,21-31).

a.) Praeprimis Apostolus historiam in memoriam revocat : Abrahae duos natos esse filios, unum ex serva secundum carnem, alterum ex libera secundum promissionem datam (4, 21-23),

b.) eandemque explicat docens, duas matres typice significare duo foedera : per Hagarem (Arabem natione) et servam, quae servum generet, repraesentari Vetus Foedus, quod datum sit in Sina, Arabiae monte, qui cum terrestri Ierusalem congruat (4,24. 25); Ierusalem autem coelestem, quae, etsi fuerit sterilis, per repromissionem multo plures filios generet, inter quos etiam nos simus, repraesentari per Saram (4,26-28).

c.) Porro in explicatione pergens in sorte duorum filiorum Abrahae praefiguratam videt sortem infidelium et fidelium; Ismaelem videlicet persecutum esse Isaacum, atque ideo secundum voluntatem Dei e domo eiectum et hereditate privatum esse (4,29. 30).

d.) Quasi triumphans autem concludit nos filios liberae esse, in quam libertatem nos Christus vindicaverit (4,31).

IV. Tertia pars paraenetica (5,1-6,10) *ex doctrina proposita conclusiones quasdam practicas deducit eisque nonnulla monita specialia addit.*

1. — *Doctrinae expositae tria consectaria* (5,1-25).

1.) *Neophyti sibi caveant, ne Legi sese subiicientes gratiam Christi amittant* (5,1-6).

a.) Qui enim circumcisioni se subiiciunt, ad totius Legis observantiam se obligant et hac ratione ex operibus iustitiam quaerentes eo ipso a gratia excidunt (5,1-4);

b.) ad salutem enim nihil valet nisi fides quae caritate informata est (5,5. 6).

2.) *Gravem poenam seductores Galatarum merentur* (5,8-12).

a.) Non a Deo permotos Galatas viam, in qua bene currere incepissent, nunc iam reliquisse praefatus (5,7-9),

b.) Paulus eorum seductores iudicium non esse evasuros annuntiat atque eorum calumniam, quod ipse quoque circumcisionem praedicet, paucis reiiciens dira eis imprecatur (5, 10-12).

3.) *Attendant Galatae ne libertatem a Lege in carnis servitutem convertant : sed spiritu ambulent* (5,13-25).

a.) Quum a Lege sint liberati, servitutem carnis vitent oportet exercitio caritatis (5,13-15).

b.) Spiritu igitur ambulent; continua quippe est carnis et spiritus colluctatio; qui autem spiritu ducuntur, non sunt sub Lege (5,16-18).

c.) Ut autem fideles sciant, num carne an spiritu regantur, Paulus quum carnis opera enumerat, quae a regno Dei excludant (5,19-21), tum spiritus fructus, qui Legis minis ac poenis non attingantur (5,22. 23);

d.) demum praeceptum, ut spiritu ambulent, in ipsa notione Christiani, quippe qui Christo sit insertus, fundari declarat (5,24. 25).

2. — *Monita varia* (5,26-6,10).

a.) Vitandum Apostolus praecipit inanis gloriae studium, quippe quo caritas erga proximum laedatur (5,26);

b.) immo vero haec caritas etiam fratri peccanti exhibendam esse monet, qui cum lenitate corrigatur necesse sit (6,1); ut enim lex Christi impleatur, fideles alterum alterius defectus tolerare debere, omni vitata superbia, quum de suis quisque rationem redditurus sit (6,2-5).

c.) Catechumenis deinde quid suis magistris debeant inculcans (6,6) ad beneficentiam commendandam transit futura eius remuneratione commemorata (6,7. 8) atque generali exhor-

tatione ad omnia caritatis officia erga omnes sed maxime erga fratres exercenda huic parti finem imponit (6,9.10).

V. Epilogus epistolae (6,11-18) *a Paulo sua manu additus.*

1.) *Pro rei gravitate Paulus sua ipsius manu Galatis perversa iudaizantium motiva revelat,* qui legalia quaedam observant, ut persecutionibus (infidelium Iudaeorum) se subtrahant, et legalium observationem postulant, ut in aliorum carne glorientur (6,12.13), quibus se ipse opponit, qui in sola cruce Christi gloriam quaerat (6,14);

2.) *generale epistolae argumentum repetit,* neque circumcisionem neque praeputium quidquam valere docens sed solam unionem cum Christo, qua sola ad pacem perveniatur (6,15.16);

3.) *monet, ne se ipsum ulterius impugnent,* quippe qui tamquam genuinus Apostolus Christi ex tribulationum, quas pro Christo pertulit, stigmatis cognoscatur (6,17);

4.) et *concludit epistolam benedictione apostolica* (6,18).

5. — *Epistola B. Pauli ad Ephesios.*

Pro paterna sollicitudine, qua etiam captivus ecclesiis a se fundatis continuo invigilavit, S. Paulus versus finem prioris suae captivitatis romanae, Ephesiis scripsit. Occasionem autem scribendi dissensio quaedam inter neophytos ephesios exorta ei videtur praebuisse, quum Ethnicochristiani sese a Iudaeochristianis postponi et despici arbitrarentur. Quocirca Apostolus, ut eorum animos erigeret, magna beneficia per Christum omnibus hominibus allata in memoriam revocans ea maxime praedicat, quorum ethnici, pariete intermedio Iudaeos inter et Gentiles iam destructo, vocatione sua facti sint participes; sed simul etiam monitis suis eos ab ethnicis moribus avertit, quibus contemtum et despectum fratrum suorum circumcisorum videntur provocasse.

Epistolam hanc Ephesiis per Tychicum et Onesimum misit, qui simul Colossensibus atque Philemoni epistolas attulerunt; exeunte igitur a. 63. vel ineunte a. 64. scripta recte dicitur.

Inscriptio epistolae (1,1.2)

(Paulus sanctis et fidelibus qui Ephesi sunt).

1. Parte priore dogmatica (1,3-3,21) *Apostolus Deo laudes precesque offerens eius beneficia omnibus quidem fidelibus, maxime autem Ethnicochristianis, per Christum et in Christo allata celebrat.*

1.) *Praeprimis Deo gratias agit de beneficiis, quae generatim omnibus fidelibus per Christum contulerit* (1,3-14),

a.) quod nimirum eos ab aeterno ad iustificationem et adoptionem elegerit ac praedestinaverit (1,4-6),

b.) deinde aeternum caritatis suae consilium exsecutioni man-

daverit per Iesum Christum, quippe qui sanguine suo eos redemerit peccatorumque remissionem eis meruerit atque reconciliationis mysterium eis revelaverit (1,7-12),

c.) demum ad fidem vocatis eamque amplexis Spiritum S. contulerit futurae hereditatis arrham (1,13. 14).

2.) *In specie de Ephesiorum (ethnico-christianorum) perseverantia in fide et caritate gratias agit* (1,15-2,22).

a.) Deum obsecratus, ut eos gratia sua illustret, qua quanta vocationis huius ac futurae gloriae sit celsitudo, et quanta divinae virtutis magnitudo cognoscant (1,15-19),

b.) quanta sit divina virtus paucis exponit (1,20-2,10),

α. — attentos eos reddens quum ad ea quae in Christo effecerit, utpote quem a mortuis resuscitatum supra omnia exaltaverit et Ecclesiae caput constituerit (1,20-23);

β. — tum ad ea quoque, quae in ipsis Ephesiis Deus effecerit, quos quum aliquando, aeque ac Iudaei, mortui essent peccatis suis (2,1-3), propter caritatem suam cum Christo resuscitavit et exaltavit, ut divitias gratiae suae manifestaret (2,4-7); gratia enim sunt salvati, et non ex operibus propria virtute patratis (2,8-10).

c.) Quare ut vocationis suae semper memores magnitudinem eius agnoscant, eos exhortatur (2,11-22).

α. — Una enim ex parte pristini sui status recordari iubentur, in quo longe remoti ac separati ab isto populo, cui promissiones erant factae, sine hereditatis spe ac sine Deo degerint (2,11. 12);

β. — altera autem ex parte se nunc per sanguinem Christi populo illi esse insertos considerare debent (2,13);

Christus enim parietem illum, qui Iudaeos et ethnicos separavit, morte sua cruenta delevit pacemque utrisque conciliavit, ut omnibus nunc in eodem Spiritu aditus ad Patrem pateat (2,14-18);

quapropter gentiles quoque nunc veri sunt cives regni messianici atque ad unum illud aedificium, cuius lapis angularis est Christus, pertinent (2,19-22).

3.) *Deum precatur, ut Ephesii in vocatione conserventur* (3,1-20).

a.) Ut vocationis gratiam pluris aestiment, precationem inchoatam (3,1) interrumpens explanat, quo in loco ipse habeat apostolatum gentium; speciali videlicet revelatione de salute et hereditate etiam gentibus in Christo et per Christum danda edoctus est (3,2-6), et speciali gratia instructus, ut Christi divitias gentibus annuntiaret (3,7-13).

b.) Deinde ad precationem inchoatam reversus, Patri supplicat ut Ephesios in fide roboratos et in caritate radicatos ad supereminentem Christi caritatem intelligendam perducat gratiarumque plenitudine donet (3,14-19).

c.) Precationem autem et gratiarum actionem suam brevi doxologia terminat (3,20. 21).

II. Altera pars paraenetica (4,1-6,9) *de officiis vitae vere christianae agens potissimum ethnica vitia impugnat.*

1.) *Praeprimis ex doctrina sua Paulus unitatem in Ecclesia servandam esse deducit* (4,1-16).

a.) Quoniam ethnici conversi Iudaeochristianis omnino sunt aequales, consequens est ut et utrique ipsi unitatem, et quidem non tantum externam sed internam quoque, colant ac servare studeant (4,1-3); unum enim corpus constituunt, quod uno Spiritu vivificatum eundem habet finem iisdemque mediis ad eum tendit (4,4-6).

b.) Neque ob membrorum diversitatem hanc unitatem ullo iam modo turbare licet (4,7-16).

α. — Nam utique diversitas quaedam inter membra adest (4,7), quandoquidem Christus, quem gratiarum distributorem esse Apostolus quasi per parenthesim demonstrat (4,8-10), unicuique gratiam confert secundum beneplacitum suum (4,11),

β. — at diversitas haec ipsa ad eandem unitatem iuvat, quoniam alium finem non habet, nisi ut omnes homines ad unitatem fidei perfectam adducat, « in qua, inquit S. Thomas (i. h. l.), perficitur corpus Christi mysticum spirituali perfectione ad similitudinem corporis Christi veri » (4,12-16).

2.) *Ex eadem doctrina sua Paulus deducit, fidelibus vitam agendam esse ab ethnicorum vita plane diversam* (4,17-5,20).

a.) Morum enim principio, quo ethnici in sua caecitate ad omnia peccata seducantur, paucis adumbrato (4,17-19) praecipit,

α. — ut fideles, utpote melius edocti, veterem hominem cum suis desideriis erroris deponant, novum autem, qui secundum Deum in iustitia creatus sit, induant (9,20-24);

β. — abstineant ergo a mendacio aliisque vitiis ethnicorum, ne Spiritum contristent (9,25-30);

γ. — veram autem caritatem exerceant (4,31. 32), Deum imitantes, cuius filii sint, et Christum, qui pro nobis se obtulerit (5,1. 2);

δ. — longissime demum absint ab omni immunditia (5,3-5).

b.) Sibi quoque cavere eos iubet a seductoribus (5,6. 7); postquam enim tenebris iam dispersis lux fidei illis illuxerit, ex fide nunc illis esse vivendum et abstinendum ab omnibus iis, quae tenebras quaerant (5,8-14).

c.) Quae monita generalia terminat exhortans, ut velut sapientes ambulent tempore bene utentes, voluntatem Dei observantes, pleni Spiritu S., in continua gratiarum actione ac precatione (5,15-20).

3.) *Tertio in loco specialia tradit monita, quae in familiis christianis observanda sint* (5,21-6,9).

a.) Generali praecepto de obedientia debita omnibus superioribus praestanda praemisso (5,21)

b.) de mutuis coniugum officiis agit (5,22-33).

α. — Uxores viris suis subditae sint, quum vir sit caput mulieris, sicut Christus est caput Ecclesiae (5,21-24);

β. — viri autem vicissim ament uxores, sicut Christus Ecclesiam, qui amorem hunc maximis beneficiis eidem collatis manifestavit (5,25-27);

γ. — cuius utriusque praecepti ratio unio intima coniugum est, quae ipsa est imago intimae illius unionis, quae inter Christum et Ecclesiam intercedit (5,28-33).

c.) Ad filiorum porro et parentum officia transiens (6,1-4)

α. — filiis praeceptum decalogi in memoriam revocat (6,1-3),

β. — parentes autem monet, ne erga filios limites iustos severitatis aut indulgentiae transgrediantur (6,4).

d.) Demum explicat servorum et dominorum officia (6,5-9).

α. — Servi dominis servitium praestent, velut Christo, in dominis non homines, sed Deum spectantes et aeternam mercedem ante oculos habentes (6,5-8);

β. — domini vero meminerint, servos qua Dei filios sibi esse aequales coram Deo (6,9).

In EPILOGO EPISTOLAE (6,10-24)

1.) *Apostolus pro conclusione omnes exhortatur, ut confortentur ad pugnandum in Domino* (6,10);

quae pugna, quum sit contra diabolum (6,11. 12), postulat, ut induant armaturam Dei, quam describit (6,13-17),

atque praesertim ut perseverent in oratione; orent autem etiam pro ipso Apostolo, ut in catenis quoque munere apostolico bene fungi queat (6,18-20).

2.) Ad Tychicum tandem eos remittit, ut quae ad ipsum spectent per illum audiant (6,21.22), illisque apostolicam benedictionem impertitur (6,23. 24).

6. — *Epistola B. Pauli ad Philippenses.*

Prae ceteris ecclesiis philippensem, quam primam in Europa fundaverat, S. Paulus videtur amavisse, ita ut ab ea sola eleemosynas in suum usum reciperet. Iam in secundo eius itinere Philippenses, paullo postquam fidem receperunt, Thessalonicae et Corinthi indigentiae eius succurrerant (*Phil.* 4,10 sqq.; 2 *Cor* 11,9); atque quamprimum eum vinctum Romae degere resciverunt, Epaphroditum (episcopum suum?) miserunt, qui ei novum caritatis suae munus deferret; per eundem autem didicit Apostolus, quae ecclesiae eorum esset conditio. Quam in genere quidem optimam fuisse tota epistola docet; at quemadmodum pro humana fragilitate fieri fere solet, nonnulla indigebant correctione quadam : aliquorum enim vana gloria discordias disceptationesque provocaverat, atque a iudaizantibus, qui in vicinis ecclesiis errores suos spargere coeperant, Philippensibus quoque imminebat periculum. Quibus rationibus permotus eis has literas dedit, ut de eleemosynis transmissis gratias eis ageret, ad bonam viam retinendam eos exhortaretur, ad periculum imminens attentos eos redderet. Quae argumenta tamen cum familiaritate quadam tractat. et neglecto severo ordine, quem in dogmaticis suis dissertationibus tenet, liberiore stylo epistolari explicat.

Romae in aestate a. 63. epistola scripta recte dicitur.

I. Exordium (1,1-11) more solito constat

a.) *inscriptione epistolae* (1,1.2),

(Paulus et Timotheus fidelibus philippensibus et clero)

b.) et *gratiarum actione* (1,3-11),

qua Deum celebrat eo quod Philippenses a primo conversionis die semper promoverint Evangelii propagationem (1,3-5), quodque confidere sibi liceat, Deum in illis bonum opus, quod incepit, esse perfecturum, id quod pro sua erga eos caritate quam maxime desiderat (1,6-8).

Quare etiam pro eis Deum precari non cessat, ut in omni bono semper crescentes in secundo Christi adventu non tantum integri, sed etiam repleti fructibus iustitiae inveniantur ad maiorem gloriam laudemque Dei (1,9-11).

II. Parte priore historica (1,12-2,30) *Apostolus de suis ipsius suorumque sociorum rebus Philippenses certiores reddit, monitis nonnullis insertis.*

1.) *Atque ante omnia quidem de se suisque rebus loquitur Apostolus* (1,12-26).

a.) Laetus videlicet illis annuntiat, vincula sua Evangelio propagando profuisse, quia non tantum ipse inter milites (in toto praetorio) et inter alios illud annuntiaverit, sed plerique fratres quoque vinculis suis in fide confirmati audaciores ad illud praedicandum sint effecti (1,12-14);

b.) non omnes quidem fratres in illo propagando eadem pura

intentione duci, siquidem aliqui id simul intendant, ut sibi (Paulo) noceant; at parum sua interesse, dummodo Christus annuntietur (1,15-18);

c.) se enim id solum quaerere atque etiam eorum orationibus se obtenturum sperare, ut Christum glorificet sive per vitam sive per mortem suam (1,19-21).

d.) Quidnam ex duobus praeferendum sit, se ignorare fatetur; una ex parte se mortem desiderare, altera ex parte se vitam suam fidelibus etiamnum necessariam credere, ideoque se confidere fore, ut periculo mortis ereptus ad Philippenses reverti possit (1,22-26).

2.) *Hinc occasionem arripit, ut monitis insertis quibusdam neophytos ad novum fervorem exhortetur* (1,27-2,18).

a.) Dignos enim Evangelio illos ambulare vult, ut sive praesens sive absens semper audiat, illos inter se unitos et fortes secum pro fide pugnare, quandoquidem illam gratiam a Deo acceperint, ut non tantum credant, sed etiam pro fide patiantur (1,27-30).

b.) Cui generali monito alterum speciale ad concordiam perfectam adnectit, quae ex vera humilitate et sui abnegatione exoriatur (2,1-4).

Quod ut efficacius inculcet, Christi exemplum illis in memoriam revocat, quoniam eodem, quo Dominus, animo affecti sint oporteat (2,5).

Iam vero Dominus, quum verus esset Deus, servi tamen natura assumta humilitatem exercuit perfectissima sua usque ad mortem obedientia, qua exaltationem gloriamque altissimam sibi promeruit (2,6-11).

c.) Quo exemplo proposito Philippenses excitat, ut, quemadmodum se ipso praesente Christum imitati divinis iussis obtemperaverint, ita se ipso absente salutem suam maiore cum sollicitudine operari studeant, memores se Deum habere cooperatorem (2,12.13).

Libenter igitur et prompte omnia faciant, ut integritate sua et simplicitate, veluti luminaria in tenebris luceant, atque hac ratione ipsi Apostolo suo causam gloriandi offerant in die iudicii, quatenus nimirum se non in vacuum laborasse sit visurus (2,14-18).

3.) *Post quae monita de sociis suis nonnulla addit* (2,19-30).

a.) Se Timotheum ad illos esse missurum annuntians gravissimis verbis eum quum propter eius erga illos sollicitudinem tum propter eius erga se (Paulum) pietatem illis commendat

(2,19-22); hunc ergo se missurum esse, quamprimum de causae suae exitu certitudinem habuerit, promittit atque simul spem suam significat fore, ut et sibi quoque mox ad eos venire liceat (2,23.24).

b.) Interea autem se nunc iam mittere dicit Epaphroditum, cuius gravi morbo Philippenses aeque atque ipse contristati fuerint (2,25-27);

cum gaudio autem eum esse recipiendum et in honore habendum monet, quia propter opus Christi haec perpessus sit (2, 28-30).

III. Pars altera paraenetica (3,1-4,7) *Philippenses contra periculum praemunit, quod a iudaizantibus eis immĭnet, eosque aliis monitis ad virtutem exercendam adhortatur.*

1.) *Monitum contra iudaizantes* (3,1-4,1).

Quum literas terminaturus Paulus Philippenses iam ad gaudium exhortari coepisset (3,1[a]), subito periculi recordatus, quod eis a iudaizantibus imminebat, contra illud eos praemuniendos censuit; quare monitum hoc, quod in priore quadam epistola (hodie deperdita) eis transmiserat (3,1[b]) repetere voluit [1].

a.) Cum vehementia quadam ex abrupto illis ante oculos ponit adversarios suos, quos *concisionem* acerba cum ironia appellat; vera enim *circumcisio* (i. e. populus electus) sunt Christiani, qui in Christo gloriantur et non in carne circumcisa fiduciam ponunt (3,2.3).

b.) Verum ne quis putet, eum carnalia illa, quibus gloriabantur iudaizantes, ob eam forte rationem spernere, quia illis ipse careat, se magis, quam iudaizantes, illa possedisse ostendit (3,4-6),

at se omnia illa sprevisse et adhuc spernere, ut Christum lucraretur eique insertus non iam illam vanam, quae ex operibus Legis est, iustitiam habeat, sed veram illam, quae ex Deo est et fide nititur, ut hac ratione Christo patienti ac morienti iam configuratus etiam feliciter ad beatorum resurrectionem, si fieri possit, perveniat (3,7-11).

Magna autem cum humilitate addens, se beatitudinis illius praemium nondum velut certum tenere, sed se omnibus suis viribus ad bravium sibi propositum contendere (3,12-14),

1. Formulis λοιπόν, τὸ λοιπόν (*ceterum*) ita fere utitur Apostolus, ut ultima, quae epistolae addenda sunt, introducat (2 *Cor.* 13,11; *Eph.* 6,10; *Philipp.* 4,8; 2 *Thess.* 3,1; etiam 1 *Thess.* 4,1); quare cum modernis interpretibus plerisque arbitramur, etiam hoc in loco Apostolum epistolam suam terminare voluisse, sed periculi recordatum novam hanc partem adiecisse, ut 4,8 eadem formula epilogum introduceret. Exhortatio igitur ad gaudium (3,1) cum sequentibus non est coniungenda.

Philippenses, quos utpote spirituales secum iam appellat perfectos, rogat ut idem, quod ipse, sentiant et in recta via permaneant (3,15-17).

c.) Quod monitum ut magis confirmet, comparationem instituit inter illos, qui carnalibus dediti ad interitum properent, et illos, qui ad coelestia contendentes Christo glorificato assimilandi sint (3,18-21),

d.) atque hanc particulam exhortatione concludit, ut in hac sententia permaneant (4,1).

2.) *Sequuntur monita nonnulla specialia* (4,2-7).

a.) Duabus matronis (Evodiae et Syntychae) concordiam commendat munerisque sui socium quendam rogat, ut illis, quae secum tam diligenter laboraverint, opituletur (4,2.3);

b.) omnes deinde ad gaudium spirituale, ad benignitatem, ad vitandas mundanas curas invitat omnibusque pacem Dei apprecatur (4,4-7).

IV. Epilogus (4,8-13) continet

a.) generalem admonitionem ad sinceritatem, puritatem, iustitiam aliasque virtutes omnes exercendas secundum doctrinam et exemplum Apostoli (4,8.9),

b.) gratiarum actionem de eleemosynis Apostolo per Epaphroditum transmissis (4,10-18),

c.) bonorum omnium apprecationem (4,19,20), salutationes (4,21-22) et apostolicam benedictionem (4,23).

7. — *Epistola B. Pauli ad Colossenses.*

Ecclesia colossensis ab Epaphra, uno ex Pauli discipulis, fundata est illo ut videtur tempore, quo Paulus Ephesi commorans quum praedicatione sua tum miraculis virtutibusque suis in tota provincia Asia vicinisque regionibus gloria tanta claruit, ut « omnes qui habitabant in Asia audirent verbum Domini, Iudaei atque gentiles » (*Act.* 19,10). At in illam quoque ecclesiam iam mox pseudapostoli quidam irrepserant, qui Christianos non tantum ad Legis observantiam adducere conabantur, verum etiam perversiores doctrinas spargebant. Gnosticismo enim praeludentes religionem quandam angelorum praedicabant, quos non creatos, sed Christo pares habebant et per quos ad verum Deum accedendum esse asseverabant. Quae quum per Epaphram rescivisset, Apostolus, ut periculo occurreret, Tychicum misit, « qui cognosceret, quae circa eos essent, et consolaretur corda eorum » (*Col.* 4,8) eisque hanc epistolam afferret, in qua ostendit, per solum Christum Dei Filium, per quem omnia condita sint, nos etiam reconciliari cum Deo; respuendam igitur esse falsam illam angelorum religionem, neque licere iudaicas aut philosophicas observantias cum Evangelio permiscere.

Scripta est epistola eodem tempore, quo epistola ad Ephesios, exeunte a. 63. vel ineunte a. 64.

I. Exordium (1,1-8) constat

a.) *inscriptione* (1,1-3) :

(Paulus et Timotheus, sanctis et fidelibus fratribus colossensibus),

b.) et *gratiarum actione* (1,3-8),

qua Apostolus Deum ob virtutes fidei, caritatis, spei celebrat (1,3-5), quibus Colossenses inde ab eo tempore excellant, quo Evangelium docente Epaphra, fideli Christi ministro, receperint (1,5-7), per quem ipse quoque de bona colossensis ecclesiae conditione certior factus sit (1,8).

II. Pars prior dogmatico-polemica (1,9-2,23) *dignitatem Christi demonstrat et explanat.*

Transitu facto a promissione, se non cessaturum ab oratione pro Colossensibus, ut in dies crescant in scientia salutis (1,9-12),

1.) *Apostolus dignitatem Christi, redemtoris nostri demonstrat* (1,13-23),

a.) enumeratis beneficiis, quae per eum adepti simus, redemtione praesertim peccatorumque remissione (1,13.14);

b.) atque eadem dignitate descripta

α. — relate ad Patrem, cuius Christus sit imago (1,15),

β. — relate ad creaturas omnes, quae per eum conditae sint et conserventur (1,16.17)

γ. — relate ad Ecclesiam, cuius sit caput, tum quia in ipso divinitatis plenitudo inhabitet, tum quia sacrificio crucis omnia Deo reconciliaverit (1,18-20).

c.) Unde sua sponte fluit admonitio, ut Colossenses, qui olim a Deo alienati, nunc per Christum Deo sint reconciliati, firmi et immobiles in ea fide permaneant, quae eis tradita sit et in universo orbe eadem praedicetur (1,21-23).

2.) *Deinde ut sibi ab haereticis caveant, eos adhortatur* (1,24-2,23).

a.) Ut monita melius sint recepturi, praemittit rationem, qua ad scribendum permotus sit (1,24-2,3).

A Deo nimirum deputatus est ethnicorum Apostolus, ut eos magnas divitias doceat per Christum ethnicis allatas, eosque ad perfectionem adducat (1,24-29);

quare pro viribus munus suum implere studens magnam eorum quoque, licet eis de facie plane sit ignotus, sollicitudinem habet, ut etiam eos ad pleniorem thesaurorum, qui in Evangelio latent, cognitionem perducat (2,1-3).

b.) Deinde monet, ne a pseudapostolis seduci se sinant, sed in ea, quam acceperint, fide ambulent (2,4-6) Christoque soli, vana philosophia spreta, inhaereant (2,7.8); nam

α. — in Christo inhabitat plenitudo divinitatis (2,9);

β. — in Christo quoque, qui omnium angelorum est caput, omnia bona, quibus gaudent, acceperunt (2,10):

per eum quippe circumcisi sunt circumcisione spirituali, quando in baptismate cum eo ad novam vitam resurrexerunt (2,11.12).

Cruenta enim sua morte Christus et peccatorum remissionem illis meruit, et decreto isto, quod illis contrarium erat, (vetere sc. Lege) destructo plenam de hostibus suis victoriam reportavit (2,13-15).

c.) Ex quibus velut conclusionem practicam deducit :

α. — non curandos esse antiquos Iudaeorum ritus, quippe qui typi tantum fuerint futurorum bonorum (2,16.17);

β. — nec Christo relicto religionem quandam angelorum (ab haereticis praedicatam) esse sequendam (2,18.19),

γ. — nec proinde falsam eorumdem haereticorum ascesin esse exercendam, quae nec utilis sit nec Deo probata (2,20-23).

III. ALTERA PARS PARAENETICA (3,1-4,6) *monitis variis constat.*

1. *Ab exhortatione quadam generali Paulus incipiens* (3,1-17),

a.) fideles monet ut, quum ad novam vitam surrexerint, iam ea, quae sursum sint, quaerant (3,1-4),

b.) veterem peccati hominem omnino exuant, vitiis infidelium abiectis (3,5-9),

c.) novum vero hominem induant, qui est secundum Christi imaginem (3,10.11),

ideoque virtutes christianas sectentur, inter quas speciatim caritas et bona intentio commemorantur (3,12-17).

2. *Sequitur exhortatio specialis* (3,18-4,1).

a.) de mutuis coniugum (3,18.19),

b.) filiorum et parentum (3,20.21),

c.) servorum et dominorum officiis (3,22-4,1).

3. Ad *generalia monita* reversus concludit paraeneticam partem orationem continuam, quam etiam pro se, ut Evangelium propagare possit, Deo offerri vult (4,2-4), et prudentiam in agendo et loquendo commendans (4,5.6).

IV. IN EPILOGO (4,7-18)

a.) explicat finem missionis Tychici et Onesimi (4,7-9),

b.) varias adscribit salutationes (4,10-15),

c.) hanc epistolam cum Laodicensibus communicari eamque, quae ad Laodicenses sit data, Colossis legi iubet (4,16.17),

d.) salutationemque et benedictionem apostolicam addit (4,18).

8. — *Epistola B. Pauli ad Thessalonicenses prima.*

Paucis dumtaxat hebdomadis in secundo suo itinere S. Paulus Thessalonicae commorari potuerat Iudaeorum persecutione ad fugam coactus; eo autem profecto ira et invidia adversariorum non quievit. Etenim non tantum neophytos in fide nondum plene confirmatos persequi non cessarunt, sed calumniis quoque sparsis de Pauli fama detrahere conati sunt illum velut hominem describentes, qui avaritia vanaeque gloriae studio ductus doctrinas falsas spargeret atque se ipsum persecutioni astute subtraheret, discipulis medio in periculo relictis. Per Timotheum, quem Athenis Thessalonicam miserat, ut neophytos visitaret et consolaretur, Paulus haec rescivit et per eundem etiam didicit, nonnullos neophytos a praecipuis ethnicorum vitiis, ab avaritia et libidine, sese nondum plane abstinere, alios autem, quia Dominum mox ad iudicium agendum adventurum putarent, de statu eorum, qui antea morerentur, inquietari et contristari, aut etiam otioso vitae generi sese dedisse. Quibus malis ut mederetur, primam hanc suam epistolam scripsit, qua suo agendi modo, quem praesens et absens erga neophytos tenuerat, explicato calumnias contra se sparsas refutaret, fideles autem a vitiis absterreret et de secundo Christi adventu edoceret.

Scripta est epistola Corinthi a. 53.

I. Exordium epistolae (1,1-10), uti in plerisque epistolis,

1.) *inscriptione solita constat* (1,1)
(Paulus, Silvanus, Timotheus ecclesiae Thessalonicensium),

2.) *gratiisque Deo actis ob fructus, quos Evangelium inter eos tulerit* (1,2-10).

a.) Continuas quippe gratias Deo agit propter fidelium fidem operantem, caritatem laborantem, spem sustinentem, quia certus est de eorum electione (1,2-4);

b.) quam certitudinem hausit ex eo, quod non tantum ipse in virtute, in Spiritu sancto multaque in plenitudine apud illos praedicare potuerit (1,5), verum illi quoque, suis non obstantibus tribulationibus, fidem cum gaudio accipientes aliis ecclesiis facti sint exemplar (1,6-7);

c.) per illos quippe iam alibi Evangelium quodammodo annuntiari, ita ut sua ipsius praedicatio superflua videatur; etenim ubique iam fructus celebrantur, quos ipse suo adventu inter Thessalonicenses produxerit (1,8-10).

II. Parte priore historica (2,1-3,13) *simplici narratione ostendit, qui sui fuerint ac sint erga Thessalonicenses, et qui Thessalonicensium erga se ipsum affectus.*

Qua narratione Iudaeorum calumnias indirecte refutat et Thessalonicensium, ut in bona via permaneant, animos erigit eorumque erga se amorem excitat augetque.

1.) *Qualem se ipse praesens exhibuerit et quales se praesente fuerint Thessalonicenses* (2,1-16).

a.) Qualis ipse praesens fuerit (2,1-12), Thessalonicenses suis oculis viderant (2,1).

α. — Tribulationibus enim, quas Philippis passus erat, non fractus cum fortitudine inter eos Evangelium annuntiaverat; quam fortitudinem hausit quum ex obiectiva praedicationis veritate, tum ex pura intentione, qua in praedicationis munere soli Deo placere studuit (2,2-4).

β. — Neque enim apud eos favorem hominum quaesivit, nec divitias, nec gloriam, sed ob suum eorum amorem id unum sibi proposuit ut eos doceret Evangelium (2,5-8) [1].

γ. — Ideo etiam, ne eos gravaret, nocte et die laboravit, atque neophyti, non minus quam Deus, testes ei sunt, quam sancte et iuste apud illos conversatus sit, quantaque cum sollicitudine paterna singulorum salutem promovere studuerit (2,9-12).

b.) Quales vero illi fuerint, ipse testatur (2,13-16).

α. — Evangelium nimirum, uti decet, tamquam Dei, non hominum, verbum receperunt (2,13)

β. — eiusque virtutem in se ipsis operantem ostenderunt persecutione fortiter tolerata, atque hac ratione similes se exhibuerunt primis Christianis ierosolymitanis, qui ipsi quoque a Iudaeis, Domini et Prophetarum occisoribus Apostolorumque persecutoribus omniumque gentium quibus Evangelium praedicari nolunt adversariis, persecutionem sint passi (2,14-16).

2.) *Qualis ipse absens erga eos fuerit et quales se absente illi sese habuerint* (2,17-3,10).

Coniunctim haec describit, ut tenerrimum suum erga eos amorem manifestet.

a.) Absens enim ad eos redire saepe ardenterque desideravit, sed quominus propositum exsequeretur, impeditus est a satana (2,17-20);

b.) quare saltem per Timotheum eos visitare voluit, ut eos exhortaretur et consolaretur, ne persecutione perdurante fran-

1. Interpungendum censemus : « Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis,... neque in occasione avaritiae,... neque quaerentes ab hominibus gloriam... quum (quamvis) possemus vobis oneri esse (vel potius : ἐν βάρει εἶναι in honore esse), ut Christi Apostoli; sed facti sumus parvuli in medio vestrum. Tamquam si nutrix foveat filios suos, ita desiderantes (i. e. diligentes) vos cupide volebamus tradere » etc. Hac enim ratione evitatur omne anacoluthum et salvatur genuina lectio (νήπιος, non ἤπιος,) quam cum Vulgata optimi codd. graeci, antiquiores Patres versionesque quaedam tuentur.

gerentur, quamvis eis iam antea significasset, Christianos sine tribulatione esse non posse (3,1-5);

c.) neque minus tenerrimum suum amorem cognoscere possunt ex magno gaudio, quod expertus sit, quum per Timotheum de eorum perseverantia in fide et caritate deque eorum erga se amore certus redditus esset (4,6);

quibus nuntiis magna consolatione repletus et adductus est, ut abundantius Deo grates ageret ab eoque ardentius reditum suum ad illos precibus efflagitaret (3,6-10).

3.) Sectionem hanc terminat Deo supplicans, ut sibi quidem ad Thessalonicenses reverti liceat, illis autem continuum in caritate omnibusque virtutibus profectum concedat (3,11-13).

III. In altera parte paraenetica (4,1-5,22) *lectores ad vitanda vitia virtutemque sectandam exhortatur et de secundo Domini adventu nonnulla edocet.*

1.) *Exhortatio ad vitia vitanda* (4,1-12).

a.) Post generale monitum, ut omnia mandata illis tradita observent (4,1.2),

b.) speciali modo eos admonet,

α. — ut castitatem illam observent, quae uniuscuiusque statum deceat (4,3-5), ac praesertim sibi caveant ab adulterio (4,6)[1], cui monito motiva subiungit (4,7.8);

β. — ut in caritate fraterna, quam iam exerceant, vere excellere studeant (4,9. 10),

γ. — ut quieti demum suoque quisque negotio intenti omnibus sint bono exemplo (4,11. 12).

2.) *Nonnulla de secundo Christi adventu docet* (4,13-5,11).

a.) De sorte illorum, qui ante secundum Christi adventum moriantur, inquietos et contristatos monet, illos esse ita resurrecturos, ut una cum eis, quos Christus adveniens vivos sit reperturus, Domino sint occursuri (4,13-17).

b.) De tempore autem adventus Christi curiosius inquirentibus in memoriam revocat ea, quae hac de re illis tradiderat, subitum et inexspectatum Domini adventum fore (5,1-3);

c.) quare id requiri addit, ut omnes semper vigilent virtutibusque fidei, spei, caritatis velut armis sint induti (5,4-11).

3.) Ad *hortationem* reversus (5,12-22)

a.) mutua officia subditorum et superiorum inculcat,

1. Moderni interpretes non pauci, praeeuntibus iam S. Thom. Lyr. aliisque, *v.* 6. « ne quis supergrediatur » etc. de cavenda fraude in negotiis quotidianis intelligunt; at cum Chrys. reliquisque graecis interpp., S. Hier. (*ad Eph.* 5,5) Est. a Lap. etc. eum omnino de cavenda illa impudicitiae specie, qua simul ius proximi laeditur, i. e. de adulterio vitando, intelligendum arbitramur.

subditis commendans erga praepositos gratitudinem caritatemque et cum illis concordiam (5,12. 13),

praepositis autem praecipiens, ut pro uniuscuiusque necessitate subditos promoveant (5,14. 15);

b.) generalia demum monita ad gaudium spirituale, continuam precationem, sapientem usum donorum spiritualium, abstinentiam ab omni peccato adiungit (5,16-22).

EPILOGUS praeter benedictionem apostolicam et salutationem ecclesiae mandatum continet, ut epistola publice legatur (5,23-28).

9. — *Epistola B. Pauli ad Thessalonicenses secunda.*

Haud diu postquam priorem epistolam scripsit, Apostolus quemnam fructum in Thessalonicensium ecclesia tulisset rescivit: fides eorum creverat, ut forti animo vehementem persecutionem sustinerent, sed de secundo Christi adventu nova exorta erat animorum perturbatio. Timorem quidem, qui pridem ob mortuorum conditionem eos occupaverat, clara prioris epistolae doctrina sustulerat; opinio autem, proxime instare Christi adventum, magis invaluerat, aliis divinam revelationem de iudicii die mox adveniente iactantibus, aliis fictas Apostoli literas, quibus errorem istum confirmarent, in medium afferentibus. Quare ut aliquorum metum, aliorum inquietam exspectationem, non paucorum desidiam et negligentiam in negotiis peragendis, quae ex pernicioso isto errore provenerant, penitus tolleret, alteram hanc epistolam scripsit Corinthi exeunte a. 53. aut ineunte a. 54.

I. EXORDIUM EPISTOLAE (1,1. 2)

a.) *inscriptionem eandem, quae in priore epistola* (1,1. 2)

b.) *gratiarumque actionem complectitur, quae simul neophytorum exhortationi et consolationi inservit* (1,3-12).

α. — Gratias enim Deo agit ob fidelium profectum in fide, in caritate fraterna, atque maxime in patientia, qua tribulationibus toleratis dignos se reddiderint regno Dei (1,3-5);

β. — iustum enim Deum in die iudicii illis, qui nunc tribulentur, mercedem, persecutoribus autem gravissimam et aeternam poenam esse redditurum (1,6-10).

γ. — Sed ut magis eos consoletur et exhortetur, se pro eis Deum semper precaturum esse promittit, ut maioribus gratiis acceptis magis in omni virtute proficiant (1,11,12).

II. IN DOGMATICA PARTE (2,1-16), *quid de tempore secundi adventus Christi sentiendum sit, exponit.*

1.) Ut enim sibi caverent, ne sive praetensa quadam revelatione sive confictis suis ipsius literis sibi persuaderi sinerent, diem Domini iam proxime instare, eos exhortatus (2,1. 2).

2.) Christum nondum proxime venturum esse docet (2,3-11);

a.) antequam enim adventurus sit, praecessuram esse generalem quandam defectionem a fide et apparitionem « hominis peccati » (i. e. Antichristi), id quod illis coram iam praedicasset (2,3-5);

b.) porro Antichristi signa quidem praecursoria iam apparuisse, ipsum autem non adventurum, nisi illud, quod ipsum retineat, e medio sit sublatum; quid autem eum retineat, scire Thessalonicenses ex orali sua institutione (2,6.7) [1].

c.) Ut autem Antichristum nondum venisse clarius cognoscant, modum illis describit, quo acturus sit inter suos, simul explicans rationem, ob quam Deus haec permissurus sit (2,8-11).

3.) Hanc demum partem terminat gratiis actis Deo, confisus eum a deceptione Antichristi praeservaturum esse Thessalonicenses, utpote quos ad salutem elegerit et vocaverit (2,12. 13);

quare eos monet, ut sua ex parte in doctrina verbis ac literis accepta fideles permaneant collaborantes cum gratia, quam eis a Christo et Patre apprecatur (2,14-16) [2].

II. In parte paraenetica (3,1-15)

1.) fideles rogantur, ut suis precibus profectum Evangelii et Apostolo ipsi liberationem ab adversariis a Deo expetant (3,1.2);

2.) deinde autem Apostolus sperans eos cum gratia Dei perseveraturos esse in praeceptis implendis, quae eis tradidit (3,3-5),

a.) eos adhortatur ut se abstineant a societate fratrum, qui praecepta illa non observent (3,6);

b.) atque suo exemplo suoque praecepto in memoriam revocatis (3,7-10) illos, quos inquietos et desidiosos esse audivit, admonet ut se corrigant (3,11. 12).

c.) Ad omnes tandem iterum conversus desiderat, ut in virtute proficiant, a conversatione cum fratribus, qui monita Apostoli audire noluerint, sese abstineant eosque corripiant (3,13-15).

Epilogus (3,16-18) continet benedictionem apostolicam salutationemque propria manu ab Apostolo additam, qua genuinam hanc epistolam esse testatur.

1. Ita quidem secundum consuetam explicationem, quae de eo, quod Antichristi adventum retardet, sermonem esse censet. At omnino praeferendam censemus novam nonnullorum interpretationem, quae τὸν κατέχοντα et τὸ κατέχον esse ipsum Antichristum tenet, qui quia nondum apparuerit retineat adventum secundum Christi. Ex eorum igitur sententia 2,6.7 nihil aliud dicunt nisi nunc, postquam Apostolus praecedentem suam doctrinam illis in memoriam revocaverit, scire Thessalonicenses, quid adhuc Domini adventum retardet; eum enim venturum non esse, antequam Antichristus apparuerit.

2. Ab aliquibus versus 2,12-16 ad partem paraeneticam trahuntur : obstat autem, quod 3,1 expressio τὸ λοιπόν partem finalem epistolae inchoari docet (cfr 1 *Thess.* 4,1; 2 *Cor.* 13,11; *Phil.* 4,8; *Eph.* 6,10), quodque etiam gratiarum actio hoc in loco non explicatur nisi iis, quos Antichristus decepturus sit, fideles Thessalonicenses opponi dicantur.

10. — *Epistola B. Pauli ad Timotheum prima.*

Ex prioribus vinculis liberatus Apostolus, ecclesias pridem fundatas iterum visitans, neophytos ephesios primum suum fervorem amisisse vidit, ecclesiaeque conditionem in peiorem partem esse mutatam. Id enim, quod ante suam captivitatem iam praedixerat, revera acciderat; lupi rapaces gregem illum invaserant, atque ex neophytorum medio exsurrexerant viri loquentes perversa, qui discipulos post se abduxerant (cfr *Act.* 20,28 sq.). Brevi illo tempore, quod Apostolus, cui tot aliarum ecclesiarum sollicitudo incumbebat, Ephesi commoratus est, ad meliorem frugem revocare quidem fideles potuit, at non ea ratione in bona via confirmare, ut nova pericula non essent pertimescenda. Quapropter Timotheum ibi reliquit, qui ecclesiae totam suam curam impendens haereticos impugnaret, fideles in vera fide retineret. Grave erat onus, quod discipuli humeris imponebatur, qui eousque magistrum suum semper erat comitatus, nequedum ullam administraverat ecclesiam. Itaque monitis illis, quae viva voce ei dederat, non contentus. S. Paulus etiam hanc epistolam ei misit vel forte antequam Epheso proficisceretur reliquit; « *est enim, inquit S. Thomas, quasi pastoralis regula, qua discipulum instruit de omnibus, quae spectant ad regimen praelatorum* ». Ad sex capita autem apte revocantur omnia haec praecepta pastoralia.

Epistola haec scripta videtur aestate a. 65.

Inscriptione epistolae praemissa (1,1. 2)

1.) *Paulus statim thema aggressus discipulo praecepta sua de genuina praedicatione in memoriam revocat* (1,3-20).

a.) Praedicatio neque falsas neque inutiles doctrinas tradat et pro fine habeat caritatem (1,3-5),

b.) quo sub duplici respectu nonnulli aberrant, qui ea quae docenda sunt non intelligentes (1,6. 7) de Lege, quae in se quidem bona sit, sed iniustorum causa posita (ut infirmitate sua agnita ad Christum recurrant), non recte loquantur (1,8-10);

c.) genuinam vero praedicationem illam esse, quae sibi sit concredita, qui olim quidem persecutor, nunc autem misericordiam divinam consecutus, Evangelium de salute per Christum adipiscenda annuntiet, non tantum verbo sed suo ipsius quoque exemplo, quatenus in sua conversione Christus suam benignitatem manifestaverit (1,11-17).

d.) Quapropter hanc eandem praedicationem commendat Timotheo; qui enim illam repellunt, circa fidem naufragant, quemadmodum duo illi haeretici (Hymenaeus et Alexander), quos ipse (Ephesi) ex Ecclesia eiecerit (1,18-20).

2.) *A praedicatione ad praecepta de publicis precationibus transit* (2,1-15),

a.) definiens pro quibus orandum sit, sc. pro omnibus omnino hominibus eorumque magistratibus (2,1. 2); cuius praecepti

rationem affert voluntatem Dei omnes salvare cupientis voluntatemque hanc morte Christi pro omnibus et missione Apostoli ad gentes manifestantis (2,3-7);

b.) deinde monens, quibus et quomodo sit precandum, viris scilicet mundis a peccato (2,8), et mulieribus, quae virtutibus potius quam vestibus pretiosis, sint ornatae (2,9. 10);

c.) denique mulieres in coetibus sacris tacere iubens et discere (2,11. 12), siquidem ex historia creationis et lapsus generis humani constet, mulierem viro esse subiectam eiusque munus esse, ut pia liberorum educatione sese salvet (2,13-15).

3.) *Tertio loco dotes ministrorum Ecclesiae describit* (3,1-13).

a.) Episcopatus res quidem est bona, quae desiderari potest (3, 1), at qui illum desiderat, ornatus sit oportet virtutibus quum in vita sua privata (3,2. 3), tum in vita sua domestica (3,4. 5) et in vita sua publica (3,6. 7).

b.) Diaconi quoque instructi sint oportet virtutibus vitae privatae, ideoque, antequam assumantur, probandi sunt (3,8-10), atque virtutibus vitae domesticae, nam is tantum, qui in minore gradu fidelis est, ad altiorem promoveri meretur (3,11-13).

4.) *Postquam deinde se haec Timotheo ideo scribere asseruit, ut qua ratione munere ei esset fungendum accurate cognosceret* (3,14. 15), *Paulus ad monita contra haereticos venit* (3,16-4,16).

a.) Praemissa videlicet mysterii incarnationis commendatione (3, 16) haereticos describit, qui falsa dogmata et praesertim falsam ascesin tradebant (4,1-3), addita ratione, qua ascesis illa falsa esse demonstratur (4,4. 5);

b.) atque discipulo praecipit, ut non tantum fidelibus haec proponat, sed ipse quoque in vera pietate sese excerceat studeatque, iuventute sua non obstante, verbo et totius suae vitae exemplo omnibus praelucere (4,6-12).

c.) Quem in finem lectioni et doctrinae tempus suum impendat gratiae illius memor, quam in ordinatione acceperit, ut se et gregem suum salvare possit (4,13-16).

5.) *Quibus accuratiorem enumerationem adiungit officiorum episcopi erga singula ecclesiae membra* (5,1-6,2):

a.) *erga senes,*

quos velut patres, erga iuvenes, quos velut fratres, erga matronas, quas velut matres, erga iuniores mulieres, quas velut sorores dirigere debeat (5,1. 2);

b.) *erga viduas,*

quae publico ecclesiae sumtu sustentandae sint, si conditiones requisitas possideant (5,3); requiritur autem,

α. — ut vere vidua sit liberis, a quibus sustentetur, carens, nec in deliciis, sed in continuis orationibus vivat (5,4-8),

β. — ut sit sexagenaria, unius viri uxor, in omnibus bonis virtutibus exercitata (5,9. 10);

γ. — iuniores autem viduae ne admittantur, ne forte postea fide, qua Christo sese obstrinxerunt, relicta alias nuptias quaerant, aut otiosae circumvagentur; potius igitur nubant (5,11-15);

δ. — illi demum, qui in familia sua viduam habent, eam sustentent, ne ecclesia gravetur (5,16);

c.) *erga presbyteros,*

α. — qui etiam ab ecclesia et liberaliter quidem sustentandi sint (5,17. 18),

β. — contra quos accusationem non nisi sufficientibus testimoniis munitam admittere liceat, qui vero, si deliquerint, publice arguendi sint, et in quorum iudicio ab omni partium studio quam maxime sit cavendum (5,19-21);

γ. — in quorum etiam ordinatione cautio magna requiratur, ne quis alienorum peccatorum se reum faciat (5,22);

δ. — quae ut debito modo exsequatur, Timotheus ipse sanctum se conservare iubetur, quin tamen iustos abstinentiae limites transgrediatur, et attendere quoque debet bona et mala non semper esse manifesta (5,23-25);

d.) *erga servos*,

qui docendi sint, ut dominos suos honorent, neque eos, si forte fideles sint, sub praetextu, quod eorum sint fratres, despiciant (6,1. 2).

6.) *Epistolam nonnullis praeceptis Apostolus terminat, quae solum Timotheum spectant* (6,3-21).

a.) Admonetur enim discipulus, ut haec omnia doceat; qui enim aliter docet, contentiones dumtaxat excitat et suam ipsius utilitatem quaerit (6,3-5);

maxima autem utilitas est pietas cum sufficientia; qui e contra quaerit divitias, in laqueos diaboli incidit (6,6-10).

b.) A quibus sibi cavens sectetur omnem virtutem, certans bonum certamen, quo ad vitam pervenitur (6,11-12).

Quod ut profundius discipulo inculcet, gravissimis et sollemnibus verbis Apostolus eum obtestatur, ut omnia haec sua mandata sine macula servet (6,11-16).

c.) Praeceptum quoque, quod antea videtur omissum, hoc in loco adiungit, ut divites doceat humilitatem (6,17-19).

d.) Demum post generale monitum, ut depositum fidei custodiat

et a profanis falsae scientiae novitatibus sese abstineat, apostolicam ei impertit benedictionem (6,20. 21).

11. — *Epistola B. Pauli ad Timotheum secunda.*

S. Paulus, postquam inde a vere a. 64. novis expeditionibus apostolicis novas provincias Evangelio subiugaverat, visitatis antiquioribus Asiae. Macedoniae, Achaiae ecclesiis, a. 66. Romam iterum adveniens denuo in vincula videtur esse coniectus. Aliqui ex eius discipulis eum sponte dereliquerant. alios ad novas fundandas ecclesias ablegaverat, solus Lucas apud eum remanserat. Ideo Timotheum invitat, ut cum Marco, cuius ministerio in vinculis suis indigeat, ad se festinet; qua occasione usus illa, quae de pastorali munere bene gerendo antea iam eum docuit, iterum ei inculcat. Epistola altera ad Timotheum igitur velut ultimum est Apostoli testamentum, quo carissimum discipulum monet, ut opus inceptum ad finem perducat, memorque gratiae per manuum impositionem obtentae doctrinam acceptam firmus teneat, spretis periculis strenuus propaget, haereticorum vero falsas doctrinas fortis impugnet.

Ultima haec Pauli epistola scripta videtur exeunte a. 66. vel ineunte a. 67.

I. Exordium epistolae sollemnius (1,1-5)

a.) *sollemniorem inscriptionem* exhibet (1,1. 2)

b.) *gratiarumque actionem tenerrimam* (1,3-5)

qua Paulus tenerum suum discipuli amorem atque eius videndi desiderium continuum iam manifestat (1,3. 4) atque simul sinceram eius fidem, quam a matre et ab avia velut hereditariam acceperit, laudibus praedicat (1,5).

II. In Priore parte (1,16-2,13) *Apostolus discipulum ad fidelitatem et fortitudinem exhortatur.*

1.) *Fidelis magistro adhaereat ac strenuus propaget Evangelium* (1,6-18).

a.) Gratiam ei in memoriam revocans, quam manuum suarum impositione acceperit, spiritum nimirum fortitudinis, dilectionis, sobrietatis (1,6. 7), eum monet, ne magistri vincula aut Evangelium erubescat sed in Evangelio propagando laboret (1,8);

b.) ita autem agere debet, quia ex mera gratia ad Evangelium vocatus maxima beneficia per illud obtinuit (1,9. 10); et quia magister eius propter idem Evangelium nunc vincula patitur futuri sui praemii iam certus (1,11. 12);

c.) magistri igitur exemplum secutus teneat illa, quae ab illo accepit (1,13. 14) recordatus una ex parte infelicium illorum Asianorum, qui a fide defecerunt, altera ex parte Onesiphori, qui Apostolum, vincula eius non erubescens, sollicitus Romae quaesivit (1,15-18).

2.) *Fortem quoque sese exhibere debet in gratia* (2,1).

a.) Quapropter ea, quae didicit, alios doceat necesse est, ut hi quoque Evangelium propagent (2,2);

b.) abiectis porro negotiis saecularibus fortiter laboret; nam solus agonista certans ius ad coronam et solus agricola laborans ius ad fructus percipiendos habent (2,3-7).

c.) Fortitudinem autem hanc ad exemplum magistri sui hauriat oportet ex memoria resurrectionis Christi; si enim cum Christo compatimur et commorimur, cum eo corregnabimus; negabit autem Christus eos, qui ipsum negaverint (2,8-13).

III. In altera parte (2,14-4,18) *praecepta nonnulla, quibus in munere gerendo regi debeat, paucis verbis repetit.*

1. *Atque imprimis quomodo relate ad haereticos gerere se debeat, eum docet* (2,14-3,17).

a.) A litigationibus cum eis sese abstineat (2,14-26).

α. — Litigationibus enim perturbantur audientes, quare sincera doctrina eis proponatur et evitentur profana vaniloquia, quibus impietas sola generatur, et propagatur (2,14-17).

β. — Cuius rei exempla adducit Hymenaeum et Philetum, qui futuram resurrectionem negantes firmum Ecclesiae fundamentum convertere non potuerunt, sed ostenderunt, non omnia vasa in domo esse aurea et argentea (2,17-21).

γ. — Virtutem ergo sectetur quaeratque in pace vivere cum omnibus bonis evitetque stultas quaestiones, quae lites provocent (2,22. 23), quia servum Dei litigare non deceat, sed modestia sua omnes ad veritatem adducere (2,24-26).

b.) Futuri temporis haereticorum deinde describit perversitatem, qui omnibus licet vitiis dediti, specie tamen pietatis alios seducere conaturi sint et veritati semper repugnaturi (3,1-5). Eiusmodi omnino vitandi sunt; quamvis enim aliquas mulierculas pravas seducere possint, finem suum non assequentur, quoniam eorum insipientia omnibus futura sit manifesta (3,4-9).

c.) Magistri sui doctrinam, quam totam acceperit, exemplumque, quod suis oculis viderit, semper sequatur (3,10.11);

α. — etenim memor sit pios semper persecutionem esse passuros, malos autem in peius ruituros (3,12. 13);

β. — doctrinam vero teneat sciens, a quo eam acceperit et cui fundamento innitatur, sacris sc. Scripturis, quae utpote divinitus inspiratae omnia ea exhibeant, quibus in munere suo gerendo doctor indigeat (3,14-17).

2.) *Per iudicis deinde adventum discipulum obtestatur* (4,1), *ut munere suo bene fungatur* (4,2-8).

a.) Praedicationi vacet cum fortitudine, patientia, sapientia, id-

que eo magis, quo magis homines a veritate sese avertant et doctrinas perversas sectentur (4,2-4);

b.) toto suo ministerio diligentissime fungatur, idque eo magis, quia ipse Paulus iam morti proximus mox sit abiturus ad eam coronam accipiendam, quam pro ministerio fideliter expleto a iusto iudice exspectet, quaeque aliis quoque reposita sit, qui iudicis adventum diligant (4,5-3).

IV. Epilogo longiore (4,9-22)

a.) Timotheum, ut cito adveniat, invitat, quum ipse solus sit cum Luca, aliis discipulis aut sponte profectis aut ab ipso alios in locos ablegatis, et ut adducat Marcum penulamque sibi afferat Troade relictam (4,9-13);

b.) ea, quae ab Alexandro quodam, a quo Timotheus caveat oportet, passus est, eaque quae ad litis suae statum spectant exponit (4,14-18);

c.) addit salutationes, urget invitationem, ut ante hiemem adveniat, atque epistolam benedictione apostolica terminat, quam Timotheo fidelibusque impertitur (4,19-22).

12. — *Epistola B. Pauli ad Titum.*

Post priora vincula S. Paulum cum Tito in insulam Cretam appulisse, probabilior et communior est sententia; Evangelium autem iam ante eius adventum erat allatum, immo haereses pullulare iam coeperant, quoniam fideles in iustas ecclesias nondum congregati, deficiente episcoporum vigilantia, maioribus seductionis periculis fuerant expositi. Quo rerum statu cognito Apostolus, qui de rebus ecclesiarum ante eius vincula fundatarum sollicitus diu in insula manere non potuit, Titum ibi relinquendum statuit, qui ea quae deesse videbantur corrigeret, in singulis civitatibus presbyteris constitutis et hierarchia stabilita ecclesias fundaret, haereticorum errores refutaret. Quo munere ut melius fungi posset, monitis nonnullis discipulus indigebat; neque iis, quae viva voce dederat, contentus B. Paulus brevi post suum discessum ea scriptis literis repetenda duxit, ut accuratius tenerentur et diligentius exsecutioni mandarentur. Haec fuit occasio nostrae epistolae, quae magnam habet cum 1. Tim. affinitatem, licet pro diversis ecclesiarum cretensis et ephesiae conditionibus satis magna quoque sit monitorum differentia.

Scripta est, ut videtur, in aestate a. 65.

Inscriptio longior epistolae (1,1-4)

Pauli dignitatem describit (1,1-3) discipulique fidem praedicat (1,4).

I. Priore parte (1,5-16) *Paulus Titum, ad quaenam attendendum sit in eligendis presbyteris, docet.*

a.) Discipulo in memoriam revocans, se eum eo consilio in Creta reliquisse, ut per singulas civitates presbyteros (episcopos) constitueret (1,5),

b.) eum in illorum electione attendere iubet, num vitiis, quae enumerat, careant, virtutibus autem enumeratis splendeant (1,6-8).

c.) deinde eum attendere iubet, ut fidi sint doctores (1,9),

α. — idque non tantum, quia multi ibi adsint seductores, quos redargui oporteat (1,10. 11),

β. — sed etiam quia Cretenses ob suam indolem facile se seduci sinant (1,12. 13); quare dure eos esse increpandos monet, ne iudaicis fabulis assentiantur, neve eos imitentur, qui Deum verbis quidem profiteantur, factis autem negent (1,14-16).

II. SECUNDA PARTE (2,1-15) *discipulo praecipit, ut omnes sanam doctrinam doceat* (2,1).

a.) Singularum ergo aetatum et classium officiis quibusdam enumeratis (2,1-10),

α. — senes admoneri iubet, ut sobrii, pudici etc. sint (2,2);

β. — similiter matronas, ut sanctitatem colentes aliasque virtutes exercentes iunioribus mulieribus viam ostendant, qua domos suas bene gubernantes impediant, ne evangelica doctrina blasphemetur (2,3-5);

γ. — iuvenes quoque viros ad sobrietatem exhortari debet atque suo ipsius exemplo omnibus praelucere, ita ut nemo quidquam mali Christianis obiicere possit (2,6-8);

δ. — quin etiam servos monitis suis erudire ita debet, ut Evangelio sint ornamento (2,9. 10).

b.) Rationes addit ob quas haec omnia sint facienda (2,12-14).

Ut haec enim nos doceret, venit Christus (2,11. 12),

idque agentes nos praeparabimus ad secundum Christi adventum; propterea enim Christus sese pro nobis dedit, ut populum electum et mundum sibi pararet (2,13. 14).

c.) Quae omnia doceat discipulus velut auctoritatem habens, nec quisquam eum (ob aetatis defectum) spernat (2,15).

III. IN TERTIA PARTE (3,1-11) *proponit monita generaliora*

a.) ad obedientiam erga principes (3,1),

b.) ad amorem proximi omnimodum modestiamque exhibendam erga omnes homines (3,2).

Neminem despiciant, memores se ipsos quoque aliquando vitiis fuisse deditos, neque operibus suis sed sola Christi gratia nunc esse mundatos (3,3-7); idcirco requiri, ut in dies in bonis operibus crescant (3,8);

c.) ad vitandas vanas quaestiones, quas haeretici movere solent, atque ad ipsos haereticos vitandos (3,9-11).

In Epilogo (3,12-15)

Titum ad se Nicopolim invitat, salutationibusque nonnullis ad scriptis terminat epistolam benedictione apostolica.

13. — *Epistola B. Pauli ad Philemonem.*

Philemon nobilis civis colossensis fuit, qui Ephesi, ut videtur, a B. Paulo ad fidem conversus Evangelium in patria sua propagaverat. Unus ex eius servis ethnicis, Onesimus nomine, ne delicti alicuius commissi poenas lueret, Colossis aufugiens a divina providentia Romam ad S. Paulum, qui tum temporis in vinculis tenebatur, adductus ab eoque ad meliorem frugem revocatus non tantum baptismo in Ecclesiam, sed etiam inter Apostoli socios receptus est. Utile quidem neophytus magistro praestabat ministerium, sed invito domino servum fugitivum secum retinere Paulus noluit; quapropter quum ecclesias de suis rebus certiores redditurus Tychicum in Asiam et Phrygiam mitteret, ei Onesimum socium dedit, atque nostris literis fugitivo servo Colossas revertenti delicti commissi veniam a Philemone impetrare studuit.

Eodem tempore scripta est, quo epistolae ad Colossenses et ad Ephesios, exeunt igitur a. 63. vel ineunte a. 64.

Exordium pro more continet *inscriptionem* (1-3)

(Paulus et Timotheus Philemoni eiusque uxori Appiae et Archippo et ecclesiae domesticae),

gratiarumque actionem (4-7) ob Philemonis perseverantiam in fide eiusque amorem in fideles. Quae gratiarum actio insignis simul est captatio benevolentiae.

Argumentum suum aggressus Paulus maxima cum prudentia et caritate Philemonem precatur, ut servum in gratiam recipiat, multis motivis leviter potius insinuatis quam tractatis (8-21).

a.) Licet imperare possit, precari tamen mavult, idque velut eius amicus, velut senex, velut vinctus Christi et quidem pro suo filio in vinculis genito, qui omnino alius nunc ad herum revertatur, atque prius fuerat (8-11).

b.) Ius quidem se habere asserit servi secum retinendi, ut sibi nimirum pro domino serviret; sed hoc iure se uti noluisse addit, ut Philemon pro suo consilio de eo disponens maius sibi acquireret meritum (12-14).

c.) Secundum divinae providentiae consilia servum fugisse putet, quatenus fuga haec et servo maximam utilitatem attulerit atque ipsi quoque Philemoni (15-17).

d.) Demum ut damnum, si quod per servum domino illatum sit, in suas ipsius (Pauli) rationes referatur, (per iocum quendam) precans persuasionemque suam exprimens, preces suas non fore irritas, ultima impedimenta removet (18-21).

In EPILOGO sibi hospitium parari iubet et salutationes cum benedictione apostolica addit (22-25).

14. — *Epistola B. Pauli ad Hebraeos.*

Circa idem tempus, quo S. Paulus captivus Romam advenit (vere 62.), S. Iacobus Min., primus ierosolymitanae ecclesiae episcopus, odio Iudaeorum martyrium passus est; subito autem post eius mortem in magno periculo versabantur Christiani palaestinenses, ne tribulationibus oppressi animos desponderent atque a fide deficientes ad pristinum suum cultum iudaicum reverterentur. Neque enim infidelium tantum Iudaeorum continuis persecutionibus erant expositi, sed etiam ex eorum medio exorta erat secta, quae licet Iesum esse Messiam agnosceret, eius tamen divinitatem negabat Legisque mosaicae necessitatem urgebat. Quod eiusmodi errores inter Christianos ierosolymitanos, qui « omnes aemulatores Legis fuerant » (*Act.* 21,20), fertilem agrum invenerint, non magis est mirandum, quam quod alii splendido templi cultu, quem quotidie suis spectabant oculis, alleti et quasi fascinati cultum christianum despicere coeperint. Quae quum resciisset, S. Paulus Christi caritate, quae eum urgebat, impulsus est, ut fratribus 's secundum carnem pro viribus succurreret. Eadem quidem ratione, qua Galatis, Corinthiis aliarumque ecclesiarum a se fundatarum fidelibus, Ierosolymitanis, quum circumcisionis Apostolus non esset, scribere non potuit; multorum enim Christianorum quoque palaestinensium animi ab eo erant abalienati. Quocirca nomine suo suppresso libellum consolatorium et exhortatorium eis transmisit, in quo *dignitatem et excellentiam Novi Testamenti prae Vetere ante oculos illis posuit*, ut eos in vera fide conservaret atque indirecto quodam modo abrogationem Veteris Testamenti doceret.

Scripta est epistola a. 64. ineunte.

I. PARS PRIOR DOGMATICA (1,1-10,18) *Novi Testamenti praecellentiam prae Vetere ex triplice capite demonstrat.*

1. — *Atque primum quidem auctores Utriusque Testamenti, angelos, per quos ordinata est Lex* (cfr *Gal.* 3,19), *et Iesum Christum, inter se comparans tanto Novum Veteri praestare insinuat, quanto Christus, unigenitus Dei Filius, angelos superet* (1,1-2,18).

1.) *Infinita excellentia, qua Filius Dei unigenitus angelos superat, Scripturae testimoniis explicatur* (1,1-2,4).

a.) Velut fundamentum argumentationis Apostolus indubitatam ponit veritatem, Deum olim quidem per prophetas, nunc autem per Filium suum unigenitum sibique in omnibus aequalem ad nos esse locutum (1,1-3).

b.) Ut deinde excellentiam eius prae angelis explicet, testimonia affert, quibus Christus eis infinite praestare docetur

α. — ratione originis et naturae, quum hic sit verus Dei Filius, quem incarnatum ipsi angeli adorare debeant, angeli autem non sint nisi ministri Dei (1,4-7),

β. — et ratione dignitatis, quum sit rex et creator omnium, angeli autem dumtaxat administratorii spiritus (8-14).

c.) Unde concludit, Christi verbis (Novo Test.) perfectiorem quam angelorum verbis (Veteri Test.) obedientiam deberi; si autem illi, qui haec (angelorum) verba transgressi sunt, debitam poenam acceperunt, nos certe poenam non effugiemus, si Christi doctrinae tot signis confirmatae obedientiam negaverimus (2,1-4).

2.) *Neque enim praecellentiae Christi obstat eius passio* (2,5-18).

a.) Nam licet Christus aliquando iuxta Scripturam modico minoratus sit angelis, ei tamen unice subiectus est orbis terrae futurus idque propter eius passionem (2,5-9);

b.) omnino enim Christum propter nostram salutem humiliari nobisque, fratribus suis, per omnia similem fieri decuit (2, 10-18)

2. — *Utriusque Testamenti mediatoribus deinde, Moyse et Christo, inter se comparatis praecellentiam Novi Testamenti prae Vetere confirmat* (3,1-4,13).

1.) *Duarum personarum comparationem paucis absolvit* (3,1-6).

a.) Ad *Num.* 12,7, ubi Deus Moysen « fidelem in tota domo sua servum » appellat, respiciens Paulus Christum, utpote domus, in qua Moyses ministravit, fabricatorem Moyse maiorem esse iure merito colligit (3,1-4),

b.) additque Moysen in domo ipsa quoque non fuisse nisi famulum, Christum autem filium (3,5. 6).

2.) *Ex brevi hac expositione practicam consequentiam longiorem deducit* (3,7-4,13)

a.) Allatis *Ps.* 94,8-11 verbis exemplum Israelitarum olim ab ingressu in Palaestinam exclusorum eis proponit (3,7-11), ostenditque verbis illis explicatis, illos ob incredulitatem suam esse exclusos (3,12-19);

b.) ad lectores autem exemplum typico quodam modo applicat. Etenim ipsi quoque vocati sunt, ut in requiem illam ingrediantur, in quam Israelitae ob incredulitatem suam non sunt admissi (4,1-10); quare strenue eis est elaborandum, ut ingrediantur, quum verbum Dei propter naturam suam postulet fidem (4. 11-13).

3. — *Eandem praecellentiam pontifice Novi Test. cum Veteris pontificibus comparato ostendit* (4,14-10,18).

1.) *Iesum esse pontificem et quidem secundum ordinem Melchisedech demonstrat* (4,14-7,3).

a.) Brevi exhortatione, ut in fide perseverantes cum fiducia ad

suum pontificem accedant, praemissa (4,14-16) Iesum pontificem esse probat (5,1-10),

α. — praeprimis eis explanans, quaenam in pontifice requirantur, nimirum ut sacrificiis populum cum Deo reconciliet et ad Deum adducat, atque ut divinitus ad hoc mediatoris munus sit vocatus (5,1-4);

β. — deinde haec in Christo adesse docens,

quippe qui semet ipse non clarificaverit, sed a Patre suo clarificatus sit (5,5. 6),

atque in humana sua natura preces ardentifimas obtulerit, quum sua obedientia causa salutis omnium factus a Deo sacerdos secundum ordinem Melchisedech salutari meruerit (5,7-10).

b.) Priusquam tamen in argumentatione sua pergat, exhortationem quandam ad fidem retinendam et in ea proficiendum inserit (5,11-6,19).

α. — Quoniam enim de rebus grandibus ei est, loquendum, dolet, quod Hebraei adhuc debiles sint in fide et velut parvuli lacte indigeant utpote cibi solidioris ferendi nondum potentes (5,11-14);

β. — quare eos rudimentis relictis ad perfectiora contendere iubet (6,1-3) summi periculi memores, cui illi se obiiciant, qui a fide recepta desciverint (6,4-8).

γ. — Eos autem in fide permansuros esse confisus, quum Deus pristinae eorum caritatis non obliviscatur (6,9. 10), desiderat, ut in bona via pergentes Abraham imitentur, qui Deo promissiones suas iuramento confirmanti credens promissa assecutus (6,11-15), nobisque exemplar factus sit, quod imitemur oporteat, quum nos quoque in divina promissione iureiurando confirmata consolationem inventuri simus (6,16-19).

c.) Ad thema deinde reversus (6,20) Christum sacerdotem secundum ordinem Melchisedech esse ostendit, tali exhibita Melchisedech imagine, ut nemini dubium sit, quin typus sit Christi, Filii Dei incarnati (7,1-3).

2.) *Quo fundamento posito sacerdotii melchisedechiani excellentiam prae levitico demonstrat* (7,4-10,18).

a.) Praeprimis autem *personas* inter se comparat (7,4-28); etenim

α. — Abraham a Melchisedech decimatus est et benedictionem accepit (7,4-6); atqui superioris est decimare et benedicere; ergo Melchisedech superior Abrahamo sacerdotibusque leviticis, qui in Abrahamo, patre suo, decimas Melchisedech solverunt (7,7-10);

β. — sacerdotes levitici, utpote foederis imperfecti, cessare debuerunt et de facto leviticum sacerdotium iam abrogatum est, quum Dominus N. nunc sit constitutus summus sacerdos, qui non est ex tribu Levi (7,11-14), sed sacerdos secundum ordinem Melchisedech ex promissione Dei in aeternum manebit (7,15-19);

γ. — atque revera sacerdotes levitici sine iuramento ex parte Dei constituti sunt, melchisedechianus autem cum iuramento (7,20-22); et sacerdotes levitici, quia mortales, multi sunt, melchisedechianus autem unus (7,23-25);

δ. — sacerdotes demum levitici quotidie pro se et pro populo sacrificia offerre tenebantur; melchisedechianus, utpote sanctissimus, semel se ipse hostiam perfectam obtulit (7,26-28).

b.) Deinde utrorumque *munera* inter se comparat (8,1-9,14); munerum autem sacerdotalium Christi excellentia apparet

α. — ex perfectione tabernaculi, in quo sacrificia sua offert; in coelis enim Christus tabernaculi veri ab ipso Deo aedificati est minister, cuius veri tabernaculi israeliticum non erat nisi umbra et exemplar (8,1-5);

β. — ex perfectione foederis, ad quod pertinet; foedus enim hoc Novum, ob praestantiores promissiones Vetere perfectius esse, *Ier.* 31,31-34 iam docuit (8,6-13);

γ. — ex efficacia perfectiore munerum (9,1-14).

Non defuerunt quidem tabernaculo israelitico splendida instrumenta et ritus sacri (9,1-7); at efficacia carebant et liberum ad Deum aditum hominibus nondum patere significabant (9,8-10);

Christus autem, Pontifex perfectior (cfr 7,4-28) in tabernaculo perfectiore (cfr 8,1-5), perfectius quoque offert sacrificium, suum nimirum sanguinem, qui non externam quandam tantum, sicut vetera sacrificia, sed vere internam munditiem efficit (9,11-14).

c.) Quibus expositis obiectionem, quae ex Christi morte contra eius dignitatem desumi potuit, ita refutat, ut eius excellentia magis appareat (9,15-10,18).

α. — Christi enim, ut Novi Testamenti mediator esset, mors fuit necessaria (9,15).

Nam omne testamentum testatoris morte confirmandum est (9,16. 17); quare etiam Vetus Testamentum sanguine confirmatum (9,18-20), atque prius et imperfectum tabernaculum cum vasis suis sanguine emundatum est (9,21. 22);

perfectius igitur coeleste tabernaculum perfectioribus

hostiis consecrari debuit, quas obtulit Christus morte sua (9,23. 24).

β. — At unica quoque haec mors sufficit, nec requiritur, ut Christus saepius se offerat, sicut antiqui pontifices quotannis cum sacrificiis in sanctuarium ingrediebantur (9, 25); id enim patet

ex natura rei; si unica haec mors non sufficeret omnibus delendis peccatis, Christus ab origine mundi iam saepe mori debuisset (9,26);

ex analogia mortis Christi cum morte hominum, qui semel dumtaxat moriuntur; sic etiam Christus semel pro omnibus peccatis mortuus in suo reditu fidelibus possessionem salutis afferet (9,27.28);

ex inefficacia antiquorum sacrificiorum et efficacia mortis Christi. Quia inefficacia erant vetera sacrificia, ideo repetenda erant (10,1-4); inefficacia autem ea fuisse, efficacem autem mortem Christi, quam ex obedientia subiit, ex *Ps.* 39,7-9 demonstratur (10,5-10); hinc antiqui sacerdotes quotidie offerebant, Christus autem post sacrificium semel oblatum in dextera Dei sedens plenum illius oblationis exspectat effectum (10,11-14);

ex positivo S. Scripturae (*Ier.* 31,31 sqq.) testimonio, quod quum peccatorum remissionem in Novo Foedere promittat, oblationem novam non amplius necessariam esse docet (10,15-18).

II. Parte altera paraenetica (10,19-13,17) *consectarium practicum ex doctrina proposita deducit aliaque monita adiungit.*

1.) *Consectarium practicum de perseverantia in fide* (10,19-12,13).

a.) Ex iis quae de Christi Pontificis, qui pro nobis se obtulit, praecellentia disseruit, Apostolus nunc colligit, cum fiducia perseverandum esse in fide et bonis operibus, neque deserendam esse, uti a nonnullis fit, coetuum religiosorum frequentationem (10,19-25).

b.) Quod ut profundius inculcet, duo eis proponit (10,26-39):

α. — severum Dei iudicium, quod illi qui a fide desciscunt non effugient, quum Veteris Testamenti transgressores, licet minoris culpae rei, severissime iam sint puniti (10,26-31),

β. — pristinamque eorum conversationem, quando tribulationibus et persecutionibus non fracti remunerationem aeternam exspectabant (10,32-34); quare etiam nunc perseverent oportet, eandem exspectantes remunerationem, quam certo et post breve tempus Deus daturus sit (10,35-39).

c.) Definita deinde fide, sperandarum substantia rerum (11,1),

α. — longa serie exempla ex Vetere Testamento praeclara affert eorum, qui in fide perseverantes multa et magna effecerunt vel pertulerunt, neque tamen statim plenam salutem assecuti sunt (11,2-40).

β.) — Ad quam testium nubem et ad Christum ipsum, qui per passionem ad gloriam pervenit, respicientes ipsi quoque ad certamen sese accingant oportet (12,1-3);

leviora enim ea esse monet, quae perferenda ipsis sint, eaque a Deo tamquam a patre amantissimo immissa, ut ad aeternum praemium praeparentur (12,4-11);

quare alacres in via fidei progrediantur (12,12.13).

2.) *Variarum, in quibus Christiani excellere debeant, virtutum commendatio* (12,14-13,17).

a.) Imprimis Hebraeis *concordiam et omnimodam sanctitatem colendam inculcat* (12,14-17),

α. — ad quam eos indoles obliget Novi Foederis, quod non terret, sicut Vetus terrebat (12,18-21), sed coeleste est atque coelestibus associat (12,22-24);

β. — quare quam maxime sibi caveant, ne ex hoc excidentes graviorem poenam sibi attrahant (12,25-29);

b.) deinde *caritatem fraternam,* maxime erga miseros (13,1-3), castitatem perfectam et vitandam avaritiam (13,4-6),

c.) et ad *perseverantiam in fide* reversus praecipit, ut praepositorum suorum memores eorumque fidei constantiam imitantes a doctrinis novis sibi caveant (13,7-9); neve praeter altare illud, de quo Iudaeis edere non licet, aliud quaerant, sed sequantur Iesum opprobriis omnibus spretis (13,10-17).

Epilogo brevi (13,18-25)

a.) eorum precibus Paulus se commendat, ut celerius ad eos revei possit (13,18.19);

b.) omnia deinde eis bona a Deo apprecatus eos rogat, ut suam admonitionem bene recipiant (13,20-22);

c.) se cum Timotheo ad eos venturum pollicitus, Italorum salutationibus additis, epistolam terminat apostolica benedictione (13,23-25).

B. — Epistolae Catholicae.

15. — *Epistola B. Iacobi Apostoli.*

« Duodecim tribubus, quae sunt in dispersione », S. Iacobus Min. epistolam suam inscripsit, nomine illo Iudaeochristianos designans, qui ad ecclesias in Asia Min. a S. Paulo eiusque discipulis fundatas pertinebant. Inter quos, id quod ex aliis quoque epistolis catholicis constat, errores antinomistici ex doctrina Pauli male intellecta erant exorti. « Homines enim, inquit S. Augustinus, non intelligentes quod ait Apostolus, iustificari hominem per fidem sine operibus Legis, putaverunt eum dicere, sufficere homini fidem, etiamsi male vivat et bona opera non habeat ». Quem perniciosum errorem S. Iacobus statim impugnare voluit atque magisterii ambitionem simul reprimere, qua neophyti nonnulli, veloces ad docendum suamque iactantes sapientiam, magistri aliorum esse quaerebant, antequam didicerant. Duo haec capita praecipuum constituunt argumentum huius epistolae, at non rigida illa demonstratione, qua S. Paulus uti solet, sed gravi et sententioso dicendi genere, quo Ecclesiastici auctor excellit, exponuntur. Unde factum est, ut alia quoque monita, quae opportuna iudicabat, S. Iacobus epistolae aut insereret aut adderet.

Scripta videtur exeunte a. 61. vel ineunte a. 62.

I. Exordium epistolae (1,1-18)

1.) praeter *inscriptionem* (1,1)

2.) *hortationem exhibet ad tribulationes perferendas* (1,2-18).

a.) A graeca salutationis formula (χαίρειν), quam in inscriptione adhibuit, occasionem Iacobus arripit, ut *laete* tribulationes sustineri iubeat, quippe quibus fideles, si eas recte perferant, ad perfectionem adducantur (1,2-4).

b.) (Recte autem nemo eas perferre potest, nisi veram possideat sapientiam); hanc igitur fideles a Deo cum fiducia petere iubet; qui enim dubitans precatur, non exaudietur (1,5-8).

c.) Porro vera sapientia in eo conspicitur, quod sua quisque sorte contentus sit; quocirca pauper divitiis suis supernaturalibus glorietur ac dives se humiliet ob opes suas naturales, quae caducae sunt (1,9-11).

d.) Beatus ergo, qui debito modo tribulationes suffert, quibus ad coronam adducitur (1,12). Neve quis illis a Deo ad peccatum se incitari putet; Deus enim ad peccatum incitare nequit, sed pec-

candi incitamentum, quod in tribulationibus invenitur, totum a concupiscentia exoritur (1,13-15); a Deo autem nobis non advenit nisi bonum, id quod satis nobis ipse demonstravit, quum ad novam vitam veritatis suae nos generaret (1,16-18).

II. Prima parte (1,19-2,26) *S. Iacobus eam fidem esse necessariam docet, quae per caritatem informata se vivam esse operibus manifestat.*

1.) *Fideles oportet esse factores verbi a Christo allati* (1,19-2,13).

a.) Christiani quum verbo veritatis sint regenerati, illud libenter et quiete audire debent (1,19-21); neque tamen sola auditio sufficit, opere enim sunt exercenda quae audierunt (1,22-25).

b.) Quod assertum quasi exemplis illustrat (1,26-2,9):

α. — veram religionem non habere docens qui linguam suam non refrenent (1,26),

β. — aut caritatem erga orphanos et viduas negligant (1,27),

γ. — aut in coetibus suis sacris inter pauperes et divites distinctionem aliquam faciant (2,1-4);

quod ultimum quam malum sit ut magis inculcet, hac agendi ratione illos opprobrio affici ostendit, quos primos Deus ad regnum vocavit, illosque honorari, qui ob pauperum oppressionem honore sunt indigni (2,5-9).

c.) Quae omnia, sicut reliqua quoque praecepta, singula observanda esse monet, quia is, qui in uno deliquerit, omnium sit reus, quum omnium idem auctor sit Deus (2,10-13).

2.) *Thema deinde ipsum aggressus fidem sine operibus nihil prodesse demonstrat* (2,14-26).

a.) Praeprimis similitudine quadam: sicut nuda verba, quibus dives pauperi monstrat quid ei faciendum sit, ut in miseriis suis sublevetur, pauperem nihil iuvant, ita fides, licet viam monstret, sine bonis operibus nihil prodest (2,15-18);

b.) daemones quoque fidem qualemcumque habent (2,19);

c.) ac similiter Scripturae exemplis opera cum fide requiri constat, nam Abraham filio suo in sacrificium oblato, Rahab misericordia sua erga exploratores ostenderunt, se fidem vivam habere (2,20-25).

d.) Unde iure concludit, eodem modo, quo corpus sine spiritu, fidem sine operibus mortuam esse (2,26).

III. Secunda parte (3,1-4,12) *Apostolus Christianos ab ambitione docendi absterret.*

1.) *Generali quadam praemissa consideratione pericula multa ac gravia linguae usu generari docet* (3,1-12).

a.) Etenim in multis quidem offendimus omnes, maxime au-

tem in lingua. Quae, quamvis sit membrum parvum, tamen magna efficere potest; sicut enim equus et navis re parva diriguntur et parva scintilla magnum incendium excitat, ita lingua totum hominem interdum maculat (3,2-6);

b.) porro homo, licet ferocissimas bestias domare valeat, linguae domandae imparem se invenit (3,7.8).

c.) Christianus autem, quum lingua sua Deum glorificet, multo magis sibi cavere debet, ne eodem membro homines ad perditionem adducat (3,9-12).

2.) *Libidinem docendi deinde inter Christianos ex verae sapientiae defectu exoriri monet* (3,13-18).

a.) Hanc enim eis deesse, qui docendi munus ambiunt, ex eo iam elucet, quod non mansuetudine dirigantur, sed contentione amara et zelo (3,13-16),

b.) et quod aliis careant sapientiae proprietatibus (3,17.18).

3.) *Demum, qui ambitionis huius sint fructus, explanat, nimirum lites et dissensiones et multa peccata* (4,1-12).

a.) Quorum fons concupiscentiae sunt, quibus blandiuntur magistri illi novi, qui ipsi, utpote amici mundi, inimici sint Dei, quibusque utpote superbis resistat Deus (4,1-6).

b.) Quapropter S. Iacobus omnes exhortatur, ut vera humilitate ad Deum accedant (4,7-10),

c.) neque se invicem velut legislatores et iudices diiudicent, quia solus Deus iudex sit et legislator (4,11.12).

Tertia pars (4,13-5,18) *nonnulla monita specialia tradit.*

1.) Memores sint omnia omnino a Deo dependere; sibi caveant igitur, ne de suis rebus superbi glorientur (4,13-17);

2.) divites vehementer vituperat, qui divitiis suis abutuntur et pauperes opprimere non cessant (5,1-6); pauperes vero consolatur atque ad patientiam exhortatur futuro praemio proposito (5,7-11);

3.) quid de iuramento sit sentiendum, docet (5,12),

4.) et quomodo homo aegrotus se gerere debeat explanat (5,13); eos autem qui graviter aegrotant, sacramento sanctae unctionis per presbyteros muniri iubet (5,14.15).

5.) Demum omnibus orationis studium inculcat exemplo Eliae adducto, ut, quid pia precatio valeat, clarius cognoscant (5,16-18).

In epilogo (5,19.20)

praemium magnum illi esse repositum docens, qui peccatorem converterit, omnibus indirecte suadet, ut fratres suos errantes in viam veritatis reducere studeant.

16. — *Epistola B. Petri Apostoli prim.*

Priorem suam epistolam Princeps Apostolorum ecclesiis Asiae Min. eo tempore scripsit, quo Nero in Urbe « quaesitissimis poenis affecit eos, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat » (Tac.) « genusque hominum superstitionis novae et maleficae » (Suet.), atque in imperii provinciis animi ethnicorum contra eosdem ita erant exacerbati, ut nonnullis in locis aperta persecutio iam exarserit. Hinc timeri potuit, ne neophyti gravissimis in periculis constituti ethnicorum calumniis et persecutionibus a vera fide abstrahi se sinerent; quapropter edocendi erant, religionem christianam esse vere divinam, etsi eius professione persecutionem hanc sibi attraxissent, admonendique, ut non tantum, spretis periculis, firmi constantesque fidei acceptae inhaererent, sed etiam moribus suis vere christianis calumnias ethnicorum confutarent. Quem duplicem finem S. Petrus non eo modo prosequitur, quem S. Paulus fere tenere solet, ut in dogmatica parte doctrinam proponat et in paraenetica conclusiones practicas deducat moresque corrigat, sed totam epistolam exhortationibus constare voluit, argumenta autem, quibus religionem christianam esse veram Dei gratiam demonstrat, aptis in locis inserit atque continuo animos eorum ad altiora erigit.

Babylone, i. e Roma, scripta est exeunte a. 64. vel ineunte a. 65.

I. Exordium epistolae (1,1-12)

1.) *inscriptionem* exhibet, in qua praerogativae Christianorum iam significantur (1,1.2),

2.) *et gratiarum actionem*, qua beneficia Christianis per Evangelium allata commendantur (1,3-12).

a.) Namque regenerati sunt in hereditatem coelestem, quae illis certa est, quia Deus illos per fidem sit custoditurus (1, 3-5); quare etsi nunc calamitatibus probentur, gaudebunt tamen adveniente Christo et salutem afferente (1,6-9);

b.) quanta autem haec salus sit, ex eo elucet, quod prophetae avide illam desideraverint et perscrutati sint, atque Angeli ipsi accuratius illam cognoscere cupiant (1,10-12).

II. *Quo exhortationum fundamento posito B. Petrus in* prima parte (1,13-2,10) *ad vitam vere christianam agendam fideles generali modo exhortatur.*

1.) Etenim quia tanta salus eis parata est, *repleti sint oportet spe viva*, qua impellantur, ut ei, a quo ad salutem vocati sint, vita sua sancta assimilentur (1,13-16).

Quam exhortationem corroborat monens eos patrem habere, qui simul sit iudex (1,17), eosque pretioso sanguine Christi esse redemtos et per Christum fidem accepisse (1,18-21).

2.) *Cum hac spe coniungant veram caritatem fraternam* (1,22); fratres enim facti sunt regeneratione sua ex semine incorrupti-

bili, i. e. ex verbo Dei aeterno (1,23-25), ac proin deponant oportet, quidquid verae caritati opponitur (2,1).

3.) *Quibus depositis renati velut infantes lac verae doctrinae concupiscant*, qua crescant et confortentur, ut tamquam lapides vivi vero lapidi angulari superaedificari cum eoque intime uniti vera sacrificia spiritualia offerre possint (2,2-5).

Qua doctrina testimonio Scripturae (*Is.* 28,16) confirmata (2,6-8) eorum dignitatem commendat, qui Christo superaedificati verum Dei populum constituunt (2,9.10).

III. ALTERA PARS (2,11-4,19) *monita specialia tradit.*

1.) *Quomodo inter ethnicos degentes sese gerere debeant* (2,11-3,12).

a.) Pro regula generali statuens, ut Christiani inter ethnicos degentes bonis suis moribus eorum calumnias refutent eosque ad glorificandum Deum adducant (2,11.12),

b.) praeprimis obedientiam commendat,

α. — omnibus quidem erga magistratus, quia haec sit voluntas Dei et quia hac ratione calumniatores ad silentium redigantur (2,13-17),

β. — servis autem erga heros suos, etiam dyscolos (2,18), quia gratia sit, si quis iniuste propter conscientiam patia tur (2,19.20); similis enim redditur Christo, qui innocentissime propter nostra peccata passus est (2,21-25).

c.) Coniugibus deinde mutua officia inculcat :

α. — mulieres subditae sint maritis, ut eos, si forte nondum conversi sint, conversatione sua bona ad fidem attrahant (3,1.2); neve corpus vestibus pretiosis, sed cor virtutibus exornent Saram imitatae, cuius filiae factae sint (3,3-6);

β. — viri vicissim uxores suas utpote coheredes gratiae coelestis honorent (3,7).

d.) Omnes demum veram caritatem exerceant, neque unquam malum malo rependant, sed e contra omnibus benedicant, ut ipsi quoque benedictionem inveniant (3,8-9), sicuti Scripturae (*Ps.* 33,13 sqq.) iam testantur (3,10-12).

2.) *Quomodo in praesente persecutione sese gerere debeant* (3,13-4,19).

a.) Ante omnia bonam conscientiam habere studeant, et coram magistratibus sine ullo timore rationem spei suae ita reddant, ut calumniatores suos pudore afficiant (3,13-16).

Melius enim est eos innocentes, quam reos, pati, assimilatos Christo, qui iustus pro iniustis moriens sibi nobisque et omnibus bona ingentia meruit (3,17-22).

b.) Christo autem mortuo assimilati ipsi quoque mortui sint peccatis, in quibus ante vocationem suam vixerunt (4,1.2);

neque ethnicorum increpationibus atque blasphemiis ad pristinam vitam sese retrahi sinant (4,3.4); ethnici enim de his iusto iudici rationem reddere tenebuntur (4,5.6).

Quod iudicium considerantes ipsi vigilent omnimodamque virtutem exerceant (4,7-11).

c.) Neque mirentur, quod haec persecutio super eos venerit, sed potius de illa gaudeant, quum eos participes reddat passionum Christi (4,12-14);

sibi ergo caveant, ne velut rei patiantur, neque erubescant, si pro nomine christiano pati debeant (4,15.16);

prope enim esse iudicium, in quo propter persecutiones, quas perferunt, vitam aeternam sint obtenturi (4,17-19).

III. TERTIA PARTE (5,1-11) *S. Petrus fidelibus tradit monita quaedam specialissima :*

a.) *presbyteros* admonens ut gregem suum sollicite pascant vitaeque exemplo ei praeluceant (5,1-3); quod si faciant, a principe pastorum immarcescibilem coronam eos esse percepturos (5,4);

b.) *gregem* rogans, ut pastoribus sit subditus (5,5);

c.) *pastores* et *gregem* demum exhortans,

α. — ut omnes sese humilient sub potenti manu Dei, qui eos suo tempore sit exaltaturus (5,5-7);

β. — ut sobrii sint ac vigilent, quo resistere possint diabolo eos perdere volenti, sese consolentur cogitatione, fratres eorum eadem persecutione premi, Deum autem, qui eos vocavit, in persecutione etiam eos esse confirmaturum (5,8-11).

In brevissimo EPILOGO (5,12-14) scopo epistolae per Silam transmissae addit salutationes benedictionemque apostolicam.

17. — *Epistola B. Petri Apostoli secunda.*

Paullo ante mortem, quam mox sibi instare revelatione divina scivit, ineunte igitur a. 67., S. Petrus iisdem ecclesiis asiaticis, quibus priorem, etiam alteram epistolam scripsit. Interea autem rerum status erat mutatus. Persecutio, ad quam fortiter sustinendam in priore neophytos erat exhortatus, desaevierat, sed maius illis imminebat periculum a falsis doctoribus, qui dolo et ludibriis fidem eorum subvertere conabantur. Antinomistica enim illa secta, quam S. Iacobus iam impugnaverat, ulterius progressa, ut facilius Christianos a Lege solutos ad sua ipsius vitia seduceret, Christi dignitatem divinitatemque negare coeperat; frustra S. Iudas in sua epistola illis divinarum poenarum terrores proposuerat; nam Domini adventum quoque et iudicium ludibriis impugnarant. Itaque S. Petrus nova epistola neophytos contra gravissimum periculum praemuniturus una ex parte magna bona per Christum allata et firmum fidei fundamentum in memoriam eis revocat, altera autem ex parte extremum perditionis periculum, cui seductores et seducti sint expositi, eis ostendit ludibriaque haereticorum refutat.

INSCRIPTIO EPISTOLAE (1,1. 2)
(qua B. Petrus simul eius argumentum ac finem subobscure indicat).

I. PRIORE PARTE (1,3-21) *donorum per Christum allatorum magnitudinem*[1] *atque firmitatem fundamenti fidei christianae declarat.*

1.) *Quanta dona per Christum acceperint, ita explanat, ut quid debeant rependere intelligant* (1,3-15).

a.) Domini videlicet virtutem divinam Christianis omnia omnino contulisse docet, quae ad vitam supranaturalem pertinent, quoniam eos ad Evangelium vocavit divinaeque suae naturae participes effecit (1,3. 4);

b.) quare sua ex parte Christiani omnem curam adhibeant oportet, ut in virtutibus omnibus crescant ex una ad alteram progredientes. Octo porro virtutes Apostolus enumerat, velut totius vitae christianae gradus quosdam, quibus ad caritatem ascendatur (1,5-7).

c.) In virtutibus vero crescentes pervenient ad perfectam Christi cognitionem, eas autem negligentes infelices erunt : quare bonis operibus sibi certam suam vocationem reddere introitumque aperire in regnum aeternum debent (1,8-11).

d.) Quod ut facilius facere possint, Apostolus eis, quamquam haec iam sciunt, semper eadem in memoriam revocat, et quia mox se moriturum esse ex divina revelatione cognovit, etiam hac epistola iterum inculcat, ut eadem etiam post suam mortem semper observare studeant (1,12-15).

2.) *Ratio autem, ob quam hoc tantopere urget, est firmitas fundamenti, cui innititur eorum fides de secundo Christi adventu* (1,16-21);

a.) Ipse enim, quia in Domini transfiguratione praesens adfuit, testis ocularis est magnitudinis Christi, ideoque certam scientiam de virtute et adventu Christi habet (1,16-18);

b.) ad maiorem autem plenioremque certitudinem dandam accedunt vaticinia Veteris Test., quae a Spiritu S. ipso per prophetas loquente sunt profecta (1,19-21).

1. Cum Estio modernisque interpretibus interpunctione Vulgatae hoc loco, utpote parum probabili, relicta inscriptionem *v.* 2. absolvi, atque a *v.* 3. argumenti tractationem inchoari censemus. Atque etiam in *v.* 3. consueta Vulgatae interpunctio sensum reddit obscuriorem. Legendum enim est : « Quomodo omnia nobis divinae virtutis suae, quae ad vitam et pietatem (sc. pertinent), donata sunt per cognitionem » etc. Ceterum ex graeco textu accuratius et clarius habemus : « Quoniam divina eius virtus nobis omnia, quae ad vitam et pietatem pertinent, donavit per cognitionem eius, qui nos vocavit,... etiam ipsi omnem curam adhibentes » etc. Cum Lachm. enim, Griesb. etc. secundum A. et Vulg. *v.* 5. legimus καὶ αὐτοὶ δὲ σπουδὴν κτλ.

II. Altera parte (2,1-3,13) *deinde fideles monet, ut sedulo sibi ab haereticis caveant.*

1.) *Futura falsorum doctorum sorte praedicta ab illis audiendis Christianos absterret* (2,1-11).

a.) A Veteris Test. pseudoprophetis exorsus etiam in Novo falsos doctores fore (et esse) monet, qui perniciosis introductis sectis Dominoque redemtore suo negato certum interitum sibi sint acceleraturi, praesertim quia et libidinosa sua vita multos eo adducent, ut propter eos vera doctrina conviciis infidelium exponatur, et ob avaritiam suam fictitiis suis sermonibus turpem quaestum ex fidelibus quaerent (2,1-3);

eos autem iram Dei non esse effugituros, Apostolus probat poenis, quas Deus iam angelis peccantibus, deinde toti generi humano in diluvio, et demum civitatibus Sodomae et Gomorrhae inflixit (2,4-6).

b.) Verum ne fideles se quoque communibus istis poenis subiacere putent, in memoriam eis Lot revocat, qui, quia iustus erat, solus a Deo est servatus (2,7. 8),

atque concludit, Dominum iustos esse servaturum, impios puniturum, haereticis, qui pro sua superbia novas sectas introducunt[1], maiores poenas esse illaturum, etsi ipsi angeli damnati suas poenas iam portare nequeant (2,9-11).

2.) *Vitam deinde et doctrinam pseudodoctorum describit et simul eos refutat* (2,12-3,13).

a.) Pseudodoctores praeprimis in vita sua blasphemos esse declarat, avaros, voluptatibus omnis generis deditos, seductores, veros filios Balaam (2,12-16).

Omnino alii, atque esse creduntur, utpote larvam libertatis gerentes, licet servi sint corruptionis, alios ad vitia pelliciunt maioremque sibi attrahunt culpam, quia ad vomitum suum redierunt (2,17-22).

b.) Ad eorum doctrinam porro transiens se ideo haec scribere praefatus, ut memores sint doctrinae, quam ab Apostolis suis acceperunt (3,1. 2.),

α. — haereticorum illorum proponit argumentum, qui ex eo, quod omnia hucusque ab initio creationis permanserint, concludere volunt, omnia etiam eodem modo permansura esse (3,3.4).

1. Ita quidem secundum textum Vulgatae. Secundum textum graecum autem ab altera parte *v.* 10 (τολμηταὶ αὐθάδεις κτλ) descriptio haereticorum iam inchoatur, quorum primo in loco proponitur superbia, qua maiestates blasphemare audeant, quamquam ne ipsi quidem angeli de eis blasphemum iudicium ferant. Si *Iudae v.* 8. confertur, « maiestates », de quibus ne ipsi quidem boni angeli iudicium ferunt, intelligendi sunt angeli mali. Graecus textus omnino videtur praeferendus.

β. — At illi, qui ita loquuntur, Deum iam semel mundum diluvio punivisse, atque coelum et terram nunc igni in diem iudicii reservari ignorant (3,5-7);

ignorant quoque Deum aliam, atque nos, temporis mensuram habere, eumque, si promissiones suas nunc retardat, id eum in finem facere, ut omnibus poenitentiae relinquat tempus (3,8. 9).

γ. — Quoniam vero dies Domini certissime sit venturus, sancta sua vita studeant adventum Domini et novam illam creationem accelerare, in qua iustitia sit inhabitatura (3,10-13).

In epilogo (3,14-18) *omnia, quae scripsit, quasi paucis complexus Christianos exhortatur*

a.) ut sanctam vitam agant (3,14);

b.) ut tempus sibi concessum ad salutem suam operandam adhibeant, ad quod faciendum etiam Paulus secundum suam sapientiam divinitus acceptam eos iam exhortatus sit in suis epistolis, in quibus tamen (uti per parenthesin adnotandum censuit) nonnulla sint difficilia intellectu, quibus aeque ac ceteris Scripturis haeretici ad suam ipsorum perniciem abutantur (3, 15. 16);

c.) ut praemoniti sibi caveant, ne in errores se trahi sinant, crescant vero in cognitione Domini Nostri (3,17. 18).

18. — *Epistola B. Ioannis Apostoli prima.*

Scriptura, quae 1. *Ioan. epistola* vulgo vocatur, rectius quarti Evangelii praefatio quaedam dici videtur, qua Apostolus, quum Evangelium suum asiaticis ecclesiis transmitteret, eius summum argumentum finemque explicavit fructumque accuratius descripsit, quem Christianos ex illo haurire voluit, vel etiam, si ita mavis, Evangelii introductio, qua dogmata et praecepta, quae a Domino in publico suo ministerio tradita esse Evangelium refert, paucis comprehensa commendavit. Inter quarti Evangelii dogmata autem eminet illud, quod Iesus sit Christus, verus Dei Filius et verus homo, propitiator pro peccatis nostris, a quo solo peccatorum remissionem exspectare possimus ac debeamus; atque inter praecepta in quarto Evangelio inculcata duo omnino praevalent, caritas scilicet Dei et proximi atque odium mundi. Iam vero tria haec etiam summum argumentum epistolae constituunt, sed liberiore modo tractantur, ita ut auctor ab uno ad alterum transeat et ad ea, quae iam tractaverat, iterum revertatur. Proprio igitur sensu epistolae analysis aut synopsis accurata tradi non potest; eius tamen sententias eo ordine, quo ab Apostolo proponuntur, enumerabimus maiorisque claritatis gratia tres partes distinguendas censemus, quae singulae ad sententiam quandam in Evangelii principio propositam alludere eamque quodammodo explicare videntur.

Tempore Nervae c. a. 97. una cum Evangelio edita est epistola.

Brevi exordio (1,1-4)

Evangelium suum Apostolus lectoribus commendat, quia in illo velut testis ocularis de Verbo vitae eo fine tractet, ut fideles cum Patre et Filio intime coniuncti pleno gaudio fruantur.

I. Prima parte (1,5-2,29) *S. Ioannes ad Evangelii sententiam, quod « Deus sit lux »,* (*Ioan.* 1,4 sqq.) *provocans in luce nobis esse ambulandum docet.*

1.) *Quoniam Deus lux est, in luce ambulemus oportet* (1,5-2,11).

a.) Quicumque in tenebris degit, societatem cum Deo utpote luce non habet (1,5-7);

b.) qui autem in luce ambulat,

α. — praeprimis se esse peccatorem confiteri debet, ut hac confessione remissionem peccatorum obtineat (1,8-10) per Christum, qui est propitiatio pro peccatis omnium (2,1. 2);

β. — praeterea mandata Christi observare debet, ut hac ratione cum Deo uniatur et in eo maneat (2,3-6).

c.) Inter mandata eius autem eminet vetus illud et novum caritatis praeceptum; ex cuius observatione igitur diiudicetur oportet, utrum in luce, an in tenebris, aliquis ambulet (2,7-11).

2.) *Duo autem vitia indicat, quibus potissimum homines, ne in luce ambulent, impediantur* (2,12-29).

a.) Benevolentiae quadam captatione, in qua virtutibus lectorum, quas enumerat, tum ad Evangelium, tum ad epistolam scribenda sese permotum esse asserit, praemissa (2,12-14),

b.) ante omnia eos mundum amare vetat, qui sit corruptor universalis et cito cum suis illecebris transiturus (2,15-17);

c.) deinde commercium prohibet cum haereticis, quos antichristos vocat, quia praecursores sint Antichristi et Iesum esse Christum negantes nec Patrem nec Filium agnoscant (2,18-23).

Ab his igitur sibi caventes Christiani in iis fideliter permaneant, quae per Spiritum S. didicerint, ut cum fiducia adventum Christi exspectare possint (2,24-29).

II. Altera parte (3,1-4,6) *Apostolus dignitatem filiorum Dei, quae credentibus in Christum detur* (*Ioan.* 1, 12), *celebrans tria requiri docet, ut quis in ea dignitate maneat.*

1.) *Contendendum est eis ad sanctitatem peccatis vitatis* (3,1-10).

a.) Plenam gloriam filiorum Dei nondum apparuisse praemonens omnes filios Dei sese sanctificare ait (3,1-3),

b.) ac proinde etiam vitare omnia peccata,

α. — utpote Christo opposita, qui ad ea delenda venit (3,4-6),

β. — et quia hominem constituant filium diaboli, ita ut in sanctitate una ex parte et ex altera in peccato signum ha-

beamus, quo filii Dei et filii diaboli dignoscantur (3,7-10).

2.) *Altera conditio, quae cum sanctitate intime cohaeret, quum sit impletio mandati alicuius divini, est caritas fraterna, quam filii diaboli, velut Cain, et mundus ignorant et odio habent* (3,10-13). Unde occasionem arripit Apostolus

a.) commendandae caritatis, quae veram det vitam, dum odium generet mortem (3,14. 15),

b.) describendae caritatis, quae exercenda sit ad exemplum Christi, qui se ipsum pro nobis tradens eam non verbis sed operibus constare docuit (3,16-18),

c.) exaltandi fructus caritatis, quippe quae in cordibus nostris fiduciam ad Deum producat et petitionibus nostris exauditionem mereatur (3,19-22).

3.) *Tertia adoptionis conditio est, ut credamus in nomine Filii Dei, Iesu Christi* (3,23. 24).

a.) Quamobrem ante omnia monet, non omni spiritui esse credendum, sed eum solum ex Spiritu Dei loqui, qui Iesum Christum esse Filium Dei confiteatur; qui vero inter Iesum et Christum distinguat, eum ex Deo non esse, sed ex antichristo, qui iam nunc in mundo operetur (4,1-3);

b.) gaudet deinde quod lectoribus suis, quoniam in eis sit Deus, nihil timendum sit ab illis antichristis, quorum sermonibus non nisi filii mundi aures praebeant, dum ipsi, qui ex Deo sint, audiant vocem Apostoli (4,4-6).

III. TERTIA PARTE (4,7-5,12) *B. Ioannes Patrem Filium suum unigenitum ex mera caritate pro nobis dedisse* (*Ioan.* 3,16; 1,14) *in lectorum memoriam revocans caritatem caritate nobis esse rependendam monet.*

1.) *Caritatem Dei et caritatem proximi, quae ita inter se sint connexae, ut una sine altera haberi non possit, commendat et praedicat* (4,7-21).

a.) Ab huius caritatis motivo indicando exorditur, quod aliud non esse docet, nisi ipsius Dei erga nos caritatem, quae in eo sese maxime manifestavit, quod filium suum unigenitum velut propitiationem pro nobis daret (4,7-11);

b.) quibus quasi pro fundamento praemissis fructus et radicem caritatis explicat (4,12-18).

α. — In eo enim, qui caritatem possidet, Deus invisibilis inhabitat eique tribuit Spiritum suum (4,12. 13);

β. — caritatis autem radix est fides in Iesum Christum, quare Deus etiam in eo manet, qui (non ore tantum, sed caritate sua) confitetur Iesum esse Filium Dei, quem Deus ex caritate dederit (4,14-16).

γ. — Qui veram possidet caritatem, cum fiducia diem iudicii exspectat (4,17. 18).

c.) Atque particulam hanc concludit exhortatione ad caritatem Dei et proximi (4,19-21).

2. *Fidem radicem esse caritatis mox declaraverat, idem nunc diligentius explicat* (5,1-12).

a.) Fides in Iesum Christum nos facit filios Dei, ac proinde etiam efficit, ut et Patrem et Filium diligamus, quae caritas connexam habet caritatem fraternam et ex observatione mandatorum Dei cognoscitur; qua observatione vincimus mundum; quocirca per fidem in Iesum Christum nos vincere mundum dicendum est (5,1-5).

b.) Iesum autem esse Christum, constat divino testimonio, quod, utpote omni humano maius, recipi debet et, si fide recipitur, vitam aeternam praebet (5,6-12).

Epilogo (5,13-21) demum

a.) se ideo epistolam scripsisse asserit, ut fideles per fidem in Iesum Christum se habituros esse vitam scirent (5,13), fructumque proximum huius fidei fiduciam esse repetit, qua a Deo omnia impetrare possint, atque ipsam etiam vitam pro fratre non peccante ad mortem (5,14-17);

b.) denuo illis, qui nati sunt ex Deo, abstinendum esse monet a peccatis, abhorrendum a mundo, in Deum eiusque Filium credendum, ut vitam aeternam consequantur (5,18-20),

c.) atque epistolam concludit praecepto, ut ab idololatria sese custodiant (5,21).

19. — *Epistola B. Ioannis Apostoli secunda.*

Altera S. Ioannis epistola uni ex asiaticis ecclesiis, quam nomine « Dominae electae » designat, scripta esse recte asseritur. Contra eosdem haereticos, de quibus in praecedente agit, etiam in hac praemunit fideles; eademque quoque ratione mandatum caritatis fraternae commendat veramque caritatem in mandatorum observatione constare docet; quapropter est velut epitome longioris epistolae, neque diu post illam videtur esse exarata.

1. *In inscriptione* (1-3) Apostolus rationem indicat, cur ecclesiam illam eiusque membra diligat, quia nimirum veritatem receperint et in ea permaneant.
2. Postquam deinde gaudium suum expressit, quod multa ecclesiae membra in veritate ambulent, illis novum mandatum caritatis in memoriam revocat (4-6).
3. At quia exorti sint seductores, qui Verbi incarnationem negent,

fideles exhortatur, ut ab illis sibi caveant, ne illorum haeresin sequentes mercedem aeternam amittant (7. 8),

eosque sese abstinere iubet ab omni conversatione cum illis, ne ipsi quoque operibus illorum malignis communicent (9-11).

4. Ratione addita, cur tam pauca scribat, quia scilicet mox ecclesiam sit visitaturus, epistolam salutationibus ecclesiae concludit, in qua residet (12. 13).

20. — *Epistola B. Ioannis Apostoli tertia.*

« Gaio carissimo, quem in veritate diligat », S. Ioannes tertiam suam epistolam inscribit; sed quis ille Gaius fuerit, aeque parum nobis est traditum, atque qui fuerint Diotrephes et Demetrius, quorum priorem vituperat, alterum commendat. Qua occasione has literulas dederit, ex earum argumento desumimus. Discipuli enim nonnulli, quos Evangelii inter ethnicos propagandi causa Apostolus miserat, in itinere suo a Gaio quidem bene, a Diotrephe autem male erant recepti.

1. Unde post *inscriptionem* et salutis apprecationem (1. 2)
2. sese de bonis nuntiis gaudere dicit, quos de Gaii sancta conversatione et praesertim de eius hospitalitate per discipulos suos receperit, eumque hortatur, ut idem in posterum faciat, quia nos illos, qui Evangelium propagent, adiuvare deceat (3-8).
3. Vehementer autem Diotrephem reprehendit, qui primum quidem locum in ecclesia illa habere velit, sed non tantum ipse hospitalitatem non exerceat, sed alios quoque, qui eam exercuerint, ex ecclesia expellat. Quem rerum statum se esse mutaturum annuntiat, quamprimum ad eos venerit (9. 10).
4. Post generale monitum, ut semper bonum faciant, commendat Demetrium, per quem epistolam videtur transmisisse, epistolae brevitatem excusat eamque salutationibus terminat (11-14).

21. — *Epistola catholica B. Iudae Apostoli.*

Iisdem ecclesiis Asiae Min., quibus S. Iacobus Min. et S. Petrus epistolas suas scripserunt, etiam illa destinata est, quam S. Iudae, Iacobi Min. fratri, debemus. Eundem quoque prosequitur finem; contra eorundem enim haereticorum conatus praemunire studet fidelium animos. Scripta autem videtur c. a. 65., ita ut medium quasi locum occupet inter epistolam S. Iacobi, qui prima haereseos illius initia impugnavit, et 2. Petri, qui ex Iudae literis nonnulla recipere voluit.

In EXORDIO post inscriptionem (1. 2)

pro ratione, qua ad hanc epistolam ad eos dandam permotus sit, periculum Apostolus indicat, quod ecclesiis ex parte haereticorum gratiam Dei in luxuriam transferentium et Dominum negantium immineat (3. 4).

1. Priore parte (5-16) *deinde haereticos illos et sortem, quae eos exspectet, describens lectores ab eorum doctrinis absterret.*

a.) Tria praeprimis iudiciorum divinorum exempla affert; Iudaeorum, qui quia non crediderunt, in deserto perierunt (*v.* 5), angelorum damnatorum, qui ob inobedientiam et superbiam suam in caliginem sunt detrusi (*v.* 6), Sodomitarum, qui ob luxuriam suam puniti sunt (*v.* 7).

Atque eadem peccata luxuriae, superbiae, incredulitatis ab haereticis committi monens similem poenam illis esse reservatam significat (*v.* 8).

b.) Modestiae deinde Michaelis Archangeli, qui ne ipsi quidem diabolo imprecatus sit, haereticorum superbiam opponit, qui iis quae ignorent blasphement, iisque quae norint in suam perniciem abutantur (9. 10).

c.) Hinc poenas Caini, Balaam, filiorum Core, quippe quos in peccatis imitati sint, haereticis praedicit (11-13),

d.) atque tandem seductores eorumque interitum futurum iam ab Enoch praedictos fuisse docet (14-16).

2. Altera parte (17-23) *fidelibus monita, quaedam practica tradit.*

a.) Eos enim adhortatur, ut doctrinae magistrorum suorum memores, qui etiam tales haereticos venturos esse praedixerunt (17-19), firmique fidei verae inhaerentes sese in dilectione Dei conservent futurum praemium exspectantes (20. 21),

b.) eosque docet, quomodo erga haereticos illos gerere se debeant: obstinati enim, utpote iam iudicati, sunt arguendi, alii autem de errore convincendi, illi demum, qui sine sua culpa in errorem sunt prolapsi, magna cum misericordia tractandi (22. 23).

Epistolam concludit *doxologia* (24. 25).

VI

PROPHETICI LIBRI TEST. NOVI

SYNOPSIS.

Apocalypsis B. Ioannis Apostoli.

Apocalypsin, quam S. Ioannes Apostolus tempore Domitiani in insula Patmo vidit literisque mandavit, veram esse prophetiam docet Ecclesia; quodnam autem eius accuratum sit argumentum, controvertitur. Alii enim eam de ultimis Ecclesiae fatis temporibusque Antichristi ita agere putant, ut pauci dumtaxat eventus priores adumbrentur potius quam describantur; contra quos alii censent, totum librum prima Ecclesiae tempora atque maxime victoriam illam describere, quam tribus primis saeculis de iudaismo et ethnicismo reportavit; alii demum universam Ecclesiae historiam praecipuosque singularum aetatum eventus praedici tenent. Symbolorum, quibus S. Ioannes vaticinia sua obvolvit, explicationem ipsumque internum idearum nexum pro diversis istis systematis quam maxime inter se differre, evidens est. Quapropter in analysi solam externam libri structuram proponimus, a symbolis autem interpretandis et a nexu idearum explicando nos abstinemus.

Titulus libri (1,1-3)

auctorem ac scriptorem visionum indicat summumque earum argumentum ac fructum innuit.

I. Exordium (1,4-3,22) *octo constat epistolis, quibus Apocalypsis septem ecclesiis asiaticis (ephesiae, smyrnensi, pergamenae, thyatirensi, sardensi, philadelphicae, laodicenae) inscribuntur.*

1.) *In prima epistola, omnibus septem ecclesiis inscripta,*

post salutationem (1,4-6) et summi argumenti indicationem (1,7. 8)

Apostolus, se in Patmo insula visionem habuisse narrat et a Christo, qui sibi in medio septem candelabrorum apparuerit, septem ecclesiis per septem illa candelabra significatis hanc visionem suam scribere esse iussum (1,9-20).

2.) *Septem autem epistolae, singulae singulis ecclesiis inscriptae* (2, 1-3,22), secundum idem schema dispositae sunt; etenim constant

a.) inscriptione, quae praeter ecclesiae nomen exhibet unum

ex titulis Domini in prima epistola indicatis (2,1. 8. 12. 18; 3, 1. 7. 14),

b.) argumento, quod semper inchoatur ab affirmatione Domini, se ecclesiae illius statum cognoscere, atque statu ecclesiae descripto laudem vel vituperium monitaque necessaria continet (2,2-6. 9-10. 13-16. 19-25; 3,1-4. 8-11. 15-20),

c.) conclusione, qua ut dicta audiant monentur eisque, qui illa observaturi sint, praemium promittitur. Tres priores autem a quatuor sequentibus in eo differunt, quod priores monitum, reliquae promissionem praemittant[1] (2,7. 11. 17. 26-29; 3,5-6. 12-13. 21-22).

II. OPERIS CORPUS (4,1-22,5) *visionibus constat, quae septem illis asiaticis ecclesiis transmitti debeant.*

1.) *Pro introductione describitur, ubi et quomodo S. Ioannes has visiones acceperit* (4,1-5,14).

a.) In spiritu enim in coelum raptus vidit thronum divinum circumdatum viginti quatuor senioribus et quatuor animalibus laudem Deo canentibus (4,1-11).

Qui autem in throno sedebat, librum tenebat SEPTEM SIGILLIS clausum, quem nemo aperire potuit (5,1-3).

b.) Qua de re contristatum Apostolum consolatus est unus ex senioribus; nam subito apparuit Agnus, qui in medio seniorum stabat tamquam occisus (5,4-6);

is acceptum librum aperuit, quatuor animalibus et viginti quatuor senioribus iubilantibus Agnumque adorantibus (5,7-14).

Quae autem in septem sigillorum solutione facta sunt, constituunt argumentum visionum.

2.) *Agnus aperit* SEX PRIORA SIGILLA (6,1-7,17).

a.) Ad *quatuor priorum sigillorum solutionem* ex ordine prodeunt

eques equo albo vectus, ut vinceret (6,1. 2),

eques equo rufo vectus, ut sumeret pacem de terra (6,3. 4),

eques equo nigro vectus, ut fame puniret terram (6,5. 6),

eques equo pallido vectus, ut quartam partem terrae gladio, fame, morte interficeret (6,7. 8).

b.) Ad *quinti sigilli solutionem* martyres a Deo vindictam petunt de suis persecutoribus (6,9-11),

et *sexto sigillo soluto* terrae motus factus est et signa magna

1. Animadverte, *septem* epistolas in duas quasi classes distribui, quarum prior *tres*, altera *quatuor* continet. Quam distributionem fortuito casui non deberi, manifestum est consideranti, etiam in sequentibus quatuor priora sigilla et quatuor priores tubas et quatuor phialas priores a tribus reliquis distingui.

in coelo apparuerunt et maximus terror concussit habitantes terram, quoniam venit dies magnus irae Dei et Agni (6, 12-17).

c.) Quare antequam septimum sigillum solvatur, signantur servi Dei signo divino (7,1-8),

et describitur futura beatorum felicitas (7,9-17).

3.) *Ad* SEPTIMI SIGILLI *solutionem*,

silentio facto in coelo per mediam horam, septem angeli stantes in conspectu Dei accipiunt SEPTEM TUBAS, ad quarum clangorem revelanda sunt, quae septimo sigillo clausa tenebantur, postquam antea per alium angelum orationes sanctorum Deo sunt oblatae (8,1-5).

4.) *Canuntur* QUATUOR PRIORES TUBAE

et ad singularum sonum tertia pars terrae (8,6. 7.), maris (8, 8. 9.), fluminum fontiumque (8,10. 11), stellarum (8,12) destruitur.

5.) *Ante trium reliquarum sonitum triplex Vae habitantibus terram annuntiatur* (8,13), *et statim quinta et sexta tubae canuntur* (9,1-11,14).

a.) Ad QUINTAE TUBAE clangorem puteus abyssi aperitur,

ex quo prodeunt locustae, quibus solos homines signo Dei non signatos laedere et cruciare, sed non occidere, permittitur per quinque menses (9,1-11);

atque ita *Vae primum* abiit, sed remanent duo alia (9,12).

b.) Ad SEXTAE TUBAE cantum

α. — solvuntur quatuor angeli, qui cum ingenti exercitu tertiam hominum partem destruunt, sed reliqui poenitentiam non agunt (9,13-21).

β. — Quare alius angelus apparet librum apertum tenens, qui ad septimae tubae sonum mysterium Dei consummatum iri cum iuramento annuntiat. Apostolus librum illum devorare iubetur, ut suo tempore iterum prophetet gentibus et populis (10,1-11).

γ. — Templum quoque Dei metiri iubetur excepto atrio, quod simul cum civitate sancta gentibus traditur conculcandum quadraginta duobus mensibus, dum eodem tempore (mille ducentis sexaginta diebus) duo testes Dei prophetant et signa faciunt (11,1-6).

Quo finito tempore a bestia impugnantur et occiduntur, sed post tres dies et dimidium resurgunt et ascendunt in coelum (11,7-12),

dum terrae motus decimam partem civitatis destruit et septem millia hominum occidit; reliqui autem dant gloriam Deo (11,13).

Secundum Vae abiit, sed tertium cito veniet (11,14).

6.) *Ad* SEPTIMAE TUBAE *sonitum*

a.) seniores (proleptice, ut videtur) victoriam Dei celebrant (11. 15-19);

b.) mulier sole amicta apparet paritura filium, qui recturus sit omnes gentes in virga ferrea, atque simul draco rufus apparet, qui mulieri filioque eius insidiatur (12,1-4).

Filius natus in coelum rapitur, draco autem eum persequens cum angelis suis a Michaele in terram devictus proiicitur, unde magnus iubilus in coelo (12,5-12).

Draco vero, quum in terram deiectus etiam mulierem frustra persecutus esset, abit, ut proelium cum reliquis de semine eius faceret, qui custodiunt mandata Dei (12,13-18).

c.) Bestia e mari ascendit, quae, potestate accepta a dracone, una cum eo adoratur (13,1-4), et blasphemias loquitur contra Deum et bellum gerit cum sanctis (13,5-10).

Atque altera bestia de terra ascendit, quae signis et portentis homines seducit, ut prioris bestiae imaginem adorent: numerus autem nominis bestiae sexcenti sexaginta sex (13. 11-18).

d.) Interea Agnus stabat supra montem Sion iis circumdatus, qui signo Dei signati erant (14,1-5).

Tres angeli autem, unus post alterum, proximum esse iudicium annuntiant, interituram esse magnam Babylonem, interimendos eos, qui habeant signum bestiae, dum beati futuri sint, qui in Domino moriantur (14,6-13).

Simul Filius hominis in nube candida apparens cum falce acuta et angelus e templo egrediens cum falce acuta eas in terram mittere iubentur, ut vindemient botros eosque in lacum irae Dei proiiciant (14,14-20).

e.) Septem angeli *septem phialas* accipiunt continentes septem plagas novissimas (15,1-8),

et quum eas ex ordine effudissent in terram et in mare et in flumina et in solem et in sedem bestiae et in flumen Euphraten et in aerem, novae exortae sunt plagae (16,1-21).

f.) Quibus peractis unus ex septem angelis *phialas* habentibus Apostolo interitum magnae Babylonis ostendit (17,1-19,10).

α. — Atque primum quidem magnam hanc meretricem ei describit, cuius nomen est Babylon magna, mater fornicationum, quae sedet super septem montes etc. (17,1-18).

β. — Alter autem angelus de coelo descendens annuntiat (proleptice) Babylonem iam cecidisse (18,1-3),

dum simul vox de coelo electos monet, ut ex ea exeant (18,4-8),

planctumque describit, quem de eius interitu variae classes dicturae sint (18,9-20).

γ. — Tertius angelus aeternum fore Babylonis interitum proclamat (18,21-24),

in coelo autem iubilus magnus est de eius interitu (19, 1-10).

g.) Sequitur ultima pugna Verbi Dei cum dracone (19,11-20,15).

α. — Verbum Dei cum exercitu coelesti in pugnam procedit contra bestiam eiusque exercitum (19,11-18);

bestia vincitur, exercitus eius occiditur, ipsa autem cum pseudopropheta suo in abyssum mittitur (19,19-21),

atque angelus ad mille annos eam includit, post quos solvenda est modico tempore (20,1-3);

β. — resurgunt sancti et cum Christo regnant mille annis (20,4-6);

γ. — quibus elapsis satan e carcere suo solutus novum excitat bellum contra sanctos; sed victus cum suis in infernum detruditur aeternum cruciandus (20,7-10).

Mortui deinde iudicantur iique, quorum nomina non sunt in libro vitae, in stagno ignis secunda morte puniuntur (20,11-15).

h.) Novum iam exsistit coelum et nova terra, in quam de coelo nova sancta civitas Ierusalem descendit, et tabernaculum Dei est cum hominibus (21,1-8).

Ab uno ex septem angelis habentibus *septem phialas* Apostolo nova Ierusalem ostenditur (21,9-22,5).

III. In Epilogo (22,6-20)

omnia haec vera et cito complenda esse a Domino ipso asseruntur et totus liber apprecatione gratiae terminatur (22,21).

O. A. M. D. G.

INDEX

PRAEFATIO VII

I. Historicorum V. T. librorum synopses 1

I. — LIBRI HISTORIAM POPULI ISRAEL USQUE AD PRIMI REGIS ELECTIONEM NARRANTES 3

1. — Liber Genesis 3
2. — Liber Exodus 12
3. — Liber Leviticus 19
4. — Liber Numeri 23
5. — Liber Deuteronomii 29
6. — Liber Iosue 35
7. — Liber Iudicum 40
8. — Liber Ruth 46

II. — LIBRI HISTORIAM ISRAELITICAM USQUE AD NEHEMIAE AETATEM NARRANTES 47

9. — Libri primus et secundus Samuelis (1. 2. Regum) 47
10. — Libri tertius et quartus Regum 56
11. — Libri primus et secundus Paralipomenon 69
12. — Liber primus Esdrae et liber Nehemiae 81

III. — LIBRI PARTICULARIA QUAEDAM FACTA HISTORIAE ISRAELITICAE NARRANTES 87

13. — Liber Tobiae 87
14. — Liber Judith 91
15. — Liber Esther 95
16. — Liber primus Machabaeorum 99
17. — Liber secundus Machabaeorum 106

II. Didacticorum V. T. librorum synopses 113

1. — Liber Iob 115
2. — Liber Psalmorum 130
3. — Liber Proverbiorum 176
4. — Ecclesiastes 180
5. — Canticum Canticorum Salomonis 185
6. — Liber Sapientiae 189
7. — Ecclesiasticus 193

III. Propheticorum V. T. librorum synopses 199

I. — PROPHETAE MAIORES 201

1. — Prophetia Isaiae 201
2. — Ieremiae libri et prophetia Baruch 221
1.) Prophetia Ieremiae. 221
2.) Threni i. e. Lamentationes Ieremiae 240
3.) Prophetia Baruch et epistola Ieremiae 241
3. — Prophetia Ezechielis. 245
4. — Prophetia Danielis 258

II. — PROPHETAE MINORES. 266

5. — Prophetia Osee. 266
6. — Prophetia Ioel. 270
7. — Prophetia Amos 271
8. — Prophetia Abdiae. 275
9. — Prophetia Ionae 276
10. — Prophetia Michaeae. 277
11. — Prophetia Nahum. 279
12. — Prophetia Habacuc. 281
13. — Prophetia Sophoniae 282
14. — Prophetia Aggaei. 284
15. — Prophetia Zachariae 285
16. — Prophetia Malachiae 290

IV. Historicorum N. T. librorum synopses 292

1. — Evangelium secundum Matthaeum 295
2. — Evangelium secundum Marcum 310
3. — Evangelium secundum Lucam 316
4. — Evangelium secundum Ioannem 327
5. — Synopsis chronologica vitae D. N. Iesu Christi secundum quatuor Evangelia 338
6. — Actus Apostolorum. 357
7. — Indiculus chronologicus ad Actus Apost. 365

V. Didacticorum Novi T. librorum synopses 367

I. — EPISTOLAE PAULINAE. 369

1. — Epistola ad Romanos 369
2. — Prior ad Corinthios epistola 384
3. — Altera ad Corinthios epistola. 396
4. — Epistola ad Galatas. 402
5. — Epistola ad Ephesios 410
6. — Epistola ad Philippenses. 414
7. — Epistola ad Colossenses 417
8. — Prior epistola ad Thessalonicenses 419
9. — Altera epistola ad Thessalonicenses. 423
10. — Epistola prior ad Timotheum 424
11. — Epistola altera ad Timotheum 427
12. — Epistola ad Titum 430

13. — Epistola ad Philemonem 431
14. — Epistola ad Hebraeos 432

II. — EPISTOLAE CATHOLICAE 439
15. — S. Iacobi epistola 439
16. — S. Petri epistola prior 442
17. — S. Petri epistola altera 445
18. — S. Ioannis epistola prima 448
19. — S. Ioannis epistola secunda 450
20. — S. Ioannis epistola tertia 451
21. — S. Iudae epistola catholica 451

VI. Prophetici libri Testamenti Novi synopsis 453
Apocalypsis B. Ioannis Apostoli 455

3257

220.1
C815

CORNELY, S.J., R.

AUTHOR
Synopsis Omnium Librorum Sac-
TITLE rorum Utriusque Testamenti

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
SEP 5	Cyman	
	McMahon	Oct 25
	G. McDonald	JAN 14
	Nabala	OCT 29

3257